
BIBLIOTECA · DEL · DUQUE · DE · OSUNA





PSALTERIUM

PARAPHRASIBUS ILLUSTRATUM,

SERVATA UBIQUE AD VERBUM HIERONYMI *translatione.*

RAYNERIO SNOY GOUDANO Auctore.



LUGD. SUB SCUTO COLONIENSI. 1545.

Recusum MATRITI, apud JOACHIMUM IBARRA, anno 1762.

SUPERIORUM FACULTATE.

Catalogus Auctorum ex quibus hæ Psalmorum enarrationes sumtæ sunt.

HIERONYMUS,
AUGUSTINUS,
ARNOBIUS,
ISIDORUS,
RABANUS,
CASSIODORUS,
REMIGIUS.

PROLOGUS
RAYNERII SNOY GOUDANI
IN PSALTERIUM *Davidicum.*

PSalterium ſacroſanctum, eſt divinum et admirabile Spiritus Sancti organum, variè à diverſis interpretatum, vixdum intellectum, nonnumquam ab hæreticis corruptum: cui tot ſunt myſteria, quot verba: cujus radices non in terra, ſed in cœlo fixæ ſunt; cùm indidem ſit CHRISTUS, qui ipſius materia eſt et intentio. Eliciendum tamen ex petra mel, et oleum de ſaxo duriſsimo: ſpicæ manibus confricandæ, et medulla edenda. Tum mira occurret pulcritudo ſenſuum, et ſtillantium medicina verborum, atque ampliſsima copia virtutum: quòd Pſalterium ipſum hortus quidam eſt deliciarum, et omnis bonæ doctrinæ theſaurus. Scrutemur itaque Scripturas; et theſaurum divinorum eloquiorum, intra fragile vaſculum occidentis lit-

teræ conclusum, eruamus. Gustemus et videamus spiritualem intelligentiam ipsius, quod est supernis mysteriis plenum, atque cœlesti dulcedine redundans: quod nemo plane percipit aut degustat, nisi qui ipsius spiritualem intelligentiam in se latitantem comprehenderit: mentem vivificans, reficiens atque oblectans, non in cortice, sed in medulla; non in verbis, sed in sensu; non in sermonum foliis, sed in radice rationis. Quod Psalterium ipsum divina quædam et mystica est poësis, aliud in cortice præ se ferens, aliud in medulla retinens. Decachordum enim Psalterium (Hieronymo teste) apud Hebræos lyrico carmine conscriptum est. Nam, in morem Flacci Romani, et Pindari Græci, nunc Jambo currit, nunc Elegiaco personat, nunc Sapphico nitet, nunc trimetro vel tetrametro pede incedit. Atqui huic libro triplex præfigitur titulus. Dicitur enim Liber Hymnorum, Soliloquiorum, Psalmorum. Hymnorum, quia apud Hebræos lyrico carmine personat: est enim hymnus laus Dei cum cantico.

So-

Soliloquiorum, quia ſolius Spiritus Sancti eloquium eſt, ſeu locutio hominis cum Deo. Pſalmorum, quia in inſtrumento muſico decachordo, id eſt decem chordarum, David hanc poëſim, ſeu verius prophetiam, modulabatur, quod græcè ψαλτήριον, hebraicè Nablum, latinè Organum dicitur. Quippe, cùm Arca de Silo (*) reduceretur per David regem (ut habetur primo Paralipomenon decimo quinto), elegit quatuor millia hominum de Iſraël, qui organis, citharis, nablis, tympanis, cymbalis, tubis perſonabant hos Pſalmos, cum voce humana conſona modulatione, concordantibus inſtrumentis muſicis. Ex his quatuor millibus elegit centum quinquaginta principes, qui antecedentes aliis præeſſent. At his alios quatuor præfecit, ſcilicet Ethan, Heman, Aſaph, Iditun. Et filii Core janitoribus præfecti ſunt. At horum nomine multi Pſalmi intitulantur, vel pro ho-

(*) *Non de Silo, ſed de domo Obededom Gethæi.*

nore ministerii, vel propter nominum interpretationem, licèt David cunctos ediderat. Verum enim vero Psalterium hoc sacrosanctum spiritali modulatione coruscans, modò salutari praecepto, modò laetantium jubilatione, modò poenitentium gemitu, modò pollicitatione praemiorum, modò terrore poenarum, et ubique, ceu floribus, laudibus domini decoratum. Psalterium, inquam, hoc tuba est mirabilis, placans Deum, peccata operiens, veniam impetrans, exhilarans animam, illuminans conscientiam. Insuper quid est quod non discatur ex Psalmis? Omnis magnitudo virtutis, norma justitiae, pudicitiae decor, prudentiae consummatio, poenitentiae modus, patientiae regula. Insuper Dei cognitio perfecta, praenuntiatio CHRISTI in carne venturi, suppliciorum metus, gloriae pollicitatio, mysteriorum revelatio. Omnia haec prorsus, veluti in magno quodam et communi thesauro, recondita inveniuntur. Quid plura? Ipsa Psalmodia est consolatio flentium, cura dolentium, sanitas aegrotantium, animae reme-

medium, et miſeriarum omnium ſuffragium. Subinde Pſalterium, plus ceteris divinis ſcripturis, in eccleſiaſticis decantatur officiis, quia eſt conſummatio totius theologicæ paginæ. Et, per tres quinquagenas diſtinctum, tres ſtatus Chriſtianæ religionis exprimit. Primus eſt incipientium in pœnitentia: cui applicatùr prima quinquagena Pſalmorum, quæ terminatur in pœnitentia, ſcilicet: *Miſerere mei, Deus.* Secundus eſt proficientium de virtute in virtutem, et eſt ſtatus in juſtitia: et hæc eſt ſecunda quinquagena, quæ finitur in Pſalmo rigoris et juſtitiæ. Tertius eſt perfectorum in vita æterna; cui competit tertia quinquagena, quæ finitur in laudem ſpiritalem, videlicet: *Omnis ſpiritus laudet Dominum.* Ceterùm illud minimè ſilentio prætereundum eſt, divum Hieronymum ter ex Hebræo tranſtuliſſe hoc Pſalterium. Primò ſecundum Septuaginta Interpretes, quod Pſalterium Romanum nuncupatur. Secundò juxta Hebraicam veritatem, ad preces Sophronii, quò Hebræos diſputando convinceret. Tertiò ad preces

Damaſi Papæ, quod vulgò Pſalterium Gallicanum nuncupatur: et hæc tranſlatio communis eſt, et noſtra qua utimur. Nec quiſpiam credat me his ſcholiis velle aliquam gloriolam aucupari. Abſit, cùm nec bene nec ingenioſe res acta ſit. Mihi inverſa cithara tantùm cecini (ut ajunt) et Muſis. Non intellectos Pſalmos in dies deblaterare, et in choro fidelium reboare, vanum et ridiculum æſtimavi. Jam, utcumque paraphraſibus minimis, aut (ſi mavis) ſcholiis, non adornatum, ſed enucleatum, Pſalterium mecum legere potes, quicumque in has meas chartulas fortuitò incideris. Illud tamen mihi vendicare auſim, modò patiantur inviduli, hos Pſalmos me tali phraſi explanaſſe, ut ne ullum quidem verbum ipſius Textus aut omiſſum, aut inverſum, aut mutatum ſit. Cohæret Textus Gloſſulis adeò ferruminatus; ut, niſi characteribus diſparibus diſtinctus foret, haut facilè unum ab altero dijudicaretur. Deſudarunt plurimi in hac palæſtra, ceterùm non tali ſchemate: quandoquidem laconica brevitate hoc opus exegi, calculatorum more, qui ingen-

gentes ſummas parvo ære exprimunt expenduntque. Æmulatus ſum veteres, ex quorum filis meam orditus ſum telam; Hieronymum videlicet, Auguſtinum, Arnobium, Iſidorum, Rabanum, Caſsiodorum, Remigium. Neotericorum turbam, quam dinumerare nemo poterit, faceſſere ſivimus, cùm unuſquiſque illorum in ſuo ſenſu abundet. Fiximus veſtigia meditando apud paucos, ne peregrinaremur mendicando apud multos. Vale, candide Lector. Auſpicati ſumus hæc ſucciſivo tempore per otium, ne illud (quod ajunt) inter digitos effluerent; dum aliquot menſes morabamur cum Adolpho à Burgundia heroë Beverienſi, cui à medicis fuimus in Duvelandia Zelandiæ ad aggeres æſtu maris diſruptos reficiendos: quod et ipſe perfecit ſua ſagacitate, ope, et opera, anno ſeſquimilleſimo trigeſimo tertio, IV. Calendas Junii.

IS SCIAT SE PROFECISSE IN SACRIS, QUEM DAVIDICA CARMINA VALDE CONSOLANTUR.

LI-

LICENCIA DEL CONSEJO.

DON Joſeph Antonio de Yarza, Secretario del Rey nueſtro Señor, ſu Eſcribano de Camara mas antiguo, y de Gobierno del Conſejo: Certifico, que por los Señores de èl ſe ha concedido Licencia à Joachin Ibarra, Impreſſor en eſta Corte, para que por una vez pueda reimprimir, y vender el Libro intitulado: *Pſalterium Paraphraſibus illuſtratum, ſervata ubique ad verbum Hieronymi translatione, Auctore Raynerio Snoy Goudano*, con que la reimpreſsion ſe haga en papel fino, buena eſtampa, y por el exemplar, que ſirve de original, y và rubricado, y firmado al fin de mi firma; y que antes que ſe venda, ſe trayga al Conſejo dicho Libro reimpreſſo, junto con ſu exemplar, y Certificacion del Corrector de eſtàr conformes, para que ſe taſſe el precio à que ſe ha de vender, guardando en la reimpreſsion lo diſpueſto, y prevenido por las Leyes, y Pragmaticas de eſtos Reynos. Y para que conſte, lo firmè en Madrid à veinte y quatro de Diciembre de mil ſetecientos y ſeſenta.

D. Joſeph Antonio de Yarza.

FI-

FIDES CORRECTORIS.

PAG. 42. lin. 13. qnum, lege *quum.* Pag. 252. lin. 6. ceu iu, lege *ceu in.* Pag. 389. lin. 14. & 15. movebunturtin, lege *movebuntur in.* In eàdem pag. lin. ſequenti, erræ, lege *terræ.*

Ex Libro, cujus inſcriptio eſt: *Pſalterium Divinum Paraphraſibus explicatum, ſervata ad verbum Hieronymi translatione*, hæc irrepſere typographica menda: quibus præhabitis correſpondet exemplari anteà excuſo: & ſic fidem facio Matriti die decima ſeptima Decembris anni milleſimi ſeptingenteſimi ſexageſimi primi.

D.r D.s Emmanuel Gonzalez Ollero,

A C. M. Gen. Corrector.

TAS-

TASSA.

DON Joſeph Antonio de Yarza, Secretario del Rey nueſtro Señor, ſu Eſcribano de Camara mas antiguo, y de Gobierno del Conſejo: Certifico, que haviendoſe viſto por los Señores de èl el Libro intitulado: *Pſalterium Paraphraſibus illuſtratum, ſervata ubique ad verbum Hieronymi translatione*, ſu Autor Raynerio Snoy, que con Licencia de dichos Señores concedida à Joachin de Ibarra, Impreſſor en eſta Corte, ha ſido reimpreſſo; taſſaron à ſiete maravedis cada pliego: y dicho Libro parece tiene quarenta y quatro, ſin principios, ni Tablas, que à eſte reſpecto importa treſcientos ocho maravedis. Y à el dicho precio, y no mas, mandaron ſe venda: y que eſta Certificacion ſe ponga à el principio de cada Libro, para que ſe ſepa el à que ſe ha de vender. Y para que conſte, lo firmè en Madrid à veinte y tres de Diciembre de mil ſetecientos ſeſenta y uno.

D. Joſeph Antonio de Yarza.

DE

DE NOVA HAC EDITIONE, TYPOGRAPHUS.

QUas tibi ſiſto, Raynerii (ſive Reineri) Snoyi *Paraphraſes* in Pſalterium, ſeu verius *Scholia*, Lector optime, ut brevitate ac perſpicuitate commendantur ſua, ita a doctrina apud ſapientes ſacrarum litterarum profeſſores in laude ſunt. Et quidem *abſoluta numeris omnibus Paraphraſis auxilio magno eſſe interdum poteſt ad intelligendum facilius obſcura ſacrorum librorum loca*: id quod evidens eſt, ac totidem verbis gallicis nuper ſcriptum ab hodierno Sueſſionum Antiſtite, viro fama meritiſque longe claro. (a) Quum autem eo pervenerit impiorum quorumdam hominum effrenata audacia, in ſpeciem quidem illuſtrantium divinos libros, ſed re ipſa fœdantium, ut deliramenta ſua peſtiferoſque ſen-

(a) Franciſc. de Fitzjames, in opere cui titulus: *Mandement & Inſtruction Paſtoral, portant condamnation &c.* Part. 4. cap. 16. tom. 7. pag. 364.

ſenſus iis attexere, et cum ipſis promiſcue obtrudere non vereantur; *optandum ſane eſſet, his vero temporibus ut quum maxime optandum* (perſequitur idem Præſul eximius) *ut hujuſmodi paraphraſticorum operum auctores verba Spiritus-Sancti omnia ad litteram retinenda in eis ſedulo curarent, diverſis vero characteribus excudenda quæ ipſi illuſtrationis aut explicationis gratia ſubjiciunt: ut nempe indocti Fideles verbum Dei ab eo quod hominis tantum expoſitio eſt ſecernere tutius poſſent.* Hanc eamdem ſibi normam propoſuiſſe Snoyum videmus, eamque feliciter inſequutum hoc libello, digno certe qui omnium manibus tereretur: quem tamen, etſi alibi ſæpe recuſum, atque hiſpane etiam, Metymnæ Campi, anno 1546, typis Petri de Caſtro editum, perraro invenias. Atque hæc in cauſa fuerunt ſummo cuidam viro, alienæ ſalutis ſtudioſo, cur illum prelo à me denuo ſubdendum voluerit; tradito editionis Lugdunenſis, anni 1545, exemplari quodam, cui ſequens pariter Athanaſii opuſculum adjectum erat. Ego vero,

ro, quum illud valde mutilum deprehendiſſem, tum inverſo ſacri textus ordine aliiſque mendis innumeris deformatum; nihil reliquum feci ut integritati ſuæ ac formæ omnia reſtituerem, in primis divinum eumdem textum Pſalmorum. Et, quoniam in ſacroſanctis libris vel jota unum aut unus apex venerationem exigit; illam ſcribendi rationem ſequutus omnino ſum, quod ad Pſalmos attinet, quæ in emendatioribus Bibliorum codicibus admiſſa eſt, quamquam aliud non ſemel Orthographiæ leges præcipere videbantur. unde eveniet aliquando ut unum idemque verbum aliter in textu ac in paraphraſi conſcriptum occurrat. Medium inſuper uniuſcujuſque verſus, ut in Romano Breviario fit, aſteriſco notavi: quo ſigno quiſque, inter recitandum hujus libri Pſalmos, ſi id cordi fuerit, uſurpatam ab Eccleſia morulam interponet. Verum Argumenta, quæ ſingulis quibuſque Pſalmis præfixa erant in editione Lugdunenſi, præter quam quod ab aliena acceſsiſſe manu ſuſpicari licet, partim interpungi Hiſpanæ In-

qui-

quisitionis decretum, sed expungi prorsus multo plura jubet: quumque nec reliqua quidquam utilitatis operi aut lucis adferant, et hæc etiam omittenda censui.

Denique ut de Auctore pauca dicam, is Goudæ Batavorum anno 1477. natus est. Medicinæ addictus, Historia nihilominus Batavica aliisque operibus inclaruit, præter has Paraphrases: quas quidem ipse in Prologi calce absolvisse profitetur anno decimi sexti sæculi trigesimo tertio. Hic autem annus ante illius obitum quartus fuit: nam sequenti 1537 desiit vivere. Ejus labore fruere operaque nostra, christiane Lector, has assidue recolens omnipotentis Dei laudes, cui uni in æternum omnis honor et gloria.

PSAL-

PSALMORUM
SACRORUM
LIBER.

PSALMUS PRIMUS.

BEatus *est* vir *ille* qui non abiit *à justitia prima* in consilio *pravo* impiorum *actis consentiendo*, et in via *lata* peccatorum non stetit * *perseverando in delictis*, & in cathedra *contagiosæ* pestilentiæ *atque illusoriæ doctrinæ* non sedit *perniciosa docendo*.

Sed in lege Domini *fuit semper* voluntas ejus * *bona*; et in lege ejus *adimplenda* meditabitur, *tum lectione, tum mandatorum observatione*, die ac nocte, *sine intermissione*.

Et erit tamquam lignum *virore divinæ gratiæ fecundum*, quod plantatum est *firma radice* secus decursus *&* *fluenta* aquarum, * *gratiarum scilicet Spiritus Sancti*: quod fructum suum *bonorum operum* dabit *utique* in tempore suo, *ut dignum efficiatur felici-*

tate æterna. [*Jerem.* 17. 8.]

Et folium *ac verbum* ejus *justi* non defluet * *à veritate in mendacium*, *ceu instabile & irritum* : *immò* et omnia quæcumque faciet *atque operabitur* prosperabuntur, *sibi quidem in salutem*, *aliis verò in eruditionem.*

Non sic impii, *qui non meditantur in lege Domini*, non sic * *prosperabuntur*: sed *erunt* tamquam pulvis, *infecundi & sicci ab humore divinæ gratiæ*, quem projicit *impulsu tentationem* ventus *superbiæ*, *& aura diaboli*, à facie terræ *& presentia vitæ æternæ.*

Ideo *quia projecti à Deo*, non resurgent impii *& infideles* in judicio * *extremo*, *quia jam judicati sunt*; neque peccatores *& falsi Christiani* in concilio *& consortio* justorum, *qui ad vitam æternam sunt prædestinati.*

Quoniam *acceptat*, novit, *& approbat* Dominus Deus viam *immaculatam* justorum * *ad beatitudinem*, et iter *atque progressus vitæ* impiorum *reprobatorum à Deo* peribit *in mortem æternam.*

ORA-

ORATIO.

Efficiamur, Domine, tamquam fructuosissimum lignum in conspectu tuo: ut, irrigati divina tua gratia, beatitudinem viri justi consequamur; &, per observantiam mandatorum tuorum ambulantes, tandem resurgere valeamus in congregatione justorum. Per CHRISTUM dominum.

PSALMUS II.

Psalmus *ipsius* David *Prophetæ, agens de consilio Gentium & Judæorum adversus Christum in sua passione, & de regni Christi institutione.*

QUare *sine ratione* fremuerunt *belluino more* gentes * *Romanæ*, et populi *Hebræorum* meditati sunt *in eorum consiliis* inania *& frivola mendacia*? [*Actuum* 4. 25.]

Astiterunt *contra regem cœli* reges terræ *Herodes & Pilatus*, et principes *sacerdotum Annas & Caypbas* convenerunt *sacrilega mente* in unum * *pravum consensum* adversus Dominum *Deum Patrem*, & adversus Christum *unctum Messiam* ejus *Filium*.

Dirumpamus *omnino* vincula *Euangelica* eorum, * *ne obligemur servitute*; et projiciamus *in irritum* à nobis, *ne dominentur super nos*, jugum & *legem* ipsorum *novam*.

Qui *Pater* habitat in cœlis *super Cherubim* irridebit eos * *inania meditatos*, et Dominus *noster Christus* subsannabit *similiter* eos *miserrimos Judæos*.

Tunc *in die judicii* loquetur *qui jam mansuetus tacet* ad eos, *increpando* in ira sua, * *qua justissimè vindicat*: et in furore suo *implacabili* conturbabit *in corpore & anima* eos *ulciscens in pœna æterna*.

Ego autem *Christus* constitutus sum *hereditario jure* rex *secundum humanitatem* ab eo *Deo Patre*, super Sion *Ecclesiam speculantem* montem sanctum ejus * *in eminentia honoris & firmitate fidei*, prædicans & *euangelizans* præceptum ejus & *voluntatem patris mei*.

Dominus *pater universorum* dixit ad me * *Christum*: Filius meus *consubstantialis* es tu *per naturam*, ego hodie *in præ-*

præsentia æternali genui te *Verbum mihi coæternum, atque Deum de Deo.* [*Actuum* 13. 33. *Hebr.* 1. 5. *&* 5. 5.]

Postula à me *passionis tuæ merito*, et dabo tibi gentes *atque omnes nationes orbis in* hereditatem tuam, * *ut copulentur nomini Christiano*; et possessionem tuam *peculiarem* terminos terræ, *eatenus ut terrarum orbis in te credat.*

Reges eos, *qui non receperunt doctrinam tuam*, in virga ferrea * *&* *justitia inflexibili*; et tamquam vas figuli, *quod levi momento fit*, confringes, *ceu inutiles ad gloriam*, eos *rebelles.* [*Apocal.* 2. 19. 27. 15.]

Et nunc reges *mundi* intelligite * *quantus sit ipse Christus, quàm excelsus, quàm potens*: erudimini *in lege Christiana vos* qui judicatis *in potestate humana* terram, *semper præ vobis ferentes cœlorum judicem superiorem.*

Servite Domino *omnium, cui servire regnare est*, in timore * *casto & filiali*: et exultate ei *voluntariè & hilariter*, cum tremore *tamen & reverenter, haud dissolutè.*

Apprehendite *& exoſculamini* diſciplinam *atque doctrinam Chriſti filii Dei*, ne quando iraſcatur Dominus * *Pater*, et pereatis *tandem eo vindice* de via *recta*, juſta *& vera*, *quam Chriſtus docuit*.

Cùm exarſerit *ad vindicandum* in brevi *die judicii* ira ejus * *juſtiſsima*; beati omnes *erunt Chriſtiani & ſecuri* qui confidunt, *per ſpem & charitatem*, in eo *Chriſto Dei filio crucifixo*.

ORATIO.

Deus noſter, Verbum Patris, ab æterno ante luciferum genitus; Deus de Deo, qui conſtitutus es rex ſuper omnem creaturam: noli nos confringere in ira tua, tamquam vas figuli reprobatum; neque exardeat in die judicii ira tua ſuper nos peccatores. Sed præſta, clementiſsime, ut, apprehendentes doctrinam tuam Euangelicam, valeamus tibi cum timore & reverentia famulari, perſeverantes in via veritatis & juſtitiæ. Amen.

PSALMUS III.

Pſalmus *ipſius* David, *in ſpiritu oſtenſus* cùm fugeret à facie Abſalom filii ſui. [2.*Reg.* 15.]

Do-

DOmine *Deus Pater*, quid multiplicati sunt *Pontifices*, *Scribæ*, *&* *Pharisæi*, qui tribulant *&* *impugnant* me * *persequendo*? multi insurgunt *ut calumnientur* adversum me *suis falsis testimoniis*.

Multi *inimicorum insultando* dicunt *&* *comminantur* animæ *&* *vitæ* meæ, * *quia* non est salus *neque spes* ipsi *Christo* in Deo ejus, *quem sibi Deum Patrem prædicat*.

Tu autem, Domine *Pater*, susceptor meus es * *in tribulatione*, *&* gloria mea *in resurrectione*, et exaltans caput meum *in ascensione*.

Voce mea *in cruce* ad Dominum *Deum Patrem* clamavi * *pro totius mundi salute*: et exaudivit me *suscepitque orationem meam* de monte sancto suo, *de altitudine justitiæ suæ*, *qua liberantur electi*, *&* *puniuntur reprobi*.

Ego dormivi *spontanea morte in cruce*, et soporatus sum * *levi somno in sepulcro*; et exurrexi *tertia die à morte*, quia Dominus *Pater* suscepit me *Filium*, *divina sua potentia resuscitan-*

tando. [*Joan.* 2. 22.]

Non timebo *amplius* millia populi *Judaici* circumdantis me * *& clamantis*, *Crucifige eum*: exurge Domine *in paternum auxilium*, ſalvum me fac, *à morte ſuſcitando*, Deus meus.

Quoniam tu percuſsiſti *digna ultione* omnes *Judæos* adverſantes mihi ſine cauſa * *juſta & vera*: dentes peccatorum, *quibus fremebant verba mordentia*, contriviſti *in irritum*.

Domini, *& non hominum*, eſt ſalus * *vera*, *qui ſalvat ab omni malo*: et ſuper *totum* populum tuum *Chriſtianum ſit* benedictio tua, *tum gratiæ in præſenti*, *tum gloriæ in futuro.*

ORATIO.

Domine Jeſu Chriſte, qui in expiationem originalis culpæ, atque in pretium & redemtionem ac reconciliationem noſtrorum delictorum, ultroneam mortem in cruce obiviſti; atque, in ventre terræ in ſepulcro ſoporatus, tertia demum die reſurrexiſti: ſalva populum tuum Chriſtianum, pretioſo ſanguine tuo redemtum; & effunde benedictionem tuam, ne adverſantium millibus vitiorum circumdetur.

PSAL-

PSALMUS IV.

In finem *legis, qui Christus est*, Psalmus cantici : *hoc est, modulatio organi, cum humana voce sequente ipsius* David & *cujuslibet justi.*

CUM invocarem *Deum ex intimo cordis affectu*, exaudivit me *angustiatum*, Deus *inquam dator & auctor* justitiæ meæ * *atque remunerator:* in tribulatione, *quam passus sum*, dilatasti *cor per patientiam*, & *dedisti* mihi *lætitiam.*

Miserere mei * *contra miserias hujus vitæ, quæ plurimæ sunt*; & exaudi *tua benignitate* orationem meam, *ut de virtute in virtutem proficiscar.*

Filii hominum & *primorum parentum*, usquequo *eritis* gravi corde, * & *sarcina iniquitatum depressi?* ut quid *tam ardenti desiderio* diligitis vanitatem *ac terrena, quæ vana sunt & inania*, et quæritis *cum labore* mendacium *rerum caducarum, quæ mentiuntur hominem felicem?*

Et scitote *quid sequamini*, quoniam mi-

mirificavit *&* *gloriosum fecit* Dominus *Pater* sanctum suum * *Christum, qui est sanctus sanctorum*: Dominus *per eum* exaudiet me *orantem pro requie æternæ consequenda*, cùm *&* *quandocumque* clamavero *cordis devotione* ad eum *sanctum suum.*

Irascimini, *vobis ipsis indignando de peccatis propriis*, et nolite *amplius* peccare: * *de his autem* quæ dicitis *&* *tractatis* in cordibus vestris *per cogitationem*, *&* in cubilibus vestris *per delectationem*, *quæ est cogitationum cubile*, compungimini *pœnitentiam agendo, antequam ratio consentiat.* [*Eph.* 4. 26.]

Sacrificate *&* *mactate vos Deo tamquam* sacrificium justitiæ, *ut opera justa sequantur*: et *tunc* sperate in Domino: * *aliter foret præsumtio.* Multi *carnales, vani, & increduli* dicunt *in suorum delictorum excusationem*: Quis ostendit *umquam* nobis *invisibilia* bona *futura? perinde ac si non essent.*

Signatum est *&* *impressum* super nos *in intellectuali parte animæ* lumen *&* *imago* vultus tui *divini*, *quo similes tui sumus*, Domine: * *&* *per hæc* dedisti læti-

titiam *spiritualem rectæ fidei* in corde meo, *de tanto beneficio.*

A fructu *& ubertate* frumenti, vini, & olei sui *, *in quibus æstimant consummatum bonum*, multiplicati *& distracti* sunt *variis curis*, *sola illa temporalia ambientes.*

In pace *mentis*, in idipsum * *summum bonum*, *quod Deus est*, dormiam *hìc à strepitu sæculi*, et *in futura beatitudine* requiescam *fruitione æternitatis.*

Quoniam tu, Domine, *qui unus es*, singulariter *& simpliciter* in *una* spe * *firmissima æternæ beatitudinis consequendæ* constituisti *& stabilisti* me, *qui nihil præter te summum bonum suspiro.*

ORATIO.

Deus, qui es justitiæ dator, gratiarum auctor, ac bonorum remunerator: exaudi nos in tribulationibus nostris,& miserere nobis. Te solum summum bonum suspiremus,qui signasti super nos lumen vultus tui; atque amemus, non turbam nascentium rerum atque intermorientium, sed æternitatis ac unitatis gloriam in Jesu Christo Domino nostro. Amen.

PSAL-

PSALMUS V.

In finem & *in Christum*, pro ea *Ecclesia honoranda* quæ hereditatem *vitæ æternæ* consequitur, *sanguine Christi dedicata*, Psalmus David *contexitur*.

VErba mea *deprecatoria* auribus *tuæ misericordiæ* percipe, Domine, * *qui in cœlis es*, & intellige *spiritualem* clamorem meum *in gemitu cordis*.

Intende & *annue* voci orationis meæ * *justæ*, rex meus *per gubernationem*, *quem veneror*, et Deus meus *per creationem*, *quem adoro*.

Quoniam ad te *solum demerendum* orabo * *perseveranter*: Domine, *primo tempore*, *videlicet* mane *in aurora diei* & *gratiæ*, exaudies, *tenebris peccatorum depulsis*, vocem meam.

Mane, *quum oritur sol justitiæ in me*, astabo *per juge servitium* tibi, & *non vanitatibus sæculi*: et *sic* videbo, * *in luce virtutum te mundo corde cognoscens*, quoniam non Deus volens *peccatum* & iniquitatem *sed æquitatem* tu es,

idem

idem ipſe invariabilis, ſemper juſtus.

Neque habitabit *in præſenti per gratiam* juxta te, *neque in futuro per gloriam*, malignus * *& obſtinatus peccator*; neque permanebunt, *divinam non ſuſtinentes majeſtatem*, injuſti *& reprobi* ante oculos tuos, *ut videant te fruitione æterna.*

Odiſti *ad exterminium* omnes *impœnitentes* qui operantur *perſeveranter* iniquitatem * *mortalem* : perdes, *æternaliter puniendo*, omnes qui loquuntur *pernicioſum* mendacium.

Virum ſanguinum, *homicidam*, *ac pauperum oppreſſorem*, et doloſum *proximo in mendaciis*, abominabitur Dominus, * *exheredando à regno ſuo* : ego autem, *confidens* in multitudine, *non meæ juſtitiæ, quæ nulla eſt, ſed* miſericordiæ tuæ, *quæ infinita eſt,*

Introibo in *eccleſiam ſanctam* domum tuam * *orationis*; adorabo *mente ſincera* ad templum *cæleſte* ſanctum *corpus* tuum *in pane ſacramentali, & hoc* in timore tuo *caſto, filiali, reverenter.*

Domine, *qui pœnitentes recipis*, deduc

duc *provehendo* me *de virtute in virtutem* in justitia tua, * *ne deviem ad justitiam meam*: propter inimicos meos *dæmones confundendos*, & *homines corrigendos*, dirige & *guberna* in conspectu tuo *legis* Euangelicæ viam meam, *ut opera mea sint tibi grata & accepta.*

Quoniam non est, *quia calumniantur*, in ore eorum *inimicorum* veritas * *Christianæ fidei*: cor eorum vanum est *per superbiam & avaritiam.*

Sepulcrum patens, *fœtidum ac turpe* est guttur eorum, *exhalans mendacia atque adulationes ad corripiendum*: linguis suis *malevolis* dolosè agebant, * *sub specie veri mentientes*: judica *ad pœnam* illos *condemnando*, Deus *justus*, *ut sentiant te judicem.* [*Infrà* 13. 3. *Rom.* 3. 13.]

Decidant & *defraudentur spe*, *ne impietatem augeant impietate*, à cogitationibus suis *ac pravis desideriis mundanæ felicitatis*: secundum multitudinem impietatum eorum & *scelerum admissorum* expelle eos * *ab æterna hereditate*, quoniam irritaverunt te, *dulcis* Domine, & *contemserunt legem tuam Euangelicam.*

Et

Et lætentur *justi ac boni* omnes *lætitia sempiterna*, qui ſperant *modo* in te * *& à te mercedem* : *quia* in æternum, *& non ad horam*, exultabunt *accepta hereditate perpetua*, et habitabis in eis *sicut in templo tuo.*

Et gloriabuntur *fruendo* Deo in te, *fonte totius boni*, omnes qui *zelo divino* diligunt *& amplexantur* nomen tuum * *& gloriam nominis tui* ; quoniam tu, *conferendo gratiam*, benedices *gaudiorum immensitate* juſto *amatori nominis tui.*

Domine, *non noſtra juſtitia*, *ſed tua divina miſericordia*, ut ſcuto *& protectione* bonæ voluntatis *& gratiæ* tuæ * *divinæ*, coronaſti nos, *qui protegens adjuvas*, *& remunerans coronas.*

ORATIO.

Deprecationes noſtras auribus tuæ clementiæ percipe, Domine, qui ſperamus in multitudine miſericordiæ tuæ, nihil præſumendo de juſtitia noſtra : ut, tenebris peccatorum noſtrorum depulſis, tu Sol juſtitiæ oriaris in nobis, qui craſſam noſtram ignorantiam reformes in viam veritatis Euangelicæ. Tu, ſcutum noſtrum, tu, corona noſtra, protege nos adverſus ſæva ja-

jacula calumniatoris diaboli, gratia ipsius Domini nostri Jesu Christi. Amen.

PSALMUS VI.

In finem *&* *in Christum*, *qui est consummatio nostræ agnitionis*, *dirigit nos hic* Psalmus *pœnitentis* David, *qui scriptus est* pro octava *mundi ætate*, *quæ erit dies judicii ventura*.

DOmine, *precor* ne *in finali judicio* in furore tuo *implacabili* arguas me * *severo justitiæ rigore*; neque in ira tua *indignationis & vindictæ* corripias me *exanimatum*, *ad mortem æternam condemnando*.

Miserere mei *in hac vita*, Domine: *& opus est*, quoniam infirmus *& sauciatus* sum * *naturæ fragilitate ac peccatorum mole*: sana *per pœnitentiam*, *& conforta* me, Domine, *per tuam gratiam*, quoniam conturbata sunt, *casu peccatorum quassata*, ossa *& omnia interiora robora* mea.

Et anima mea *peccatrix contremiscens* turbata *& territa* est valde * *à districto judicii examine*: sed tu, Domine, *qui non vis mortem peccatoris*, usquequo *dif-*

differes auxiliari & ſanare?

Convertere *de rigore juſtitiæ*, Domine, *ad dulcorem miſericordiæ*, et eripe *à manu diaboli* animam meam, * *hærentem delectationi, & ligatam peccandi conſuetudine*: ſalvum me fac *ab imminenti periculo*, propter miſericordiam tuam, *quæ unica mea ſpes eſt.*

Quoniam non eſt in morte *peccati, & poſt mortem temporalem*, qui memor ſit tui * *confeſsione fructuoſa ad ſalutem*: in inferno autem quis? *certe nullus*, confitebitur tibi, *immò blaſphemabunt.*

Laboravi *pro ſatisfactione peccatorum* in gemitu meo *intrinſeco cordis, per contritionem*: lavabo *& mundabo* per ſingulas *tenebricoſas* noctes *peccatorum* lectum meum * *voluptarium, & conſcientiam, ne macula remaneat*; *&* lacrimis meis *pœnitentialibus* ſtratum meum *ſenſualitatis, in quo jacuit anima infirma*, rigabo *caſtigando.*

Turbatus eſt *& contremuit* à furore *excandeſcenti, qui erit in extremo judicio*, oculus meus * *interior cordis, ſcilicet mens & ratio: nec mirum, quia* inveteravi, *ſeneſcens in peccatis obſtina-*

 tius,

tius, inter omnes inimicos meos *dæmones ac homines malos*, *quibus conformis peccando conſenſi.*

Diſcedite *procul* à me, omnes *ſpiritales nequitiæ*, *tam diabolus, quàm membra ejus*, qui operamini *ſemper* iniquitatem * *exſtimulando & tentando homines*: quoniam exaudivit Dominus *miſericors* vocem *compunctam* fletus mei, *pœnitentiam acceptando.* [*Matth.*7. 23. & 25.41. *Luc.*13.27.]

Exaudivit Dominus *luctuoſam* deprecationem meam, * *peccata remittendo*: Dominus *Deus* orationem meam, *jam ſecuram de adipiſcendis virtutibus*, ſuſcepit, *gratiam conferendo.*

Erubeſcant, *exemplo meo, de peccatis*, et conturbentur *timore judicii* vehementer *cum contritione*, omnes *quondam* inimici mei * *adverſantes ſaluti*: convertantur *ad Deum*, et erubeſcant *recordatione peccatorum*, *de quibus olim gloriati*, valde velociter, *non procraſtinantes pœnitentiam.*

ORATIO.

Domine, qui in majeſtate horrenda genus humanum judicaturus advenies: miſe-

ſerere nobis in hac vita, ne in die iræ furoris & vindictæ condemnemur ad gehennalia ſupplicia. Et convertere de rigore juſtitiæ ad dulcorem miſericordiæ, eripiendo de poteſtate tenebrarum animas noſtras: atque in infirmitatibus & gemitibus noſtris tua ſemper gratia muniamur. Per Chriſtum Dominum &c.

PSALMUS VII.

In finem *& Chriſtum nos dirigens* Pſalmus *iſte eſt* David *Propheta*, quem cantavit *ad honorem* Domino *Deo gratias referendo* pro verbis Chuſi *& manifeſtatione ſilentii* filii Jemini, *hoc eſt, dextera.* (2. Reg. 16.) *Secretum enim dexteræ Dei eſt ut juſtus virtute ejus ab omnibus perſecutoribus liberetur.*

DOmine *per omnium gubernationem*, Deus *per creationem*, meus *per fidem*, in te *& tua miſericordia* ſperavi, * *& non in mea virtute* : ſalvum me fac *auxilio tuæ gratiæ* ex omnibus perſequentibus me, *tam vitiis & dæmonibus, quàm pravis hominibus*; et libera me *ab his corporaliter & ſpiritualiter.*

Nequando rapiat *diabolus*, ut leo

rugiens, circumiens, quærens quem devoret, animam meam * *peccatricem*; dum non eſt *præter te alius* qui redimat *me à morte*, neque qui ſalvum faciat *vitam dando æternam.*

Domine Deus *&* *rex* meus *&* *redemtor*, ſi feci iſtud, * *exhibendo membra mea arma iniquitatis*; ſi eſt iniquitas *aut aliquod peccatum mortale* in manibus *&* *operibus* meis;

Si reddidi, *libidine vindictæ*, *malæ* retribuentibus mihi mala : * *tunc* decidam, *tamquam victus* meritò *meo malo* ab inimicis meis *me perſequentibus*, inanis *&* *vacuus à fructu juſtitiæ.*

Perſequatur *ergo tunc* inimicus animam meam, *mala ſuggerendo*; et comprehendat *eam ad conſenſum peccati*, et conculcet in terra vitam meam, * *proſternendo &* *occidendo*; et gloriam meam, *quæ eſt in conſcientia munda*, in pulverem deducat, *ad nihilum redigendo.*

Exurge, Domine, *mihi opem ferendo* in ira *&* *vindicta* tua * *contra inimicos meos*: et exaltare *atque ſuperior appare, ut victor*, in finibus *&* *poſſeſsione* inimi-

micorum meorum, *diaboli videlicet & suorum.*

Et exurge *atque evigila*, Domine Deus meus, *ostendendo te justum judicem* in præcepto, *secundum judicium* quod mandasti * *facere justitiam de malis*: et *ita* synagoga *seu congregatio* populorum *diversorum* circumdabit te, *tamquam certum refugium.*

Et propter hanc *congregationem* in altum *solium* regredere, * *ostendendo potentiam & majestatem tuam, ut revereantur te justum judicem*: Dominus *omnium & judex generalis* judicat populos, *unicuique secundum opera sua reddens.*

Judica me, Domine, *quia judex es vivorum & mortuorum*, secundum justitiam meam, * *quam dedisti mihi*, et secundum innocentiam meam; *quorum utrumque non ex me, sed* super me *descendit à patre luminum.*

Consumetur *& terminabitur* nequitia peccatorum *atque impiorum*, et *interea* diriges *& probabis* justum * *in tot tentationum fluctibus*; scrutans, *videns, & sciens* corda *atque cogitationes* et renes

carnalium desideriorum, Deus *justus, qui omnia nosti.* [*Paral.* 28. 9. *Jer.* 17. 10. *&* 20. 12.]

Justum *est* adjutorium meum *quod peto* à Domino * *Deo*; qui salvos facit *in gloria* rectos corde *& intentione, conformantes se voluntati divinæ.*

Deus judex justus, *singulis secundum opera sua reddens*; fortis, *cui nemo poterit resistere*; et patiens, * *tolerando malos*: numquid irascitur *inferendo vindictam statim* per singulos dies? *certè non, sed dat locum pœnitentiæ.*

Nisi *à peccatis vestris* conversi fueritis *ad Deum per pœnitentiam*, *Dominus* gladium suum *in vindictam manifestam* vibravit, * *exeret atque exacuet*; *insuper* arcum suum tetendit *severiter*, et paravit illum *ut puniat certò.*

Et in eo *arcu* paravit *Dominus* vasa mortis * *æternæ*, *ut peccatores in æternum puniantur*: sagittas suas *vindicatrices* ardentibus *flammis* effecit *plenas ad terrorem & punitionem.*

Ecce *quomodo homo parat sibi causam mortis, & non Deus; quia ipse* parturiit, *conando ad effectum perducere*, in-

ju-

justitiam * *suam*: concepit *insuper* dolorem *ex suggestione diaboli per consensum*, et peperit *per operationem* iniquitatem *perficiendo*. [*Job* 15. 35. *Isai.* 59. 4.]

Lacum *inferni* aperuit, *concipiendo peccatum*; et effodit eum, * *parturiendo per consensum*; et incidit in foveam *perditionis & mortis*, quam *sibi* fecit *spontanea voluntate*.

Convertetur dolor ejus, *& peccatum, quod est causa doloris*, in caput ejus, * *& animam, quæ est caput corporis*: & in verticem ipsius *atque rationem* iniquitas ejus, *quam peperit*, descendet, *quum peccatum in animam ipsius retorquebitur*.

Confitebor *ergo* Domino *confessione laudis* secundum justitiam ejus, * *quia bonos protegit, & malos justè punit*: et psallam, *spiritualiter gaudendo*, nomini Domini altissimi, *ad honorem ejus, non ad gloriam meam*.

ORATIO.

Deus, in cujus misericordia speramus, & non in virtute nostra: libera nos à pecca-

tis nostris, ne aliquando rapiat diabolus, ut leo rugiens, animas nostras in interitum. Præter te, alium salvatorem non agnoscimus: immò confitemur & psallimus nomini tuo altissimo, qui es benedictus in sæcula. Amen.

PSALMUS VIII.

In finem *& in Christum, qui est finis noster*, Psalmus *iste scriptus est à* David *Propheta*, pro torcularibus *& constitutione Ecclesiæ ædificatæ super Christum.*

DOmine *omnium, qui es peculiaris* Dominus noster * *per cultum & venerationem*, quàm admirabile *& gloriosum* est nomen tuum *divinum & ineffabile* in universa terra, *à solis ortu ad occasum*!

Quoniam elevata est *de terrena humilitate* magnificentia tua, * *& filius tuus, per quem magna operatus es*, super cœlos *atque cœlestes Hierarchias: quia sedet ad dexteram Patris.*

Ex ore infantium et lactentium *puerorum Hebræorum* perfecisti laudem *magnificentiæ tuæ, quando clamabant: Hosanna in excelsis; & hoc* propter inimicos tuos

tuos * *principes Judæorum confutandos*: ut destruas *tandem* inimicum *errorem Judaicum*, et ultorem *seu persecutorem nominis tui.* [*Matthæi* 21. 16.]

Quoniam *tunc* videbo *intellectu fidei* cœlos tuos, & *sacras scripturas, quæ sunt* opera digitorum tuorum, * *quia scriptæ sunt inspiratione Spiritus Sancti; similiter* & lunam, *quæ est catholica Ecclesia à Christo sole illuminata*, et stellas, *homines sanctos*: quæ *omnia* tu fundasti, *atque in tua fide solidasti.*

Quid est homo, & *quale meritum ejus*, quòd *tu Deus* memor es ejus, * *miserendo & à morte liberando*? aut filius hominis *Christus filius Virginis*, quoniam visitas eum *mittendo Verbum tuum in carne ad redimendum hominem*?

Minuisti eum *filium tuum* paulo minus ab Angelis, *quia passibilem & mortalem fecisti* : *tamen, propter meritum passionis suæ*, gloria *resurrectionis* et honore *ascensionis super omnes angelos* coronasti eum, * *quia sedet ad dexteram Patris*; et constituisti eum *caput & regem* super *omnia* opera manuum tuarum, *cui data sit omnis potestas in*

cœ-

cœlo & in terra. [*Hebr.* 2. 7.]

Omnia, *tam ſuperiora quam inferiora*, ſubjeciſti ſub pedibus, *dominio & poteſtate* ejus, * *cui flectitur omne genu, cœleſtium, terreſtrium, & infernorum:* oves, *ſimplices homines*, et boves univerſas, *videlicet rectores & paſtores, qui excolunt ſuis laboribus ſimplices*: inſuper et *etiam* pecora campi, *carnales more pecudum in luxu viventes.* [*Geneſ.* 1. 28. 1. *Corint.* 15. 26.]

Volucres cœli, *ſuperbos qui ponunt in cœlum os ſuum*, & piſces maris, * *curioſos & avaros*, qui perambulant *pertinaci ſtudio* ſemitas maris *& fluenta hujus ſæculi citò perituri.*

Domine Dominus noſter * *& omnium*, quàm *ineffabiliter* admirabile *& magnum* eſt nomen tuum, *honor & fama*, in univerſa terra, *& ubique per omnia!*

ORATIO.

Domine, cujus nomen admirabile & glorioſum eſt in univerſa terra, qui infantes erudis, ſuperbos deſtruis, peccatoribus miſereris; cui item flectitur omne genu, cœleſtium, terreſtrium, & infernorum: ſupplices exoramus, ut pro nomi-

minis tui gloria te veneremur ut creatorem, diligamus ut redemtorem, qui paulo minus ab Angelis diminutus es, propter nos homo factus; atque timeamus ut dominum, qui es benedictus in sæcula. Amen.

PSALMUS IX.

In finem *Christum*, pro occultis *judiciis* filii *Dei*, Psalmus *iste factus est à* David *Propheta*.

CONfitebor tibi, Domine, *confessione laudis* in toto corde *& affectu* meo: * *atque* narrabo omnia *opera, & precabor* mirabilia *beneficia* tua.

Lætabor et exultabo *corpore* in te * *Deo meo, in quo est vera lætitia*: psallam *cum gratiarum actione* nomini tuo *divino*, altissime, *omnia illi accepta ferendo*.

In convertendo *à sua potestate* inimicum meum *diabolum* retrorsum * *per tuam passionem*, infirmabuntur *dæmones & membra ejus in malitia nocendi*; et peribunt *in die judicii* à facie tua, *ne videant gloriam, sed mittantur in ignem æternum*.

Quoniam fecisti *& consummasti* judi-

dicium meum, *pro me judicatus injustè coram Pilato*; et causam meam * *perfecisti, pro peccatis meis mortuus*: sedisti super thronum *cum majestate magna*, qui judicas *secundum merita singulorum*, justitiam *singulis tribuens*.

Increpasti, *per prædicationem Apostolorum*, Gentes *de idololatria, cui erant deditæ*; et periit *diabolus* impius,* *qui habitat in idolis*: nomen eorum *idolorum* delesti in æternum *de terra*, et in sæculum sæculi, *quia ultrà non memorabuntur*.

Inimici *ipsius diaboli* defecerunt, & *diminutæ sunt* frameæ *seu gladii, quibus animas occidunt*, in finem, * *per Christum* : et civitates *idololatras* eorum *dæmonum* destruxisti, *excluso inde diabolo principe*.

Periit & *deleta est* memoria eorum *idolorum* cum sonitu, * *strepitu, & repugnantia*: et Dominus *Christus & regnum ejus* in æternum permanet *stabile & fixum*.

Paravit *ipse Christus* in judicio & *potestate sua judiciaria* thronum suum,* *ad judicandum*: et ipse, *qui judicatus* *est*

est in humilitate, tandem judicabit *in majestate universum* orbem terræ *& habitatores ejus* in æquitate, *reddendo digna pro meritis;&* judicabit populos *omnes* in justitia *vera.*

Et factus est *interim* Dominus *Christus* refugium *desideratum* pauperi * *populo Christiano, &* adjutor *singularis* in opportunitatibus *& necessitatibus, quando homo est* in tribulatione.

Et *ergo* sperent in te *fideles*, qui noverunt nomen tuum * *benedictum & misericors*: quoniam non *omnino* dereliquisti, *subtrahendo gratiam*, quærentes te, Domine, *fide & operibus.*

Psallite Domino *gratias agendo*, qui habitat in *Ecclesia catholica, quæ* Sion * *est contemplans Deum per fidem*: annuntiate *& prædicate*, inter gentes *ignorantes Deum*, studia *atque mandata* ejus, *in quibus studendum est.*

Quoniam *ipse Dominus est* requirens, *per vindictam*, sanguinem eorum *martyrum qui occiduntur à tyrannis; &* recordatus est * *atque misertus &* non est oblitus *in æternum* clamorem pauperum *spiritu, atque injustè oppressorum.*

Mi-

Miserere mei, *attende*, *&* *adjuva*, Domine * *Deus* : vide *oculo compassionis* humilitatem *&* *depressionem* meam, *quam sustineo* de inimicis meis *patienter*.

Qui exaltas, *elongas*, *&* *liberas* me *innocentem* de portis mortis, * *atque concupiscentiis pravis*, *quibus itur ad mortem animæ*; ut annuntiem *prædicando* omnes laudationes tuas, *&* *opera tua laudabilia*, in portis *Ecclesiæ* filiæ Sion, *qua itur in cœlestem Jerusalem*.

Exultabo in *Christo* salutari tuo, * *per quem salvasti mundum* : infixæ *&* *demersæ* sunt gentes *clavis peccatorum atque tyranni*, in interitu *mortis æternæ*, quem *sibi* fecerunt *occidendo corpora sanctorum*.

In laqueo *&* *fraudulento* isto *consilio*, quem absconderunt * *sub quodam prætextu justitiæ*, comprehensus *&* *illaqueatus* est pes *&* *malus affectus* eorum.

Cognoscetur *in die judicii* Dominus *Christus* judicia *justa* faciens, * *reddensque unicuique juxta opera sua* : *&* *tunc* in operibus manuum *&* *affectionum* suarum comprehensus est *&* *convictus*

pec-

peccator, *quia constringetur in eis.*

Convertantur *in finali judicio* peccatores *& dejiciantur* in infernum; * *cujusmodi sunt* omnes gentes quæ *sine pœnitentia* obliviscuntur Deum, *non credentes in eum.*

Quoniam non in finem *neque perpetuò* oblivio *apud Deum* erit pauperis * *spiritu: etiam* patientia pauperum *& humilium, qua modò malos tolerant,* non peribit *sine remuneratione* in finem *& in perpetuum.*

Exurge, Domine, *ad judicandum,* non confortetur *neque prævaleat* homo * *peccati Antichristus* : judicentur *& condemnentur secum* gentes *ignorantes Deum,* in conspectu tuo, *quia te non latebit eorum iniquitas.*

Constitue, Domine, *propter peccata eorum*, legislatorem *Antichristum* super eos, * *in ruinam eorum*; ut sciant *& experiantur* gentes, *cum seductæ fuerint ab eo*, quoniam homines sunt *stulti, ponentes spem in homine, & non in Deo, qui solus salvare potest.*

[*Secundum Hebræos, hìc incipit X. Psal.*]

UT quid, Domine, *tempore Antichriſti* receſsiſti longe * *ab electis tuis*, deſpicis *&* *ſinis tribulari* in opportunitatibus *ad utilitatem eorum* in tribulatione *temporali?*

Dum ſuperbit *in poteſtate* impius *Antichriſtus*, *tunc* incenditur *&* *cruciabitur* pauper * *populus Chriſtianus omni genere tormentorum*: comprehenduntur *tamen Antichriſtus & ſatellites ejus* in conſiliis *eorum vanis*, quibus cogitant *irretire ſanctos*.

Quoniam laudatur *à ſuis adulatoribus homo* peccator *Antichriſtus* in deſideriis *& concupiſcentiis* animæ ſuæ, * *adeò ut dicatur eſſe Deus*; et iniquus *homo* benedicitur, *uſurpans ſibi divinitatis nomen*.

Exacerbavit *& irritavit* Dominum *Deum homo* peccator * *Antichriſtus*: ſecundum multitudinem *& abundantiam* iræ ſuæ, *atque iræ divinæ contra ſe provocatæ*, non quæret *pœnitentiam*, *ſed morietur in ſua obſtinatione induratus*.

Non eſt Deus *alicujus reputationis* in conſpectu ejus, * *quia extollet ſe ipſum ſu-*

super omne quod est Deus : inquinatæ sunt *& sordent* viæ *& cogitationes* illius *& consilia & opera*, in omni tempore *vitæ suæ*.

Auferuntur à *memoria sua* judicia tua *superventura*; *& ideo non metuet* à facie ejus, * *præ nimia elatione & obstinatione* : omnium inimicorum suorum *in seductione signorum* dominabitur, *reges terræ dolis sibi subjiciens*.

Dixit enim, *ex nimia elatione*, in corde suo : * *Ego securus sum in statu meo*, non movebor *ab hac dominatione mea: immò regnabo* à generatione *hac* in generationem *futuram*, sine *ullo* malo *inquietudinis & adversitatis*.

Cujus maledictione *in Christum & contumeliis in sanctos* os plenum est, *cùm se Dei filium mentietur*, et amaritudine *comminatoria*, et dolo : * *&* sub lingua ejus *erit* labor *sanctorum* et dolor, *quia proclamabit ad supplicium, qui illum contemserunt adorare*.

Sedet in insidiis, *more latronum*, cum divitibus, *quos muneribus illaqueabit*; *atque* in occultis * *consiliis varia excogitabit* : ut interficiat *populum* in-

nocentem *inobedientem sibi.* [*Infrà* 13. 3. *Rom.* 3. 14.]

Oculi ejus *Antichristi* in pauperem *populum Christianum* respiciunt * *crudeliter* : insidiatur in abscondito & *fraudulenter*, quasi leo *fortis* in spelunca sua *quærens quem devoret.*

Insidiatur, ut *violenter* rapiat *populum Christi* pauperem * *ac humilem*: rapere, *inquam*, pauperem *sæviendo*, dum attrahit eum *ad rete suum blandiendo.*

In *dolo*, *ceu* laqueo suo, *quia miracula faciet*, humiliabit & *subjugabit* eum * *populum Christi* : *tandem* inclinabit se, *Deo volente*, et cadet *subitò*, cum dominatus fuerit, *per tempus & dimidium temporis*, pauperum *Christianorum abjectorum & spoliatorum.*

Dixit enim & *cogitavit* in corde suo *maligno* : Oblitus est Deus * *sanctorum suorum*; avertit faciem suam *contemnendo*, ne videat *quæ in hoc mundo aguntur* ; & *ego regnabo usque* in finem & *perpetuò.*

Exurge, Domine Deus, *qui vidêris quasi dormire* ; & exaltetur *atque monstretur*

tur manus *&* *poteſtas* tua, * *ad eum interficiendum*: ne obliviſcaris *tuorum* pauperum *fidelium*, *dimittendo eos diutius in perſecutione Antichriſti.*

Propter quid irritavit *ſuis blaſphemiis* impius *Antichriſtus* Deum * *verum*? dixit enim in corde ſuo *ſuperbo*: *Deus*, *tamquam neſciens aut impotens*, non requiret *facta mea ad puniendum.*

Vides, *cui omnia nuda ſunt*, quoniam tu *Deus* laborem et dolorem, *quos infligit ſanctis tuis Antichriſtus*, conſideras * *diligenter ad puniendum*; ut *&* *quomodo* tradas eos, *ſcilicet Antichriſtum & ſuos miniſtros*, in manus tuas *& in poteſtatem juſtitiæ tuæ.*

Tibi *ad defendendum* derelictus eſt *populus* pauper * *Chriſtianus*: *&* *eidem populo* orphano, *tempore Antichriſti*, tu *Deus* eris adjutor *in tribulationibus.*

Contere, *&* *redige ad nihilum*, brachium *&* *poteſtatem* peccatoris, *filii perditionis*, et maligni * *Antichriſti*: quæretur *à te & diligenter excutietur* peccatum illius, *an ſit amplius utile ad purgationem electorum*; et non in-

 ve-

venietur *ultra utile*, *quia sufficienter erunt purgati.*

Dominus *Christus tunc* regnabit in æternum, *destructo Antichristo*, et in sæculum sæculi * *sine fine* : peribitis *morte æterna*, gentes *complices Antichristi*, de terra *promissionis & de regno* illius *Christi*, *quo soli beati perfruentur.*

Desiderium *justorum* pauperum *Christianorum* exaudivit Dominus, * *faciendo finem de persecutione Antichristi* : præparationem & *affectum* cordis eorum, *quo desiderabant liberari à malis præsentibus*, audivit & *intellexit* auris & *clementia* tua *divina.*

Judicare, *Domine*, pupillo, *pro illo sententiam ferendo*, et humili * *populo Catholico*; ut non apponat *neque præsumat* ultrà magnificare & *erigere* se homo *quicumque contra Deum* super terram, *sicut fecit Antichristus.*

ORATIO.

Ipse qui Dominus est universorum, ab Antichristi insidiis ac fraudibus nos custodire dignetur illæsos: ut, sic exaltati de portis inferi, in illum sperantes, ab illo pupilli effecti; solum ipsum Christum ut pa-

trem confiteamur, ipsum sequamur fide, ipsum timeamus corde, ipsum glorificemus opere. Cui cum æterno Patre & Spiritu Sancto est honor & gloria in sæcula sæculorum. Amen.

PSALMUS X. [*sec. Hebr.* XI.]

In finem *& Christum, qui est α & ω*, Psalmus *ipsius* David *contra hæreticos.*

IN Domino *Jesu Christo* confido, *qui est unica spes salutis meæ.* Et quomodo, *vos hæretici,* dicitis *& suadetis* animæ meæ, * *insidiantes*: Transmigra *hinc à simplici tua fide* in montem *ambitionis & superbiæ, valde altum, inflatum scientia perversa; & esto* sicut passer *instabilis & vagus*?

Quoniam *insidiosè* ecce peccatores *hæretici* intenderunt arcum *dolosæ persuasionis, & detorserunt sacram Scripturam ad voluntatem eorum*, paraverunt *insuper verba venenosa &* sagittas suas, *videlicet argumentationes sophisticas*, in pharetra * *& sententia eorum obstinata*; ut sagittent *& vulnerent*, in obscuro *scripturarum intellectu*, rectos *& simplices* corde.

Quoniam, *de nequiſsima eorum voluntate*, *divina eloquia*, quæ perfeciſti *& perfecta edidiſti*, deſtruxerunt, * *perperàm interpretando* : juſtus autem *Chriſtus* quid fecit, *ut ſic dilaceretur tunica inconſutilis?*

Dominus *tamen Chriſtus ſemper eſt* in templo ſancto ſuo * *& viro bono, ubi inhabitat per gratiam* : Dominus *Deus*, in Cœlo *empyreo* ſedes *majeſtatis* ejus. [*Abac.* 2. 20.]

Oculi ejus, *per miſericordiam*, in pauperem *& ſimplicem populum Chriſtianum* reſpiciunt * *aſpectu divinitatis*: palpebræ ejus, *non dormitantes*, interrogant, *& ſcrutantur actus & cogitationes inter* filios hominum.

Dominus *Deus* interrogat, *probat, & examinat per tribulationes & hæreſes* juſtum et impium, * *bonum & malum, in conſcientiis eorum* : qui autem diligit *deſiderio perſeveranti* iniquitatem, *nolens ſe emendare*, odit *certè* animam ſuam, *præparando illi æterna ſupplicia.*

Pluet *Dominus*, ſuper peccatores *obſtinatos*, laqueos, * *ut conſtringantur*

funibus peccatorum ſuorum: ignis *inextinguibilis*, et ſulphur, *fœtor intolerabilis*, et ſpiritus procellarum, *atque impetus plurimorum tormentorum erit* pars *quædam* calicis *&* *pœnæ* eorum : *unicuique enim reddetur pro parte ſua, juxta opera ſua.*

Quoniam *ſemper* juſtus *eſt* Dominus *Deus*, et juſtitias dilexit, * *unumquemque ſecundum opus proprium dijudicans*: æquitatem *veram* vidit *ſemper, aſpiciendo opera hominum*, vultus ejus *divinus; juſtis præmia, & peccatoribus pœnas tribuens condignas.*

ORATIO.

Spes ſalutis noſtræ Deus, in quem confidimus, reſpice in pauperem populum tuum Chriſtianum : ut non ſecundum peccata noſtra nobis ſupplicia inferas, ſed, ſecundum magnam miſericordiam tuam, veniam largiaris; atque verſutias doloſque hæreticorum & malignorum, quorum futuras pœnas agnoſcimus, ſubterfugere valeamus, æquitatem & juſtitiam veram cuſtodientes. Per Chriſtum.

PSALMUS XI. [*ſec. Hebr.* XII.]

In finem *& in Chriſtum tendenti eſt*

Pſalmus *iſte* David *Prophetæ*, pro octava *ætate mundi, quæ erit dies judicii.*

SAlvum me fac, Domine, *à ſæculi hujus periculis*: quoniam *in hoc mundo* defecit ſanctus * *homo, cùm pauci ſint boni*; quoniam *valde* diminutæ ſunt *iſtæ tres* veritates, *ſcilicet doctrinæ, vitæ, & juſtitiæ*, à filiis hominum, *qui vani ſunt.*

Vana, *falſa*, & *inutilia* locuti ſunt, *ad decipiendum*, unuſquiſque ad proximum ſuum, * *cui tamen tenentur benefacere*: labia doloſa *habent*, & *bilingues ſunt*: in corde et corde, *videlicet duplici corde*, locuti ſunt *deceptores.*

Diſperdat Dominus, *ut paſsim pereant*, univerſa & *ſingula* labia doloſa * *ac fraudulenta*: et *diſperdat etiam* linguam magniloquam *ſuperborum*, *alta de ſe loquentem.*

Qui dixerunt *arroganter*: Linguam noſtram *loquacitate vana* magnificabimus, *atque jactantem extollemus*: labia *facunda* & *ingenia* noſtra, *non aliunde, ſed* à nobis *ipſis habemus* & ſunt: * *ergo* quis noſter dominus eſt? *quaſi dicant: nullus.*

Pro-

Propter *tollendam* miſeriam *hominum* inopum, *qui egent mea ope*, et *propter* gemitum *ac fletum* pauperum * *in limbo inferni exſiſtentium*, nunc *in tempore gratiæ* exurgam *ad hos liberandos*, dicit Dominus *Deus Pater*, *& apparebo in Filio meo incarnato.*

Ponam *conſolationem pauperum* in *Jeſu filio* ſalutari * *meo* : *& potenter*, fiducialiter, *atque efficaciter* agam *omnia* in eo, *per eum liberando genus humanum.*

Eloquia *ipſa Euangelica* Domini *Chriſti ſunt* eloquia *pura*, caſta, * *& ſincera*, *nulla labe corrupta*, *neque adulterata*, *ſed veriſsima*, *ſicut* argentum *purum ipſo* igne *multipliciter* examinatum, *&* probatum, *à ſcrobibus* terræ purgatum, *quia* ſeptuplum *ab omni impuritate perfectum.*

Tu, Domine, *cujus eloquia ſunt caſta*, ſervabis nos *hìc in præſenti per gratiam*; et cuſtodies nos * *in bono*, à generatione hac *perverſa & prava hujus ſæculi*, in æternum *gaudium futurum.*

In circuitu *vitiorum ac temporalium rerum*, *ubi nullus eſt finis*, impii *ac*

ma-

mali ambulant, * *& tamquam rota volvuntur* : *ſed* ſecundum altitudinem tuam *& conſilii tui, quod eſt incomprehenſibile*, multiplicaſti *electos* filios hominum, *ad participandum beatitudinem tuam.*

ORATIO.

Concede nobis, Domine, ſecundum eloquia tua caſta & Euangelica fiducialiter agere in hoc mundo naufrago, ubi diminutæ ſunt veritates doctrinæ, vitæ, & juſtitiæ à filiis hominum. Ne diſperdas nos, ſed ſervare & cuſtodire digneris; qnum tota conſolatio noſtra ſit in Jeſu Chriſto ſalvatori noſtro. Qui tecum vivit &c.

PSALMUS XII. [*ſec.Hebr.XIII.*]

In finem *Chriſtum, ut liberet ab adverſitatibus*, Pſalmus *ipſius* David *Prophetæ.*

USquequo *& quamdiu*, Domine *Deus*, oblivíſcêris me, *ſubtrahendo gratiam*? *erit hoc uſque* in finem * *& perpetuo*? uſquequo *etiam* avertis *procul* faciem tuam *divinam* à me *peccatore*?

Quamdiu *ego* ponam *& volvam* con-

consilia *diversa* in anima mea * *anxius?* *quomodo liberabor de adversitate & miseria? & quamdiu ponam* dolorem *pro incolatu præsentis miseriæ* in corde meo? *certè* per diem *& singulos dies continuò.*

Usquequo *etiam* exaltabitur *& gloriabitur* inimicus *& calumniator* meus *diabolus* super me * *peccatore, captivum tenendo in peccatis?* respice *oculis misericordiæ miseriam meam*, et exaudi me *de tribulatione tanta liberando*, Domine *salvator*, Deus *creator* meus *per gratiam.*

Illumina, *Domine*, oculos *interiores* meos, *qui sunt intellectus & affectus*, ne umquam *de ceterò* obdormiam *obstinatus* in morte * *peccati seu mortalis culpæ*; nequando *in futuro judicio* dicat *gloriando & insultando* inimicus meus *diabolus*: Prævalui *tentando* adversus eum, *& devici.*

Qui tribulant *& vexant* me *tentationibus, scilicet diabolus & membra ejus*, exultabunt *& lætabuntur*, si motus fuero * *à statu gratiæ in statum culpæ*: ego autem *non movebor*, *quia* in misericordia tua, *quæ est magna nimis*, spera-

ravi, *semper confidens ab iis tribulationibus liberari.*

Exultabit cor meum, *lætitia interiori*, in salutari tuo *Jesu Christo, qui venit salvare mundum*: cantabo *cordis lætitia* Domino, *ad laudem ejus*, qui bona, *tum spiritualia, tum temporaliæ necessaria*, tribuit mihi * *gratis, ultra id quod merui*; & psallam, *cum devota gratiarum actione*, nomini *glorioso* Domini *Dei* altissimi *in excelsis.*

ORATIO.

Ne obliviscaris nos, Domine, in finem, neque avertas faciem gratiæ tuæ in tribulationibus nostris: sed illumina, quæsumus, interiores oculos mentis nostræ, ut non obdormiamus in morte peccati; ne prævaleat calumniator noster diabolus, sed exsultet cor nostrum in salutari tuo Domino nostro Jesu Christo, cujus nomen altissimum sit benedictum in sæcula.

PSALMUS XIII. [*sec.Heb.XIV.*]

In finem, *qui Christus est in lege promissus, quem in carne contemserunt Judæi*, Psalmus *iste dirigit nos*: *&* *est ipsius* David *Prophetæ.*

DI-

DIxit insipiens *populus Judæorum* in corde suo * *perverso & incredulo: Hic homo Christus* non est Deus *verus.* [*Infr.* 52. 1.]

Corrupti sunt *cæcitate infidelitatis*, et abominabiles *ac reprobi* facti sunt *apud Deum* in studiis & *machinationibus* suis * *dolosis, quibus studebant quomodo Christum occiderent*: non est qui faciat bonum, *quia omnes peccavimus, & egemus gratia Dei*: non est usque ad unum, *quia omnes in primo parente transgressi sumus.* [*Rom.* 3. 12.]

Dominus *Deus Pater* de cœlo *divinitatis* prospexit, *intendens* super *Judæos* filios hominum * *rationabilium*; ut videat & *videri faciat* si *quispiam eorum* est intelligens *divinitatem filii sui Christi, latentem in assumta humanitate*; aut *si est aliquis* requirens Deum, *ut fide posset cognoscere.*

Omnes *Judæi* declinaverunt simul *à veritate*, & inutiles facti sunt * *ad cognoscendum Christum*: & *inter tales perfidos* non est qui faciat bonum *absente fide*, non est usque ad unum.

Se-

Sepulcrum *fœtidum & patens*, *exhalansque ſermones peſtiferos*, eſt guttur eorum *Judæorum* : linguis ſuis *adulando*, doloſe agebant * *prava conſilia adverſus Chriſtum* : venenum *mortiferum ipſorum* aſpidum & *ſerpentum eſt* ſub labiis eorum. [*Supr.* 5. 11. *Rom.* 3. 13.]

Quorum os *blaſphemia & maledictione in Deum*, et amaritudine *in proximum* plenum eſt : * *promti*, *expediti ac* veloces *ſunt* pedes & *affectus* eorum *Judæorum*, ad effundendum ſanguinem *Chriſti & ſuorum*. [*Rom.* 3. & *ſeqq. Iſai.* 59. 7.]

Contritio, *dolor*, *punitio*, et infelicitas *atque miſeria eſt* in viis *atque operibus* eorum *Judæorum* ; et viam pacis, *qui Chriſtus eſt*, non cognoverunt * *neque intelligere voluerunt*, *obcæcati malitia* : *quæ omnia ideo contigerunt*, *quia* non eſt timor *ſanctus* Dei *veri* ante oculos & *in præſentia* eorum.

Nónne cognoſcent *ultionem venturam* omnes qui operantur *perſeveranter* iniquitatem * *nunc ſine timore*; qui devorant, *ſeducunt*, & *occidunt*

plē-

plebem meam *electam Christianam*, ficut *quotidianam* escam panis? *panis enim, quotidianus cibus est.*

Dominum *Christum venientem in carnem* non invocaverunt, * *in illum credendo*: *& ideo* illic trepidaverunt *vano* timore, *sicut Pilatus timore Cæsaris, & Judæi timore Romanorum*, ubi *tamen* non erat *habendus* timor.

Quoniam Dominus, *qui justitias diligit*, in generatione justa est, *& non in eis qui diligunt sæculum*: *sed vos, Judæi*, consilium *Christi* inopis *contemsistis*, *&* confudistis * *humilem adventum ejus*, quoniam Dominus *Deus Pater* spes *sola* ejus est.

Quis *alius* dabit ex Sion, *de Judæis procedens*, salutare, *ut sit salvator* Israël * *populo fideli, ut veniat Euangelium salutis*? *certe tunc* cum averterit Dominus *Jesus Christus* captivitatem plebis suæ *à jugo legis Mosaicæ, tunc* exultabit Jacob *de completa promissione Dei*, et lætabitur *atque gratias aget* Israël *cœtus fidelium.*

ORA-

ORATIO.

Respice, Domine, de cœlo sancto tuo, ut, viam pacis agnoscentes, ambulemus in timore sancto tuo: ut, hìc Jacob effecti, supplantatis vitiis, tandem veri Israëlitæ in cœlesti Jerusalem inveniamur. Per Dominum nostrum.

PSALMUS XIV. [*sec. Heb. XV.*]

Psalmus *iste est* David *Prophetæ, instructorius morum, & præsumtionis repressio.*

DOmine *Deus*, quis habitabit *dignè & perseveranter* in tabernaculo tuo * *& Ecclesia militante, in quo sunt multi mali?* aut quis requiescet *post militiam & laborem* in monte, *ubi est visio pacis*, sancto tuo, *& in Ecclesia triumphante?*

Qui ingreditur *peregrinationem hujus vitæ* sine macula * *& labe mortalis culpæ*; et operatur justitiam, *bona videlicet opera, ac justa mandata Dei adimplendo.*

Qui loquitur *& prædicat* veritatem *Dei* in corde suo * *perfecto*: qui non egit, *ad decipiendum proximum*, dolum

&

& fraudem in lingua sua, *aliud habens in ore, aliud in corde.*

Nec fecit *aut machinatus est* proximo suo *aliquod* malum * *in facto*; et opprobrium *detractionis* non accepit, *gratum habens*, adversus proximos suos, *temerè calumniatoribus credendo.*

Ad nihilum *reputatus*, *&* deductus est *sine honore*, in conspectu *& reputatione* ejus, *homo* malignus * *qui obloquitur proximo*: timentes autem *puro corde* Dominum *ac verè virtuosos* glorificat, *honorat*, *gloriosos reputat.*

Qui jurat *fidem servando* proximo suo *firmiter*, et non decipit, * *neque seducit*: qui pecuniam suam *gratis proximo concessit*, *&* non dedit *illam* ad usuram *ut feneraretur*; et munera *injusta* super innocentem, *ut eum deprimeret vel causam retardaret*, non accepit.

Qui facit *& complet opere* hæc * *quæ dicta sunt*, *is* non movebitur *hìc à statu gratiæ*, *nec* in æternum *à statu gloriæ*: *immò regnabit in patria.*

ORATIO.

Præsta, quæsumus, ut sine macula ingre-

diamur Ecclesiam tuam, & operemur justitiam indesinenter, atque à dolis proximi, oppressionibus, & usuris avertamur; ut sic non excidamus à cœtu filiorum Dei, neque abjiciamur à te vero Deo nostro Jesu Christo. Amen.

PSALMUS XV. [*sec. Heb. XVI.*]

Tituli *triumphalis* inscriptio *& declaratio, attributa* ipsi David, *& Christo resurgenti: quum hic Psalmus agat de passione & resurrectione Christi.*

COnserva (*inquit Christus homo*) me *tuum filium*, Domine *Deus Pater*, quoniam speravi in te * *solo.* Dixi Domino *Patri*: Deus meus es tu, *& homo sum ego*, quoniam bonorum meorum, *qui fons es omnis boni*, non eges; *sed ego potius tuo beneficio.*

Sanctis *& Apostolis viris*, qui sunt in terra *& Ecclesia sancta* ejus * *Dei Patris*, mirificavit *& mirabiles ostendit* omnes *& singulas* voluntates meas; *eos illustrando lumine sapientiæ suæ, & prædicationes* in eis *miraculis confirmando.*

Multiplicatæ sunt *apud Gentiles* infir-

firmitates *& cæcitates idololatriæ* eorum : * *tamen* poſtea, *dimiſsis idolis*, acceleraverunt, *currendo velociter ad fidem Chriſti per prædicationem Apoſtolorum.*

Non congregabo *amplius* conventicula eorum, *Gentium, & delubra idolorum, ut inde fiat ſacrificium* de ſanguinibus * *animalium* : nec memor ero *amplius* nominum eorum, *quòd ſint filii carnis & iræ* : *ſed* per labia mea *vocabuntur Chriſtiani & filii Dei.*

Dominus *Pater eſt* pars, *portio, & præmium* hereditatis meæ, *videlicet ſanctorum, qui ſunt hereditas mea : & etiam Dominus eſt pars, præmium,* et *merces* calicis mei * *& paſsionis meæ:* tu, *Pater*, es qui,*per meritum crucis meæ*, reſtitues *olim perditam* hereditatem meam *jam* mihi *debitam*, *fideles inquam qui per peccatum perierant.*

Funes, *quibus dividuntur hereditatum poſſeſsiones*, ceciderunt mihi *quaſi ſorte* in præclaris * *& electis hominibus* : etenim *hujuſmodi* hereditas mea, *quæ eſt Eccleſia fidelium*, præclara *& prædilecta* eſt mihi *per abundantiam*

gratiæ & sanctitatis.

Benedicam Dominum *Patrem, gratias agendo*, qui tribuit mihi *& membris meis mihi conjunctis* intellectum * *suæ divinitatis* : insuper et usque ad noctem *& mortem crucis* increpuerunt me *vexando injuriis & blasphemiis* renes mei, *qui sunt Judæi, ex quibus secundum carnem natus sum.*

Providebam *& aspiciebam* Dominum *exsistentem* in conspectu meo semper, * *ut omnia juxta voluntatem suam agerem* : quoniam *Dominus* à dextris est mihi *favens ac propitius*, ne commovear *injuriis Judæorum.* [*Actuum* 2. 25.]

Propter hoc *adjutorium divinum*, lætatum est cor meum *gaudio interiori*, et exultavit *in verbis* lingua mea * *gaudio exteriori* : insuper *etiam* et caro mea *non deficiet post mortem, sed* requiescet *in sepulcro sine putrefactione per triduum*, in spe *resurrectionis futuræ.*

Quoniam *tu, Deus meus*, non derelinques *morte communi* animam meam *humanam* in inferno, * *ubi descendet ad liberandum sanctos* ; nec dabis *aut*

pa-

patieris corpus meum, quod est sanctum tuum *à te sanctificatum*, videre corruptionem *& putrefactionem.* [*Act.* 2. 31. 13. 35.]

Notas mihi *& meis* fecisti, *Domine Pater*, vias vitæ, *ut in mandatis tuis ambulemus*: adimplebis me *& meos* lætitia *spirituali* cum vultu tuo, * *de fruitione divinitatis*: *&* delectationes *erunt mihi* in dextera tua, *posita facie ad faciem*, *& hoc* usque in finem, *æternaliter.*

ORATIO.

Conserva nos, Domine, sperantes in te, ut simus portio hereditatis tuæ: & notas nobis facito vias vitæ, ut lætitia resurrectionis à dextris tuis cum omnibus sanctis lætemur. Per Dominum nostrum Jesum Christum.

PSALMUS XVI. [*sec. Heb.* XVII.]

Oratio *ista est Christi ad Patrem pro se, qui est Caput & Ecclesia, quod est membrum signati per* David, *qui manu fortis & desiderabilis interpretatur.*

EXaudi, Domine *Deus*, justitiam meam, * *qua tibi usque ad mortem obediens fui*: intende & *ausculta ad* deprecationem meam, *liberando me à malis*.

Auribus *clementiæ tuæ* percipe *veratem* orationem meam, * *quæ est de bonis adipiscendis, factam quidem* non in labiis dolosis, *sicut illi dicunt & non faciunt voluntatem Patris*.

De vultu & *aspectu* tuo *divino* judicium meum, *quo judicatus sum à Pilato*, prodeat * *in publicum ad ñotitiam omnium gentium*: & oculi tui, *judicando inter me & illos*, videant æquitates, *retribuendo mihi gloriam resurrectionis*, & *Judæis pœnam condignam suæ iniquitatis*.

Probasti cor meum *utrum tibi obediens forem usque ad mortem*, et visitasti nocte * *tribulationis*; & igne *acerbissimæ passionis* me examinasti, *ceu metallum igne probatur*: et *tamen* non est *aliqua* inventa in me *justo* iniquitas, *quia semper humilis & obediens fui*.

Ut

Ut non loquatur *neque proferat* os meum *nisi quod ad tuam gloriam pertineat*, *& non* opera hominum, * *quæ vana sunt & præsumtuosa*; propter verba *prophetica* labiorum tuorum *adimplenda de redemtione generis humani*, ego custodivi *laboriosas* vias *&* duras, *paupertatis scilicet*, *mortalitatis*, *& passionis*.

Perfice, Domine, gressus *& actus* meos, *quibus in hoc mundo ceu quibusdam pedibus ambulamus*; *& hoc* in semitis *& mandatis* tuis * *adimplendis*: ut non moveantur *retrorsum* vestigia mea, *qui scilicet me imitantur itinere recto ad patriam cœlestem*.

Ego clamavi *valida intentione*; *&*, quoniam *confidentiam habui impetrandi*, exaudisti me, Deus * *meus*: inclina aurem tuam *misericordiæ* mihi *humili*, et exaudi verba mea *quæ sequuntur*.

Mirifica *per passionem Filii tui* misericordias tuas, * *reconciliando tibi humanum genus deperditum*, qui salvos facis *in æterna beatitudine* sperantes in te *& tua gratia*.

A resistentibus *Judæis* dexteræ *&* *majestati* tuæ, *qui sum dextera tua, per quam facta sunt omnia*, custodi me * *secundum humanitatem*, ut pupillam oculi, *quæ tenerrimè custoditur.*

Sub umbra *&* *munimento* alarum tuarum *misericordiæ* *&* *caritatis*, protege me * *&* *meos* à facie *&* *præsentia* impiorum *Judæorum*, qui me afflixerunt *usque ad mortem crucis.*

Inimici mei *Judæi* animam *&* *vitam* meam circumdederunt *gladiis* *&* *fustibus*, *volentes me perdere* : adipem suum *&* *viscera misericordiæ* concluserunt, * *persequendo me* : *&* os *impudens* eorum *Judæorum* locutum est *contra me* superbiam, *dicentium* : *Ave*, *rex Judæorum.*

Projicientes *extra civitatem* me *ad crucifigendum*, nunc *&* *tunc* circumdederunt *cum furore* me, * *in cruce deridentes* : *&* *hoc ideò*, *quia* oculos suos *invidos* statuerunt *non elevare ad Deum*, *sed* declinare in terram *suam* *&* *gentem*; *ne fortè venirent Romani ut tollerent locum* *&* *gentem*, *si Christum non occiderent.*

Suf-

Suſceperunt me *principes Judæorum à Pilato*, ſicut leo *famelicus* paratus ad prædam * *devorandam*; et *populus reliquus Judæorum* ſicut catulus leonis, *aſſentiens principibus ſacerdotum*, habitans & *permanens* in abditis *inſidiis, fremens more ferarum contra Chriſtum, ut perderent juſtum.*

Exurge *ad vindictam*, Domine *Deus*, *quem dormire arbitrantur*, & præveni eum *populum Judaicum excæcando in malitia ſua*; et *ita* ſupplanta *ac ſubverte* eum, * *ut locum & gentem perdat*: eripe animam meam, *reſuſcitando eam à morte*, *quæ mihi* ab impio *populo irrogata eſt*: frameam tuam & *animam meam*, *qua uſus es ceu framea ad debellandum diabolum, hanc inquam*, *erue* ab inimicis manus & *virtutis* tuæ.

Domine *Deus*, à paucis *juſtis & electis* de terra *viventium* divide & *ſepara* eos, *per diverſa loca diſpergendo in captivitatem* in vita eorum, *quamdiu vivant*: * & de abſconditis tuis, *quaſi peccata eorum tibi abſconderentur*, adimpletus eſt *adeò* venter eorum, *ut*

obli-

oblivifcantur Deum.

Saturati funt *vitiis & peccatis, tamquam* filiis * *quæ ipfi fibi genuerunt* : et dimiferunt *in hereditatem* reliquias fuas *maledictionis* parvulis *& pofteris* fuis, *clamantes : Sanguis ejus fuper nos & fuper filios noftros.*

Ego autem *Chriftus, cum victoriæ triumpho*, in juftitia *tua divina* apparebo, *devicta morte*, confpectui tuo, * *cùm ad te affumtus fuero : & ego* fatiabor *falute generis humani*, cum apparuerit *in fanctis electis meis* gloria tua *æterna, quia ipfi in me, ego in illis tecum.*

ORATIO.

Domine Jefu Chrifte, qui falvos facis fperantes in te, cujus crux falus univerforum eft : cuftodi nos peccatores ut pupillam oculi, atque fub umbra alarum tuarum, quæ funt mifericordia & caritas, protege nos ; ut, examinati divino igne, tandem in juftitia tua appareamus confpectui tuo, cum venerit gloria tua in electis : quia tu es benedictus in fæcula fæculorum. Amen.

PSALMUS XVII. [*sec.Heb.XVIII.*]

In finem, *videlicet Christum. Conveniunt hæc* puero Domini *Dei*, *filio* David *secundum carnem*, qui locutus est *Christus* Domino *Deo Patri* verba cantici hujus *agentis de lætitia resurrectionis Christi*, in die qua eripuit *&* *liberavit* eum Dominus *Pater cum suis fidelibus* de manu *&* *potestate* omnium inimicorum ejus; *videlicet Judæorum quantum ad Christum*, *&* *dæmonum quantum ad membra*; et de manu Saul, *hoc est*, *mortis æternæ. Loquitur ergo hìc Christus & Ecclesia: id est*, *totus Christus*, *caput & corpus.*

DIligam te *toto corde meo*, Domine *Deus*, *quia tu es* fortitudo mea * *contra insultus inimicorum*: Dominus *Deus etiam est* firmamentum meum *ut tolerem adversa constanti animo*, et refugium meum *in periculis*, et liberator meus *de morte inferni*.

Deus meus, *qui me creasti*, adjutor *ac cooperator* meus * *in bono*: et *ideo* sperabo in eum, *per quem salvabor*, *&*

non

non in alium. [*Hebr.*2. 13.]

Protector meus *contra insurgentes hostes*, et cornu *firmum* salutis meæ * *ad dissipandos inimicos*, et susceptor meus *per gratiam.*

Laudans, *non meam, sed Dei gloriam*, invocabo Dominum * *cum devotione cordis* : et *sic, ejus adjutorio*, ab inimicis meis, *tam carnalibus, quàm spiritualibus*, salvus ero, *cùm omnis qui invocaverit nomen Domini salvus erit.*

Circumdederunt me *agminatim* dolores mortis, * *quum mors invidia diaboli intravit in orbem terrarum* : et torrentes *ac fluxus* iniquitatis, *cum impetu venientes in mundum*, conturbaverunt me *sua inundatione malorum.*

Dolores inferni *& invidiæ, quæ ducunt ad infernum*, circumdederunt me * *innocentem* : & præoccupaverunt me *ad nocendum etiam* laquei mortis, *qui sunt reatus originalis culpæ.*

(*) In *hac tanta* tribulatione mea & *pres-*

(*) Ab hoc versu usque ad finem, omnia verba possunt transferri & in præterito, & in futuro, & in præsenti.

pressura, invocavi *adjutorem* Dominum, * *qui est unicum solum remedium inter mala*: et ad Deum *Patrem* meum, *pro liberatione generis humani*, clamavi *indesinenter*.

Et exaudivit *Deus Pater* de templo sancto suo, *de cœlo gloriæ in quo habitat*, vocem meam * *humilem ac justam*: et clamor meus *indefessus*, *pro mundi salute* in conspectu ejus *factus*, introivit in aures *potentiæ & clementiæ* ejus.

Commota est *incarnationis tempore*, et contremuit *per prædicationem Christi & Apostolorum ipsa* terra, * *& peccatores terrenis dediti*, *& etiam in corde per pœnitentiam*: fundamenta montium *ac præsumtiones superborum in divitiis & honoribus mundi* conturbata sunt *etiam* et commota sunt *ab eorum arrogantia*, quoniam *Dominus* iratus est eis *propter peccata*.

Ascendit *lacrimosa deprecatio pœnitentium*, *quæ est* fumus *gratus Deo*, in ira ejus, *cùm novissent quid minatur Deus*; et, *post pœnitentiam*, ignis *charitatis & amoris* à facie ejus *& notitia*

Do-

Domini nostri exarsit, * *& ardere cœpit: & ita* carbones *extincti & mortui* succensi sunt, *& illuminati revixerunt* ab eo *igne charitatis.*

Inclinavit *& humiliavit* cœlos, *& altitudinem potentiæ atque sapientiæ suæ*, et *statim* descendit * *Christus in carne, formam sibi accipiens*: et caligo *diabolus, qui hominum mentes obnubilat, est* sub pedibus *& potestate* ejus *Christi salvatoris.*

Et *post resurrectionem* ascendit *Christus* super Cherubim *& omnem angelicam celsitudinem*, et volavit * *longe in altum*: volvit, *inquam*, super pennas ventorum, *rapiens se ab intellectu nostro.*

Et posuit *mysterium suæ incarnationis tamquàm* tenebras, *quia divinitatem suam carnis nube contexit, quæ est* latibulum suum *& secretum majestatis suæ*: in circuitu ejus *est Ecclesia militans, quæ est* tabernaculum ejus, * *quia in illa habitat: tamen* tenebrosa *& obscura est* aqua *& scriptura inundans Ecclesiam* in nubibus aëris *& prophetis obnubilantibus: videmus enim nunc per speculum in ænigmate.*

Præ

Præ fulgore, *à claritate quæ est in conspectu & cognitione* ejus *Christi*, nubes, *qui Apostoli sunt elucidantes verbum Dei*, transierunt * *per mundum, ut* grando, *objurgando, & dura corda feriendo*; et *etiam ut* carbones ignis, *humana corda igne caritatis & fidei accendendo.*

Et intonuit *per ora justorum* de cœlo Dominus, *ut audiremus cœlestia*: et altissimus *per Apostolos* dedit *atque euangelizavit* vocem *& voluntatem* suam * *divinam per verba comminationis, quæ sunt* grando *in turbinibus malorum*; et *per præmia justorum, quæ sunt* carbones *divini* ignis *& amoris.*

Et misit *Apostolos suos tamquam* sagittas suas, *volantes & strenuè annuntiantes voluntatem Dei*; et dissipavit *atque dispersit* eos * *ad quos missi sunt, quia aliis fuerunt odor vitæ in vitam, aliis odor mortis in mortem*: fulgura *& miracula coruscantia* multiplicavit *per Apostolos*, et *per illa* conturbavit eos *ad pœnitentiam.*

Et *tunc* apparuerunt *veritates prædicantium Euangelia, quæ sunt* fontes aqua-

aquarum * *ſalientium in vitam æternam, unde bibimus omnes*: et *tunc* revelata ſunt *atque intellecta dicta Prophetarum, quæ ſunt* fundamenta *ſuper quæ ſtabilitur* orbis terrarum.

Ab increpatione tua *facta peccatoribus*, Domine, * *per verba prædicantium, converſi ſunt in bonum*, & ab inſpiratione *atque doctrina* ſpiritus iræ tuæ *comminantis & verendæ.*

Miſit (*Eccleſia loquitur*) de ſummo *cœlo Pater Chriſtum ſalvatorem*, et accepit me * *in ſponſam*, et aſſumſit me *in hereditatem* de aquis multis *in baptiſmo.*

Eripuit & *liberavit* me *ſponſam ſuam* de inimicis & *perſecutoribus* meis fortiſsimis & *crudelibus*, *affligentibus populum Chriſtianum*, et ab his *hæreticis* qui oderunt me * & *nomen meum*: quoniam confortati ſunt, & , *potentiores effecti* ſuper me, *quaſi vincere poſſunt.*

Prævenerunt me *inſidiis* in die & *tempore* afflictionis & *perſecutionis* meæ, * *quando martyres trucidabant*: et *tunc* factus eſt Dominus *Deus* protector

ctor meus, *ne ſuccumberem.*

Et eduxit me, *de anguſtia tribulationis*, in latitudinem * *conſolationis & bonæ ſpei*: ſalvum me fecit, *dando perſeverantiam*, quoniam voluit *&* *elegit* me *gratis.*

Et retribuet mihi Dominus *gratiam pro gratia*, ſecundum juſtitiam *& bonam voluntatem* meam, * *quam ipſe in me operatus eſt*; &, ſecundum puritatem *& innocentiam* manuum mearum *atque meorum operum bonorum*, retribuet mihi, *qui dedit ut facerem.*

Quia cuſtodivi *perſeveranter* vias Domini, * *quæ ſunt dilectio Dei & proximi*; nec impiè geſsi, *recedendo per peccatum* à Deo meo.

Quoniam omnia *divina* judicia ejus, *quæ ſunt præmia juſtorum, & flagella impiorum, ſunt* in conſpectu meo * *ſemper*; et juſtitias *atque mandata* ejus, *quæ juſsit*, non repuli à me, *immò complevi.*

Et ero *in æternum* immaculatus cum eo: * *qui enim adhæret Deo, unus ſpiritus eſt cum eo*: et obſervabo *atque præcavebo* me ab iniquitate mea, *ne recidivem.*

Et retribuet mihi Dominus *mercedem* ſecundum juſtitiam, *quam* meam * *dico, non à me, ſed per gratiam*; et ſecundum puritatem manuum *ac operationum* mearum, *quæ ſemper ſunt* in conſpectu oculorum *&* *divinitatis* ejus *præſentialiter*.

Cum ſancto *homine converſando*, ſanctus eris, * *propter ejus vitam & exempla*: et cum viro innocente, *qui vitam ſuam non corrumpit vitiis*, innocens *etiam & tu* eris, *ejus veſtigia imitando*.

Et, cum electo *atque prædeſtinato ad vitam æternam*, electus eris, * *eum imitando*: et, cum perverſo *in vita & moribus*, perverteris *malis ejus exemplis*.

Quoniam tu, *Domine*, populum humilem, *pœnitentiam agentem*, ſalvum facies * *in die judicii*; et oculos *arrogantes* ſuperborum, *qui magni ſunt in oculis ſuis*, humiliabis *in tartari profundo*.

Quoniam tu illuminas, *in tenebris hujus vitæ*, lucernam *&* *animam* meam *intellectualem*, Domine; * Deus meus, illumina *per tuam gratiam* tenebras meas, *& ignorantias cordis mei*.

Quoniam in te, *per te, & non per*

me,

me, eripiar *& liberabor* à tentatione * *diaboli*: et in Deo meo *atque virtute ejus* transgrediar murum, *vitiorum congeriem superando.*

Deus meus *talis est quidem*, *ut* impolluta *atque immaculata sit* via ejus: *insuper* eloquia Domini *sunt purissima*, *ut argentum splendida*, igne *caritatis* examinata * *& probata*: *etiam* protector est *Dominus* omnium *hominum* sperantium in se *& ipsius misericordia.*

Quoniam quis Deus *est alius* præter Dominum? * aut quis Deus *est adorandus* præter Deum nostrum *Christianorum*? *quem ritè colimus*: *quum omnes dii Gentium*, *dæmonia sint.*

Deus, qui *armavit &* præcinxit me, *ut fortis sim*, *in* virtute * *sua*, *ad pugnandum contra diabolum*; et posuit *atque custodivit* immaculatam *à labe peccati* viam *& vitam* meam.

Qui perfecit *& direxit* pedes *& affectus* meos *in via Dei agiles*, tamquam cervorum, * *ad transilienda*, *sine læsione*, *spinosa & umbrosa hujus sæculi*; et super excelsa *cœlestia* statuens

me *& cor meum.*

Qui docet *& fortificat* manus meas ad prælium, * *in expugnatione diaboli*: et poſuiſti *atque firmaſti* ut arcum æreum *inflexibilem* brachia mea, *dando conſtantiam ad bene operandum.* [2. Reg. 22. 35.]

Et dediſti mihi, *in fortitudinem animæ meæ*, protectionem ſalutis tuæ : * et dextera tua, *favor gratiæ tuæ*, ſuſcepit me, *tamquam medicus ægrotum.*

Et diſciplina tua, *tribulationes nempe temporales à te immiſſæ*, correxit me, *ne deviem, ſed* in finem * *illum tendam ubi cohæream tibi* : et diſciplina tua ipſa *utique* me docebit *pervenire quò direxit: quia à Deo inflicta vexatio inſtruit intellectum.*

Dilataſti *& latè extendiſti* greſſus meos *& carnales affectus* ſubtus me, * *quia ratio illis prævalet*: et *ideo* non ſunt infirmata *in tribulationibus mundi* veſtigia *& opera* mea, *quæ ſunt ſigna bonarum affectionum.*

Perſequar inimicos *& affectus* meos *carnales*, et comprehendam *illos*, * *priuſquam progrediantur in actum* : et

non

non convertar *ab hac intentione*, donec deficiant *mortificati.*

Confringam illos *ſpiritus malignos & motus carnales*: nec poterunt ſtare * *& perſeverare adverſus me, ſed* cadent *tua virtute* ſubtus pedes meos, *& vincentur.*

Et *hoc eſt ex eo quia* præcinxiſti *& armaſti* me virtute *gratiæ tuæ* ad bellum * *contra peccata*, et ſupplantaſti *tu, non ego, adverſarios* inſurgentes in me, *& contra me*, ſubtus me; *ut diabolus, mundus, & deſideria carnis non dominentur mihi.*

Et inimicos meos, *Judæos, (inquit Chriſtus)* dediſti mihi *quaſi* dorſum, * *quum ipſi me perſequerentur*: et odientes me *perſeveranter* diſperdidiſti *per univerſum orbem.*

Clamaverunt *in ea perditione ſua*; nec erat qui ſalvos faceret *eos, quum non ſit alius præter te*: ad Dominum*, *inquam*, *clamaverunt*, nec *tamen* exaudivit eos *obſtinatos in malitia.*

Et comminuam *& confringam* eos *ad nihilum*, ut pulverem *qui* ante faciem venti * *ſemper movetur & ſpargi-*

 tur:

tur : *atque* ut *vilissimum* lutum platearum, *quod ab omnibus conculcatur*, delebo eos *obstinatos Judæos*.

Eripies me, *Deus Pater*, de contradictionibus populi * *Judaici*, *qui veritati tuæ & mihi contradicunt* : & constitues me, *ereptum ab illis perfidis*, in caput, *ut sim rector* gentium *infidelium quæ Christianismum amplexabuntur*.

Populus *per orbem terrarum*, quem non cognovi *neque visitavi in lege aut Prophetis*, servivit mihi, * *credendo & colendo* : &, *licet me non viderit*, *tamen* in auditu auris, *prædicato Euangelio*, obedivit mihi *credendo*.

Filii *olim electi mei*, *sed nunc facti* alieni, *quia filii diaboli*, mentiti sunt mihi, * *blasphemantes contra me* : & *ipsi* filii alieni *Judæi* inveterati sunt & *obstinati in suis erroribus*, et claudicaverunt *uno pede*, *quia Vetus Testamentum & non Novum receperunt* : *unde erraverunt* à semitis suis, *à lege*, & *Prophetis*, *sequentes litteram*, & *non spiritum*.

Vivit Dominus *in me sua præsentia*, et benedictus *atque laudandus sit* Deus

pa-

pater meus * *per ora fidelium*, et exaltetur *atque dominetur toti orbi per fidem* Deus *auctor* ſalutis meæ.

Deus, *tu es* qui das *de inimicis meis* vindictas mihi *ad ulciſcendum*, et ſubdis populos *gentium* ſub me, * *ut obediant fidei : certe tu es* liberator meus de inimicis meis *impiis*, iracundis, *valde furentibus in perſecutione mea.*

Et ab *perſecutoribus* inſurgentibus in me, *ut noceant*, exaltabis me, * *quia pertuli & vici injurias* : à viro iniquo, *qui potens eſt ad malum*, eripies *atque liberabis* me.

Propterea *ob has cauſas* confitebor tibi *confeſſione laudis* in nationibus *omnibus*, Domine * *omnium*; et nomini tuo, *tum voce*, *tum opere*, pſalmum dicam, *glorificando.* [2.*Regum* 22. 50. *Rom.* 15. 9.]

Magnificans *& oſtendens toti orbi* ſalutes *mirabiles* regis *Chriſti filii* ejus, *Patris videlicet, quas rex Chriſtus in humano genere operatus eſt, qui eſt ſalus credentium*; et *ipſe Deus Pater eſt* faciens miſericordiam Chriſto *filio* ſuo *Domino noſtro, qui eſt* David * *manu for-*

tis, et femini ejus, *omnibus in eum credentibus*, *quod per Euangelium genuit*, uſque in ſæculum *& ſine fine.*

ORATIO.

Protector noſter Deus, & cornu ſalutis noſtræ, fortitudo, firmamentum, & unicum refugium noſtrum: ſalva nos ab inimicis, tam viſibilibus, quàm inviſibilibus, & educ nos de anguſtia tribulationis in latitudinem conſolationis & bonæ ſpei. Illumina quoque tenebras cordis; ne, inveterati in peccatis, claudicemus à ſemitis tuis, & aberremus à vero lumine, qui CHRISTUS eſt benedictus in ſæcula. Amen.

PSALMUS XVIII. [*ſec.Heb.XIX.*]

In finem *& in Chriſtum, qui eſt finis conſummationis*, Pſalmus *ipſius* David *Prophetæ.*

COEli *& ipſi Apoſtoli, cæleſti doctrina imbuti*, enarrant *ſua prædicatione* gloriam *& majeſtatem* Dei* *Chriſti, in qua eſt æqualis Patri*: et opera *atque facta* manuum *& virtutum* ejus, *quæ ſecundum hominem geſſit, videlicet nativitatem, paſſionem,* &

& mortem, annuntiat firmamentum *Apostolorum*, *qui firmati sunt Spiritu Sancto*, *& solidati in fide & caritate.*

Dies *cœlestis & illuminans doctrina*, diei *genti Christianæ electæ per gratiam*, eructat *mysteria divina*, *atque edocet* verbum * *incarnatum*, *videlicet Christum* : et nox, *quæ est prudentia cæca humana*, nocti *atque homini ambulanti in tenebris*, indicat, *non sapientiam spiritualem*, *quæ est de divinis*, *sed* scientiam *humanam*, *vanam*, *& animalem.*

Non sunt *neque fuerunt* loquelæ *& genera dicendi*, neque sermones * *aut idiomata mundi*, quorum *per Euangelii prædicationem* non audiantur *aut intelligerentur* voces *& annuntiationes* eorum *Apostolorum de Christo* : *quia prædicabant linguis omnium gentium.*

In omnem terram, *à solis ortu usque ad occasum*, exivit *à Jerusalem* sonus *& prædicatio* eorum * *Apostolorum*, et in fines orbis *& ambitum* terræ *ipsius* verba *divina Christum annuntiantia* eorum *Apostolorum.* [*Rom.* 10. 18.]

In sole *& lumine totius mundi*, *quia*

fa-

factus homo visibilis, posuit *Christus* tabernaculum *&* *corpus* suum * *assumtum ex Virgine*: et ipse, tamquam sponsus *Ecclesiæ*, *toties promissus per prophetas*, *fuit* procedens *in mundum* de thalamo suo, *de intacto utero virginali.*

Exultavit, *quia non invitus*, *sed ultro*, ut gigas *fortissimus* ad currendam viam, * *quam suscepit pro redemtione generis humani.* A summo cœlo, *videlicet à Patre per æternam generationem*, egresio ejus *in mundum*, *factus homo.* [*Luc.* 24. 46.]

Et occursus *atque egressio* ejus, *in sua ascensione*, *fuit* usque ad summum ejus, * *quia sedet ad dexteram Patris*: nec est *homo* qui se abscondat à *gratia* *&* calore *spiritus* ejus, *quum electorum suorum corda accendit & illuminat.*

Lex Domini *Euangelica* immaculata *est*, *munda*, *ac pura*, *omne malum excludens*, convertens animas * *de malo ad bonum*: testimonium Domini *in Euangelio promissum* fidele *est*, *verax*, *& ineffabile*, sapientiam *divinam* præstans parvulis, *simplicibus & humilibus.*

Jus-

Justitiæ *Christi* Domini *Dei nostri* rectæ *sunt (quia, sicut docuit, sic & fecit)*, lætificantes *spe præmii etiam* corda * *credentium*: præceptum Domini, *Novum videlicet Testamentum*, lucidum *est, quum in eo veritas revelata sit*, illuminans *interiores & mentales* oculos *hominis*.

Timor Domini *filialis ex amore procedens* sanctus *est*, permanens *in æterna beatitudine, & numquam* in sæculum sæculi * *excidens*: judicia *& mandata* Domini, *tum in Veteri tum in Novo Testamento scripta*, vera *sunt, neminem fallentia*, & justificata, *non aliena auctoritate, sed* in semetipsa *immutabili veritate perseverantia*.

Desiderabilia *sunt mandata* Novi *& Veteris Testamenti* super aurum *atque omnes divitias mundi*, et *super* lapidem pretiosum, *pascentem oculos* multum * *vana oblectatione*: et *etiam* dulciora *sunt devotis mentibus* super mel *& omnem dulcedinem mundi, etiam* et *super* favum, *quia ad gloriam perducunt æternam*.

Etenim *verè dulcia sunt, quia* servus

vus tuus, *verus Christianus*, *devotè ac perseveranter* custodit ea, * *operibus adimplendo*; *quia scit quòd*, in custodiendis *perseveranter* illis *mandatis*, *sequetur* retributio *inæstimabilis & multa nimis*, *quia vita æterna.*

Delicta *omnia, quæ plurima sunt*, quis *hominum* intelligit *& cognoscit*? *nullus certe*, *nisi tu*, *qui omnia nosti*: *quocirca* ab occultis *peccatis* meis *oblitis & ignoratis* munda me, * *illa remittendo*; et ab alienis *peccatis*, *quæ suadentibus malignis spiritibus aut hominibus commisi*, parce servo tuo, *tu cui proprium est misereri*, *& parcere*, *& salvare.*

Si mei *inimici*, *qui sunt tum interna tum externa tentatio*, non fuerint dominati *& prævalentes super me*; tunc immaculatus *& purus* ero * *à labe criminali*, et *tunc* emundabor *perfectè* à delicto maximo, *quæ est infidelitas*, *apostatare à Deo.*

Et *tunc* erunt, *post perfectam mundationem*, ut complaceant *tibi & accepta habeas* eloquia, *orationes & laudes* oris mei * *gratias agentis*; et medita-

ratio *interna* cordis mei *jam mundi grata & accepta erit* in conſpectu tuo *divino* ſemper, *quia conſcientiam puram deſideras.*

Domine, *eſto* adjutor *& cooperator* meus * *in bonis agendis*, et redemtor meus *ab iniquitate mea.*

ORATIO.

Deus, qui, virginali thalamo egreſſus, rurſum ad Patris dexteram conſcendiſti: immenſam tuam miſericordiam expoſcimus, ut, lege tua Euangelica converſi, mandatis illuminati, teſtimoniis eruditi, in timore tuo ſancto permanentes; à peccatis, tam occultis, quàm alienis, nos emundare digneris JESUS CHRISTUS, Dominus noſter. Amen.

PSALMUS XIX. [*ſec. Heb.* XX.]

In finem *Chriſtum* Pſalmus *ipſius* David *Prophetæ*, *ubi deſcribitur divinitas Chriſti ſacerdotalis & regalis.*

EXaudiat te, *ò Chriſte*, Dominus *Pater* in die *paſsionis &* tribulationis * *tuæ*, *in qua ceu ſacerdos offeres*

res ei hostiam pro nobis: protegat te *immortalitate* nomen Dei *ipsius* Jacob, *qui præfigurat populum Christianum minorem.*

Mittat tibi *&* *tuis Pater* auxilium *suum* de sancto * *Spiritu*; et de Sion *atque divinitate sua, per quam speculatur omnia*, tueatur te *&* *Ecclesiam suam.*

Memor sit *Ecclesia* omnis sacrificii tui * *& totius passionis tuæ, quam pro nobis pertulisti*: et holocaustum tuum, *quod obtulisti Deo Patri pro peccatis nostris*, pingue fiat, *placitum, & acceptum Deo in reconciliationem.*

Tribuat tibi *Deus Pater* secundum cor *& desiderium* tuum, * *per efficaciam passionis tuæ*; et omne consilium tuum *impleat atque* confirmet: *ut, quia cæcitas ex Israël facta est, plenitudo gentium intret.*

Lætabimur *nos* in salutari tuo * *atque in salute à te nobis collata*: et in nomine Dei nostri *Jesu Christi* magnificabimur, *cùm à tuo nomine dicti simus Christiani.*

Impleat Dominus *Pater* omnes petitiones tuas, * *quibus in cœlo interpellas*

las pro nobis: nunc, *per prophetiam*, cognovi, *& mihi demonstratum est*, quoniam salvum fecit *& resuscitavit à mortuis* Dominus *Pater Jesum* Christum *filium* suum.

Exaudiet illum *Christum Deus Pater* de cœlo sancto suo, * *ubi interpellat pro nobis*: *&* in potentatibus *nostris est* salus dexteræ ejus *Christi*, *cùm nos potentes simus ex auxilio gratiæ ejus.*

Hi in curribus *& volubili temporalium successione trahuntur*, et hi in equis * *efferuntur terrena dignitate*: nos autem, *in supernis spem figentes*, in nomine Domini *Jesu Christi* Dei nostri invocabimus *divinam clementiam.*

Ipsi *reprobi*, obligati *& illaqueati* sunt *funibus peccatorum*, *& temporalium cupiditate*, et *de spe cœlesti* ceciderunt * *in mortem æternam*: nos autem, *per Dei gratiam*, surreximus *de peccatis & morte*, et erecti sumus *in spem veniæ ad divina & cœlestia contemplanda.*

Domine *Deus Pater*, salvum fac regem * *Christum*, *ipsum resuscitando à mortuis*; et exaudi nos *per eum* in die

ne-

necessitatis nostræ, qua invocaverimus te: *quia quicumque invocaverit nomen Domini salvus erit.*

ORATIO.

Exaudi nos, Domine, de cœlo sancto tuo, & imple omnes petitiones nostras, tu qui es salus dexteræ nostræ: ut, erecti in spem veniæ de peccatis, quibus obligati & illaqueati fuimus, surgamus in nomine Domini nostri JESU CHRISTI Dei nostri, de cujus passione affligamur, ac resurrectione lætemur. Qui cum æterno Patre & Spiritu Sancto vivit & regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

PSALMUS XX. [*sec. Hebr.* XXI.]

In finem *& Christum, qui est finis & completio legis*, Psalmus *iste est* David *Prophetæ.*

DOmine *Deus Pater*, in virtute tua *& omnipotentia majestatis tuæ* lætabitur *Christus* rex * *regum*: et super salutare tuum, *quòd per te salvator est generis humani*, exultabit vehementer, *quòd divinitas humanitati conjuncta est.*

De-

Desiderium cordis ejus *de mundi redemtione* tribuisti ei, * *concedendo ut hoc sicut vellet adimpleret*; et voluntate *desiderata* labiorum *atque petitionum* ejus non fraudasti eum : *omnia enim adimpleta sunt, & Euangelium à gentibus receptum.*

Quoniam prævenisti eum, *ut non esset sub maledictione Adæ*, in benedictionibus *& charismatibus* dulcedinis, * *quia totum fuit ex gratia*; *&* posuisti *super omnes creaturas* in capite ejus coronam, *in signum regiæ dignitatis*, de lapide pretioso, *quæ est Ecclesia electorum.*

Vitam *gloriæ in sua resurrectione* petiit à te, * *dicens: Pater, clarifica filium tuum*; et tribuisti ei *gloriam in resurrectione, etiam* longitudinem dierum *dedisti, ut mors illi amplius non dominaretur, usque* in sæculum, *perenniter*, et in sæculum sæculi, *sine fine.*

Magna est gloria *& claritas nominis* ejus *Christi hominis*, in salutari tuo, * *atque in salute qua eum resuscitasti:* gloriam *divinam* et magnum decorem *atque inæstimabilem* impones super

eum, *collocando ad dexteram tuam.*

Quoniam dabis eum *Christum credentibus* in benedictionem, *ut in ipso benedicantur omnes gentes*, in sæculum sæculi, * *nunc & semper* : lætificabis eum *secundum hominem* in gaudio, *cùm adunata fuerit multitudo electorum*, cum vultu tuo *divino*, *quando eris omnia in omnibus.*

Quoniam rex *homo Christus* sperat, *non in se*, *sed* in *te* Domino * *Deo Patre* ; et in misericordia altissimi, *cooperante gratia Patris*, non commovebitur, *sed stabit obediens usque ad mortem crucis.*

Inveniatur *ergo*, *ò Christe*, manus & *potestas* tua, *cùm ad judicium veneris puniendo peccato*, omnibus inimicis tuis, * *qui tibi credere noluerunt* : & dextera tua, *potentia & majestas gravius puniens*, inveniat omnes *prævaricatores*, qui te oderunt *pertinaciter*, *mandata tua non adimplendo.*

Pones eos *reprobos*, *ut ardeant*, ut clibanum ignis, *qui præparatus est diabolo & angelis ejus*, in tempore vultus & *judicii* tui * *extremi* : Dominus

Chri-

Christus in ira *& vindicta* sua conturbabit *proferens contra* eos *sententiam damnationis*, et devorabit eos *æternaliter affligendo* ignis *gehennæ*.

Fructum eorum, *quem habuissent* de terra *viventium*, *si credidissent Christo*, perdes, * *quia contumaci spiritu restiterunt* : et semen eorum, *quod seminaverunt per opera pravè vivendo*, *segregabis* à filiis hominum *& electis tuis*, *qui æterna fruentur beatitudine*.

Quoniam declinaverunt *& detorserunt* in te *Christo* mala, * *dicentes: Dæmonium habes*; *&* cogitaverunt consilia *maligna*, *ut nomen tuum delerent de terra*, quæ *tamen* non potuerunt stabilire, *quia non est consilium contra Dominum*.

Quoniam, *avertendo faciem misericordiæ*, pones eos dorsum, * *dejiciendo in infernum*; in reliquiis *& angelis* tuis *malis*, *qui à te sunt derelicti*, præparabis *& dabis* vultum *& præsentiam* eorum *damnatorum*, *quum dicetur* : *Ite, maledicti*, *in ignem æternum*.

Exaltare, Domine, in *majestate &* virtute tua * *divina resurrectionis & a-*

ſcenſionis: cantabimus *ore*, et pſallemus *opere*, *atque annuntiabimus* virtutes tuas, *& mirabilia quæ geſsiſti.*

ORATIO.

Benedic nos, Domine, benedictione dulcedinis; ut laudes tuas fideliter cantemus, atque opere noſtro mandata tua impleamus, & tandem conſequamur longitudinem dierum æternorum in ſalutari tuo CHRISTO Domino noſtro, cujus magna eſt gloria in ſæcula ſæculorum. Amen.

PSALMUS XXI. [*ſec. Hebr. XXII.*]

In finem *Chriſtum*, *de cujus paſsione agit hìc.* Pſalmus *ipſius eſt* David *Prophetæ*, pro ſuſceptione *& reſurrectione Chriſti* matutina, *quæ valde manè facta eſt.*

DEus, Deus meus, (*loquitur Chriſtus homo*) reſpice in me *pendentem in cruce*: quare me dereliquiſti * *in manibus Judæorum*? *cæterùm quòd* longe *factus ſum* à ſalute mea *corporali*, *hoc exigebant* verba *& clamores* delictorum *membrorum* meorum, *poſtulantium ſalvari per mortem meam.*

Deus,

Deus, *pater* meus *omnipotens*, clamabo *ad te* per diem *circa horam nonam*, et non exaudies * *me*, *ſed ſines crucifigi* : et *etiam* nocte *clamabo* : *Pater*, *ſi poſsibile eſt*, *tranſeat à me calix iſte* : *ceterùm* et *quòd exauditus non ſum*, non *reputabitur* ad inſipientiam mihi, *ſed ad ſapientiam*, *quia per crucem humanum genus redimere neceſſarium fuit*.

Tu autem, *Deus Pater*, in *me* ſancto *filio tuo* habitas, * *qui es* laus *in Eccleſia & gloria* Iſraël *videntium te per fidem*.

In te *Deum Patrem* ſperaverunt *antiqui* patres noſtri, * *& hæc eſt conſolatio mea* : ſperaverunt, *inquam*, et liberaſti eos *de neceſsitatibus & tribulationibus eorum*.

Ad te *Deum* clamaverunt *in tribulationibus*, et ſalvi facti ſunt * *de ſervitute Ægypti*, *& de captivitate Babylonis* : in te ſperaverunt, *& non in alio*, et *ideo* non ſunt confuſi; *ſed*, *quod promiſiſti*, *adimpleſti*.

Ego autem *Chriſtus*, *licet ſim major omnibus*, *& ſanctus ſanctorum*, *ni-*

hilominus tamen ſum *in conſpectu Judæorum* vermis, *& vilis*, et non homo * *reputatus*; *ſed* opprobrium *& deriſio* hominum, *Phariſæorum ſcilicet & Scribarum*, et abjectio *communis* plebis *Judæorum.*

Omnes *Judæi*, videntes me *in paſſione mea*, deriſerunt me, * *dicentes: Ave, rex Judæorum*: locuti ſunt labiis, *me vituperando*, et moverunt caput, *blaſphemando*, *dicentes*: [*Matth.* 27. 39. *ſeqq. Marci* 15. 43. *ſeqq.*]

Speravit *hic Chriſtus* in Domino *patre ſuo*: eripiat *jam* eum * *de manibus noſtris*, & ſalvum faciat eum, *ut non moriatur*; quoniam *Dominus*, *ut ait*, vult *& diligit* eum.

Quoniam tu es *Deus pater meus*, qui extraxiſti me, *quia ſupra naturam natus*, de ventre * *virginali*: ſpes mea tu es ab uberibus, *quæ ſuxi*, matris meæ *virginis*. In te, *Deus meus*, projectus ſum *ſpe tota*, *ſecundum humanitatem* ex utero *virginali procedens.*

De ventre matris meæ, *ex quo factus ſum homo*, Deus *pater* meus es tu, * *quia de te ante ſæcula genitus*: ne

er-

ergo diſceſſeris, *ſubtrahendo auxilium*, à me *filio tuo unico.*

Quoniam tribulatio & *acerbitas paſsionis meæ* proxima eſt, * *imminetque corpori meo*; quoniam non eſt *alius* qui adjuvet *eripiendo me de manibus Judæorum, niſi tu, pater meus.*

Circumdederunt me *populi Judæorum, tamquam* vituli multi, * *qui, ignorato Dei jugo, vagi & inſolentes ſunt: etiam principes Judæorum, ceu* tauri *feroces &* pingues *craſsitudine malitiæ*, obſederunt me, *ne poſſem manus eorum evadere.*

Aperuerunt *blaſphemantes* ſuper me *innocentem* os ſuum, * *clamando: Crucifige eum*; ſicut leo rapiens *prædam*, et rugiens *devorare eam præ crudelitate.*

Sicut aqua *effunditur, ita* effuſus ſum * *in ſanguine meo, dum lancea militis perforavit pectus*: et diſperſa ſunt *atque ſeparata à ſuis juncturis* omnia oſſa mea, *per diſtentionem in cruce.*

Factum eſt cor meum, *horrore naturali terribilis pœnæ imminentis*, tamquam cera *reſoluta &* liqueſcens * *à*

calore ignis, in medio ventris mei *atque in parte ſenſitiva humana.*

Aruit, *per effuſionem ſanguinis*, tamquam teſta *exſiccata*, virtus mea, *per flagellationem, coronationem, & lateris apertionem; & oſſa mea omnia conturbata ſunt, exhauſto ſanguine*; et lingua mea, *præ defectu humoris*, adhæſit *ſua ſiccitate* faucibus meis: * et *tandem* in pulverem, *omnibus arefactis*, mortis *corporalis* deduxiſti me *innocentem.*

Quoniam circumdederunt me *Judæi, non ut homines, ſed ut* canes multi * *rabidi*: concilium *ſeniorum &* malignantium *Phariſæorum* obſedit *falsò* me, *ut morti traderent.*

Foderunt *clavis ferreis* manus meas *perforando in cruce*, et pedes meos * *ligno affigentes*: dinumeraverunt, *præ nimia extenſione*, omnia oſſa mea.

Ipſi verò *Judæi* conſideraverunt *miracula multa*, et *tamen* inſpexerunt *ſine compaſsione* me * *talia perferentem*: diviſerunt ſibi *per quatuor partes* veſtimenta mea, *unicuique militi unam partem*; et ſuper veſtem *ac tunicam* meam

in-

inconsutilem miserunt sortem, *cujus foret.* [*Matth.* 27. 35. *Joann.* 19. 23. *&* 24.]

Tu autem, Domine *Pater*, ne elongaveris *differendo* auxilium tuum à me, * *& resurrectionem*: *sed* ad defensionem meam, *ne semper blasphement*, conspice, *ut protinus resurgam.*

Erue *& libera à morte, tamquam à* framea *& gladio occidente*, Deus *Pater*, animam meam, * *quæ propria voluntate à corpore separata est*: et de manu canis *ac potestate inferi, qui devorat animas more canis*, unicam *& solam à peccatis immunem animam* meam.

Salva me, *Domine*, ex ore *crudelis* leonis * *atque populi Judaici*; et *eripe à* cornibus *lacerantibus atque indignantibus* unicornium *superbissimorum* humilitatem meam, *qui humiliavi me usque ad mortem.*

Narrabo *gloriosum* nomen tuum *atque delectabile* fratribus *Apostolis* meis * *& discipulis*: in medio *congregationis* Ecclesiæ *fidelium* laudabo te, *annuntians*

tians per Apostolos meos magnalia tua. [*Hebr.* 2. 12.]

Qui timetis Dominum *timore filiali*, laudate eum * *corde & ore*: universum semen *qui estis imitatores fidei & operum ipsius* Jacob *Patriarchæ supplantantis vitia*, glorificate eum *coram omnibus.*

Timeat eum *timore sancto* omne semen *spirituale* Israël, * *qui sunt fideles*: quoniam non sprevit *negligendo*, neque despexit *refutando* deprecationem & *orationem* pauperis *Christi*, *qui nos sua paupertate divites fecit.*

Nec avertit *Deus Pater* faciem suam à me, * *repellendo orationem meam*: et, cùm clamarem *orando* ad eum *Patrem*, exaudivit *resuscitando* me *à mortuis.*

Apud te *Deum Patrem* laus mea *erit* in Ecclesia & *cœtu fidelium*, *quæ* magna * *est*, *quia per orbem terrarum latè diffusa*: vota mea, *quæ sunt sacrificium corporis & sanguinis mei in cruce oblatum*, reddam *ut offeratur tibi in memoriam passionis meæ*, in conspectu *fidelium* timentium & *adorantium* eum.

Edent *hoc ſacramentum humiles & pauperes ſpiritu*, et ſaturabuntur *pinguedine divinæ gratiæ* : et laudabunt Dominum , *ſpiritualiter exſultantes*, qui requirunt eum , * *quia ipſe eſt panis qui de cœlo deſcendit* : & vivent corda eorum *qui dignè ſumunt* , *hìc vitæ gratiæ* , *& poſtea* in ſæculum ſæculi *vitæ gloriæ*.

Reminiſcentur *gentes* , *per prædicationem Apoſtolorum* , *Dei ſui* : et *ſic* convertentur ad Dominum , * *qui averſi fuerant per idololatriam* , univerſi fines terræ , *ex quibus collecta eſt Eccleſia catholica*.

Et adorabunt *cum ſincera fide* , in conſpectu ejus * *divino* , univerſæ *nationes* & familiæ gentium , *de omni ætate & ſexu*.

Quoniam Domini *Chriſti jam* eſt regnum * *& imperium totius Eccleſiæ univerſalis* , *quia regnum diaboli cecidit* : et ipſe *Chriſtus* , *qui idem eſt cum Patre in deitate* , dominabitur gentium , *cùm ipſe ſit rex regum* , *& dominus dominantium*.

Manducaverunt *corpus Chriſti in ſacra-*

tramento, et adoraverunt, *genua flectentes*, omnes pingues *in divitiis* terræ, * *ſcilicet ſuperbi & mali*: in conſpectu *tamen* ejus *Dei*, *diſcernentis qui ſumunt ad vitam & qui ad mortem*, cadent *inviſibili caſu*, *per peccata*, omnes qui deſcendunt *ab amore Dei* in terram *& terrenas concupiſcentias.*

Et, *è contra*, anima mea illi *Deo Patri* vivet, * *ad ejus obſequium & laudem*; et ſemen meum, *qui ſunt filii Eccleſiæ*, ſerviet ipſi, *omnia referendo ad ipſum.*

Annuntiabitur, *per Euangelium*, Domino *Deo* generatio *Chriſtiana* ventura * *& procreanda ex aqua & Spiritu Sancto*: et annuntiabunt cœli *atque Apoſtoli cæleſtes* juſtitiam ejus *qui Chriſtus eſt*, *per quem juſtificamur*, populo *Chriſtiano*, qui naſcetur *Domino ſpiritualiter ex fide per verbum prædicationis*, quem fecit Dominus *Chriſtus liberum à peccatis.*

ORATIO.

Deus, qui es laus & gloria Eccleſiæ catholicæ, pro nobis opprobrium factus in li-

ſigno Crucis, clavis confoſſus, lancea perforatus: precamur, hujus non immemores, ut ſperantibus in te ſis liberator ab omnibus anguſtiis & miſeriis noſtris. Ne differas auxilium: quia non eſt alius qui adjuvet præter te Dominum noſtrum, cujus nomen benedictum in ſæcula. Amen.

PSALMUS XXII. [*ſec. Heb.* XXIII.]

Pſalmus *ipſius* David *Prophetæ, in quo agitur de gratia & miſericordia Dei.*

DOminus *Chriſtus* regit me, *ut paſtor oves ſuas*; et nihil mihi, *eo regente*, deerit * *quod neceſſarium ſit ad ſalutem*: *quia* in loco paſcuæ, *in ſtatu fidei & unitate Eccleſiæ*, ibi me collocavit *nutriendum & roborandum.*

Super aquam *baptiſmalem* refectionis, *qua reficitur & reformatur in homine ſimilitudo* Dei, educavit me, * *ceu puerum, fidei nutrimento*: *&, poſt baptiſmum*, animam meam, *quæ captiva fuerat ſub diabolo*, convertit *ad ſe, eam juſtam reddendo.*

Deduxit *etiam* me *peccatorem* ſuper ſemitas *perfectæ & divinæ* juſtitiæ, *

&

& hoc propter nomen suum *glorificandum, non propter meritum meum.*

Nam, etsi *ego* ambulavero *sub tanto duce* in medio umbræ mortis, *& hujus mundi periculis*; non *tamen* timebo mala, * *sive occulta, sive manifesta*: quoniam tu, *Deus*, mecum es *per fidem, protector vitæ meæ.*

Virga tua *castigationis*, et baculus tuus * *tribulationis*, ipsa me *erudierunt quòd sis memor mei*; *&* consolata sunt, *quia judicia paternæ dilectionis : castigas enim omnem filium quem recipis.*

Parasti, *Domine*, in conspectu meo, *ut saturarer esca cœlesti*, mensam * *sanctæ Eucharistiæ : & hoc* adversus eos *tendæmones* qui tribulant me *diversis tentationibus, & impugnant fidem meam.*

Impinguasti *& unxisti*, in oleo *& infusione Sancti Spiritus*, caput meum * *& animam meam* : et calix *benedictionis sanguinis Christi*, meus *quia accipio, sed tuus quia das*, inebrians *me amore tuæ divinitatis, & oblivione vanarum delectationum*, quàm *utique* præclarus *& sincerus* est ! *quia affectiones carnales non miscentur illo.*

Et

Et misericordia tua, *quæ præcessit ad gratiam conferendam*, subsequetur me * *quasi custos, ut perseverem in bono* omnibus diebus *præsentis* vitæ meæ.

Et ut *tandem* inhabitem, *post hunc vitæ cursum*, in domo *cœlesti* Domini * *Dei nostri*, in longitudinem *& æternitate* dierum.

ORATIO.

Supplicamus, Domine, ut animas nostras à vitiis & diaboli potestate ad te convertere digneris, & super semitas justitiæ dirigere, & inter adversa corroborare; ut sic, calice benedictionis sanguinis tui inebriati, atque esca cœlesti saturati, post finem hujus vitæ inhabitemus in domo tua cœlesti in æternitate dierum. Amen.

PSALMUS XXIII. [*sec.Heb.XXIV.*]

Psalmus *iste decantatur à* David *de gloria resurrectionis Christi, quæ facta est in* prima Sabbathi, *quæ nunc ob reverentiam Dominica dies dicitur.*

DOmini *Christi, quia est rex regum*, est terra, *quam creavit*;

et

et plenitudo *ſeu multitudo in terra viventium etiam eſt ſub* ejus * *poteſtate:* *inſuper &* orbis terrarum *in ſuo ambitu*, et univerſi *homines* qui habitant in eo *orbe.* [1. *Corinth.* 10. 26.]

Quia ipſe *Dominus* ſuper maria *ambientia univerſum* fundavit *in circuitu* eum * *orbem*; et ſuper *ac juxta* flumina *diverſa*, *ut in eo poſſent homines vivere*, præparavit *in ordine* eum.

Quis *erit ille qui* aſcendet *ſine offenſa* in montem *perfectionis juſtitiæ*, *qui eſt mons* Domini * *Dei noſtri*? aut quis *perſeveranter* ſtabit *in fide & bona operatione* in loco ſancto *Eccleſiæ* ejus, *ut ſit de electis*?

Innocens, *purus in* manibus & *operibus*, et mundo corde * *in cogitationibus*, qui non accepit *neque applicavit* in vano *deſiderio rerum caducarum* animam ſuam, *immò potius ad legem Dei*; nec juravit *perperàm* in dolo *ac fallacia* proximo ſuo, *ipſum decipiendo*.

Hic *homo* accipiet *æternam* benedictionem à Domino * *Deo*, *dùm dicetur*: *Venite, benedicti*; et miſericordiam,

totaliter liberantem ab omni miſeria, à Deo *Chriſto* ſalutari ſuo, *qui ſolus peccata relaxat*, *& ſalvat.*

Hæc eſt *enim ſpiritualis* generatio *ſacri baptiſmatis fonte renatorum*, quærentium eum * *Dominum ſalvatorem*: quærentium, *inquam*, *& videre cupientium* faciem *divinam* Dei *ipſius* Jacob *Patriarchæ.*

Attollite (*inquiunt Angeli, in deſcenſu Chriſti ad inferos*) portas, *ô vos* principes *tenebrarum*, veſtras *inferni*, et elevamini *ſurſum de inferno vos* portæ *& animæ ſanctorum* æternales; * et introibit *cum electis ſuis Chriſtus in regnum ſuum*, *quia ipſe eſt* rex gloriæ.

Quiſnam (*inquiunt dæmones*) eſt iſte *mirabilis* rex gloriæ? * *Reſpondent Angeli*: Dominus *Chriſtus* fortis, *qui mortem vicit*, et potens *confringere infernalia clauſtra*, Dominus *quoque* potens in prælio *contra infernalia clauſtra.*

Attollite *& reſerate* (*inquiunt Angeli, in aſcenſu Domini ad cœlos*) portas, *ô vos* principes *cœli*, veſtras *& aditus cœleſtes*, et elevamini *atque aperimini*

vos portæ æternales * *atque januæ sempiternæ*; et introibit rex gloriæ *in cœlum.*

Quisnam (*quærunt ceteri Angeli*) est iste rex gloriæ? * *Quibus respondetur*: Dominus virtutum, *qui ex virtute Dei vivit in gloria*, ipse est rex *æternæ* gloriæ.

ORATIO.

Domine JESU CHRISTE, rex gloriæ, cui plenitudo orbis terrarum deservit: da, quæsumus, benedictionem & misericordiam tuam; ut, qui sacri baptismatis lavacro regenerati sumus, te salutare nostrum mundo corde quærentes, ablegatis mundi vanitatibus, tandem ad montem sanctum in cœlestibus pervenire valeamus. Amen.

PSALMUS XXIV. [*sec.Hebr.XXV.*]

In finem *Christum* Psalmus *iste nos dirigens attribuitur* David, *viro isti qui in adversis non murmurat, sed divinum implorat auxilium.*

AD te, Domine, *contemplandum, gustandum, & amplexandum,* le-

levavi *aſcenſu mentis ſpirituali* animam meam, * *quæ carnalibus deſideriis premebatur* : Deus meus, *non in mea æquitate, ſed* in te *&* *tua bonitate* confido, *&* *ideo* non erubeſcam *neque confundar coram te in finali judicio.*

Neque irrideant *ſuis ſuggeſtionibus* me *ſubſannando* inimici mei * *ſpirituales, videlicet dæmones*: etenim univerſi *fideles*, qui ſuſtinent te *ſub malorum perſequutione*, non confundentur, *neque hìc, neque in futuro.*

Confundantur, *pereant* omnes *mali*, iniqua *&* *impia* agentes, * *vana laborantes*, ſupervacuè *ſolliciti & infructuosè.*

Vias tuas *rectas juſtitiæ*, Domine *Deus*, demonſtra mihi * *inter devia hujus vitæ*; et ſemitas tuas *anguſtas, quæ ducunt ad vitam perfectiorem*, edoce me, *ne illas ignorem.*

Dirige me, *ut rectè & piè vivam,* in veritate tua *Euangelica*, et doce me * *ignarum ſcientiam ſalutarem*: quia tu es Deus *meus qui me creaſti, &* ſalvator meus *qui me redemiſti*; et te ſuſtinui *exſpectando miſericordiam* to-

ta die, *omni videlicet tempore vitæ meæ.*

Reminíſcere *non obliviſcendo* miſerationum tuarum, *quas fidelibus ſemper impendiſti*, Domine * *Deus*; et miſericordiarum tuarum *divinitus tibi inſitarum*, quæ à ſæculo *&* *à principio mundi* ſunt *atque fuerunt*: *numquam enim ſine miſericordia fuiſti.*

Delicta, *quibus viam æquitatis dereliqui*, juventutis meæ, * *quæ vel inconſultò vel ex fragilitate commiſi*, et ignorantias meas, *quas neglexi in bono*, ne memineris, *ad vindictam reſervando, Domine Deus meus.*

Secundum *abyſſalem* miſericordiam tuam, *non ſecundum iram qua dignus ſum*, memento mei tu, * *remittendo culpam*, *&* *dando gratiam*, propter bonitatem tuam, *non propter merita mea*, Domine *Deus.*

Dulcis, *miſericors*, et rectus *ac juſtus eſt* Dominus: * *&*, propter hoc *quia miſericors eſt & juſtus*, legem *correctionis* dabit *errantibus &* delinquentibus in via *præſentis vitæ*, *ut ſecundum eam corrigamur. Lex eſt pœni-*

ten-

tentibus miſericordia, *peccantibus pœna æterna.*

Diriget *de virtute in virtutem* manſuetos, *patientes*, *&* *humiles*, in judicio, * *ut bene ſe habeant ad proximum:* *&* docebit *homines* mites *ut obſervent* vias ſuas, *Deum ex toto corde diligendo.*

Univerſæ viæ, *quæ in omni opere* Domini *ſimul inveniuntur*, *ſunt* miſericordia, *quæ eſt placabilis*, et veritas, * *qua juſtiſsimè dijudicat*: *&* *hoc apparet* requirentibus teſtamentum ejus *Novum*, et teſtimonia *atque oracula Prophetarum* ejus, *quæ manifeſtè hoc teſtantur.*

Propter nomen tuum, *quod Jeſus eſt*, Domine, *non propter meritum meum*, propitiaberis, *&* *miſereberis* peccato meo, * *ipſum remittendo*: multum eſt enim, *quia in multis offendimus omnes.*

Quis eſt homo *rationalis* qui timet Dominum * *timore filiali*? legem *Euangelicam* ſtatuit ei *obſervandam* in via *Dei*, quam elegit *liberè quilibet Chriſtianus.*

Anima ejus *ſic timentis Deum*, in

 bo-

bonis *gratiæ*, *quasi in deliciis*, demorabitur * *in præsenti*: et semen *atque opus* ejus, *quod hìc justè vivendo seminavit*, hereditabit *atque possidebit* terram *viventium hereditario jure.*

Firmamentum *fidei*, *ne succumbant tentationibus*, est Dominus *Deus* timentibus eum * *in veritate*: et *etiam est* testamentum ipsius *promissum*, ut manifestetur illis *in præsenti per fidem*, & *in futuro per gloriam.*

Oculi mei *interiores*, *scilicet intellectus & affectus*, semper ad Dominum * *respiciunt*, *de cujus gratia confido*: quoniam ipse evellet *& liberabit* de laqueo *diaboli* pedes *& sensus* meos, *quibus capiebar in voluptatibus sæculi.*

Respice, *Domine*, in me *pietatis affectu*, et miserere mei, * *dum tempus est misericordiæ*: quia unicus *sine auxilio*, et pauper *spiritu*, sum ego *servus tuus.*

Tribulationes *& anxietates* cordis mei *atque calamitates* multiplicatæ sunt * *nimis*, *ex prolongatione hujus exsilii*: de necessitatibus meis, *tribulationibus per quas necesse habeo transire*, erue me *liberando.*

Vi-

Vide *& propitius reſpice* humilitatem meam *in cordis contritione*, et laborem meum * *corporis in ſatisfactione*: et, *iis ſacrificiis placatus*, dimitte *indulgendo* univerſa delicta mea, *quæ per infirmitatem commiſi.*

Reſpice *oculis miſericordiæ* inimicos meos, *ut convertantur*: quoniam multiplicati ſunt * *falſi fratres in Eccleſia*, et odio iniquo *atque injuſto* oderunt *perſequentes* me.

Cuſtodi *ab eorum inſidiis & imitatione* animam meam, *ne pereat*; et erue me * *à conſortio & communione eorum*: *& tunc* non erubeſcam, *ſi fortè inſurgunt adverſum me*; quoniam ſperavi in te, *& non præſumſi de me.*

Innocentes, *nullis polluti mundanis converſationibus*, et recti *corde* adhæſerunt mihi, * *conſentientes in bonum*; quia ſuſtinui *& paſſus ſum frequentes*, *propter* te, *in hoc mundo anguſtias.*

Libera *& ſalva*, *ò* Deus, *populum tuum* Iſraël, * *quem ad viſionem tuam prædeſtinaſti*, ex omnibus *corporalibus* tribulationibus ſuis *& ſpiritualibus.*

ORATIO.

Protector noster Deus, in quem confidimus, reminiscere miserationum tuarum, & dimitte universa delicta nostra : ut, mansueti & mites facti, atque à delictis juventutis & ignorantiæ exuti, vias vitæ & veritatis sectemur, per quam in bonis demoremur, & hereditate tandem perfruamur æterna, propitiatore Domino nostro JESU CHRISTO. Amen.

PSALMUS XXV. [*sec. Hebr. XXVI.*]

In finem *Christum* Psalmus *iste describitur à* David *Propheta.*

JUdica *& discerne* me *à peccatoribus condemnandis*, Domine *Deus*: quoniam ego *ambulavi* in innocentia *& simplicitate* mea, *atque* ingressus sum * *viam justitiæ*; et *propter hoc*, in Domino sperans, *& non in me*, non infirmabor *cadendo in peccatum*, *sed perseverabo in bonum.*

Proba me *prius*, Domine, *atque vires meas respice*; et *tunc*, *si ferre valeam*, tenta me, * *emendationis gratia*: ure *& Spiritus Sancti calore consu-*

ſume renes meos *atque deſideria carnalia*, et cor meum *immaculatum cuſtodi*.

Quoniam miſericordia tua, *quæ eſt magna nimis*, ante oculos meos *ſemper* eſt, * *ipſam jugiter meditando*; et complacui *tibi*, *ut gratiam conſequerer* in veritate *&* *æquitate* tua.

Non ſedi, *neque me conjunxi*, *neque conſenſi* cum *illis qui* concilio vanitatis * *agunt omnia*, *qui de terrenis cogitant ſemper & loquuntur*: et cum *perfidis hæreticis*, *impia &* iniqua gerentibus, *ac Scripturas depravantibus*, non introibo, *eorum doctrinis communicando*.

Odivi *ipſam* eccleſiam *& congregationem* malignantium, * *atque in malo perſeverantium*: et cum impiis *hæreticis* non ſedebo, *ne quæſtionibus perfidis commaculer*.

Lavabo, *ut mundus ſim ab omni labe peccati*, inter innocentes *& electos Dei*, manus meas * *ſpiritales*, *ut opera mea ſint munda coram Deo*: et circumdabo *toto affectu* altare tuum, Domine, *ubi immolatur hoſtia ſalutaris*,

ris, ubi preces funduntur, vota offeruntur, atque mirabilia Dei narrantur.

Ut audiam *& intus intelligam* vocem laudis * *tuæ, ſcilicet ſacram Scripturam, in qua laudatur Deus*; et enarrem *atque exponam aliis* univerſa *opera &* mirabilia tua, *quòd pro nobis paſſus es, & reſurrexiſti, & juſtificas impium.*

Domine *Deus*, dilexi *admodùm* decorem *& ſanctitatem* domus *atque Eccleſiæ* tuæ, * & locum habitationis, *quæ eſt mens ſanctorum*, gloriæ tuæ, *in quibus gloriosè habitas.*

Ne perdas *& condemnes* cum impiis *infidelibus*, Deus *meus*, animam meam, * *quæ dilexit decorem domus tuæ*; et cum viris ſanguinum, *qui carnaliter vivunt*, vitam meam, *quæ valde diſsimilis eſt illis.*

In quorum manibus *& operibus* iniquitates ſunt * *& injuſtitiæ*: dextera eorum *avara* repleta eſt muneribus, *quia quæſtum æſtimant pietatem.*

Ego autem, *per ſtudium ſanctæ vitæ*, in innocentia mea *& humilitate* ingreſſus ſum * *viam veritatis & juſti-*

ſtitiæ : & ideo redime me *à malis* , et miſerere mei *in periculis hujus vitæ.*

Pes meus *ſemper* ſtetit *fixus & immobilis* in directo * *itinere mandatorum tuorum , non recedens à rectitudine fidei & juſtitiæ* : in eccleſiis *& congregatione fidelium* benedicam te , Domine , *de tuis beneficiis in me collatis.*

ORATIO.

Largire , Domine , miſericordiam tuam famulis ſupplicibus : ut , iniquorum conſortia fugientes , fidelibus tuis , in innocentia pura , ſpiritali ſemper caritate jungamur ; atque benedicatur & glorificetur nomen tuum, Domine , per ſæcula. Amen.

PSALMUS XXVI. [*ſec. Hebr.XXVII.*]

In finem *conſummationis futuræ iſte* Pſalmus *attribuitur* David , *& cuilibet pœnitenti: & eſt de iis quæ patitur*, priuſquam liniretur *Chriſtianus ſecundò unctione perfecta in regno æterno.*

DOminus *Deus eſt* illuminatio mea, *docens me contra tenebras ignorantiæ* ; et ſalus mea, * *tum animæ, tum*

tum corporis : quem *ergo* timebo? *certè nullum, vel insidiatorem, vel persecutorem.*

Dominus *Deus est* protector vitæ meæ, * *repellendo omnes insidias inimicorum meorum* : à quo *ergo* trepidabo, *habendo talem protectorem*?

Dum appropiant *&* *accedunt* super me *&* *contra me* nocentes, * *persequentes me*, ut edant *devorando* carnes meas *&* *corpus* : *animam enim non possunt occidere.*

Qui tribulant me *persequendo & tentando* inimici mei * *corporales & spirituales*, ipsi infirmati *&* *debilitati* sunt *in semetipsis*, et *victi* ceciderunt *à potestate nocendi.*

Si *ergo* consistant *&* *veniant* adversum me, *sperantem in te*, castra * *dæmoniorum, & impetus vitiorum*; non timebit *tamen* cor meum, *in Deo protectore confirmatum.*

Si *etiam* exurgat *fortiùs* adversum me prælium, * *insultus, & conflictus inimicorum*; in hoc *prælio* ego, *cui Deus est protector*, sperabo *victoriam, & remunerationis gloriam.*

Unam

Unam *rogationem* petii *præ ceteris* à Domino *Deo*, *&* hanc, *perseveranter orando*, requiram, * *& obtinebo*: ut inhabitem in domo *æterna* Domini *in cœlis*, omnibus diebus vitæ meæ, *æternaliter*, *ubi non sunt dies mortis.*

Ut *ibi* videam *facie ad faciem* voluptatem, *pulcritudinem*, *& bonitatem* Domini * *Dei nostri*, et visitem *cœleste* templum ejus, *ubi cum sanctis fruar contemplatione æterna.*

Quoniam, *ne tentationum procellæ obruant*, abscondit me, *militantem sibi*, in tabernaculo suo * *& Ecclesia Christiana*: in die malorum *& tempore tentationum*, protexit me *ad salutem* in abscondito tabernaculi sui, *videlicet in Christo per fidem*, *qui est absconditum tabernaculi spiritualis.*

In petra, *Christo*, *qui est vera petra, non tantùm protexit*, *sed &* exaltavit *de virtute in virtutem* me, * *progredientem & fundatum supra petram*: et nunc *in præsenti vita* exaltavit caput *& intellectum* meum super *omnes* inimicos meos, *qui sunt appetitus carnales*; *ne mei dominentur.*

Circuivi *perscrutando omnia opera tua, & præcipuè opus redemtionis*, et *non ingratus* immolavi *offerendo* in tabernaculo ejus *& sancta Ecclesia catholica* hostiam *laudis*, vociferationis, * *& jubilationis*: cantabo *ore*, et psalmum dicam *corde*, Domino *Deo nostro.*

Exaudi, Domine, *ex tua clementia* vocem *& orationem* meam, *tam mentalem, quàm vocalem*, qua clamavi *toto corde* ad te * *Deum meum*: *&* miserere mei *in hac vita*, et exaudi me *frequenti supplicatione te rogantem.*

Tibi, *non hominibus*, dixit *& aperuit* cor *& desiderium* meum: *præ aliis omnibus*, exquisivit te *mens*, facies *& voluntas* mea: * *fac* faciem *& præsentiam* tuam, Domine *Deus*, requiram, *non mundi gloriam, non divitias, non delicias.*

Ne avertas *neque abscondas* faciem tuam *& lumen gratiæ* à me * *peccatore*: ne declines, *tamquam ex despectu*, in ira *tua* à servo tuo: *quia pereo, nisi adjuves.*

Adjutor *& cooperator* meus esto, * *ut*

ut proficiam in bono: ne derelinquas me, *quia ſine te deficio*: neque deſpicias me *peccatorem*, *quia tu* Deus *meus es qui me creaſti*, & ſalutaris meus *qui me redemiſti.*

Quoniam pater meus *Adam* et mater mea *Eva* dereliquerunt me * *in originali peccato*, Dominus autem *Chriſtus* aſſumſit & *liberavit* me *per crucem.*

Legem & *regulam rectè vivendi* pone & *da* mihi, Domine *Deus*, in via tua * *Euangelica*: et dirige me (*ne declinem*, *vel ad dexteram*, *vel ad ſiniſtram*) in ſemitam rectam & *viam certam ac æternam*, propter *dæmones* inimicos meos, *qui inſidiantur operibus meis.*

Ne tradideris me *peccatorem* in animas *malignorum ſpirituum*, tribulantium & *perſequentium* me * *ut aliquando illis conſentiam*: quoniam inſurrexerunt *ſuis falſis calumniis* in me *miſerum* teſtes *falſi* & iniqui: et *tamen* mentita eſt *doloſa* iniquitas ſibi, *quia diabolus eſt mendax*, & *mendacii pater.*

Cre-

Credo *& indubitanter confido* videre *aliquando* bona *illa dulcia, immortalia, & sempiterna* Domini * *Dei, electis promissa: & hoc* in terra *beata* viventium *æternaliter.*

Expecta *patienter* Dominum, *qui verax est in promissis; &* viriliter age, * *de bono in melius proficiendo*: et confortetur cor tuum, *ne fatigeris à bonis operibus*; et sustine *patienter* Dominum, *si flagellum immittit: quia ipse vulnerat, & medetur.*

ORATIO.

Domine, protector noster, & salus nostra, ne derelinquas neque despicias nos. Ne contineas in ira gratiam tuam, neque avertas faciem tuam à nobis peccatoribus: sed exaudi nos, & miserere nobis, dirigendo nos in via Euangelica, quæ est semita recta; ut tandem videre mereamur bona Domini in terra viventium. Amen.

PSALMUS XXVII. [*sec. Hebr. XXVIII.*]

Psalmus *iste est* ipsi *mediatori Christo Domino nostro decantatus à* David

Pro-

Propheta. Est vox Christi hominis de passione & resurrectione sua.

AD te *ex magno cordis affectu*, Domine *Pater*, clamabo & *orabo*: Deus meus, ne sileas à me, * *derelinquendo in passione* : nequando, *nec ad horam*, taceas à me *in resurrectione* : et, *si hoc feceris*, *tunc* assimilabor *hominibus* descendentibus in lacum *inferni*.

Exaudi, Domine *Pater*, vocem *internam* deprecationis meæ, *in passione mea*; dum oro ad te * *pro totius mundi salute*, dum extollo manus meas *in cruce* ad templum sanctum tuum (*quod est Ecclesia fidelium*), *ut per passionem meam salvetur*.

Ne simul trahas me *in mortem* cum peccatoribus * *ceteris*, *qui ad inferna descendunt* : et cum operantibus iniquitatem *mortalem* ne perdas me, *ut cum ipsis habeam portionem*.

Qui *Judæi inimici mei* loquuntur *dolosè* pacem & *verba pacifica* cum *me*, proximo suo * *secundum carnem* ; mala autem & *dolus* in cordibus & *cogitatu* eorum.

Da *condignam* illis *retributionem*, ſecundum opera eorum * *quæ mihi intulerunt*, *flagellantes & occidentes*; et ſecundum nequitiam *falſam* adinventionum *& mendaciorum* ipſorum.

Secundum opera *mala* manuum *& voluntatum* eorum, tribue illis * *mercedem*, *&* redde retributionem eorum *malorum* ipſis : *&*, *ſicut mihi mala reddiderunt*, *retribue ipſis*.

Quoniam non intellexerunt *inviſibilia* opera Domini, *quòd Verbum caro factum eſt*; et (*quod magis mirum eſt*) in opera *viſibilia* manuum ejus, * *quæ faciebat*, *ægros ſanando*, *mortuos ſuſcitando*, *non conſideraverunt* : *quo circa* deſtrues illos *per Romanos*, et non *amplius* ædificabis eos *liberando à captivitate*.

Benedictus *ſit* Dominus * *Deus Pater*, quoniam exaudivit vocem *& voluntatem* deprecationis meæ *quam oravi*.

Dominus *eſt* adjutor meus *in reſurrectione*, et protector meus * *in paſſione* : *&* in ipſo *Patre* ſperavit cor meum *atque humanitas mea*, *unde* et

ab

ab illo adjutus ſum *in reſurrectione.*

Et refloruit *in reſurrectione* caro mea, **procedens de tumulo glorioſa & incorrupta* : et ex *libera* voluntate mea *hilariter* confitebor ei, *& confitebuntur mei, in quibus ego ſum.*

Dominus *eſt* fortitudo, *in pugna contra diabolum*, plebis ſuæ, * *quæ in eo confidit* : et protector *æternus* ſalvationum Chriſti ſui eſt, *eorum videlicet qui per Chriſtum ſalvati ſunt.*

Salvum fac *& in ſalutem deducas* populum tuum *Chriſtianum*, Domine *Deus Pater, quem per mortem meam redemi* : et benedic *æternaliter* hereditati *atque Eccleſiæ* tuæ, * *quam mihi adoptavi* : et rege eos, *ne devient à via juſtitiæ*; et extolle illos *à terrenis ad cœleſtia*, uſque in æternum *glorificando.*

ORATIO.

Exaudi, Domine, deprecationem noſtram, & protector noſter adeſto propitius. Qui per crucem tuam redemiſti genus humanum, benedicere digneris hereditati tuæ, & dirigere in via juſtitiæ, ut tandem ad cœleſtia in æternum provehamur. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum.

PSALMUS XXVIII. [*sec. Hebr.XXIX.*]

Psalmus *ipsius* David *Prophetæ*, in consummatione *&* *perfectione* tabernaculi *atque Ecclesiæ catholicæ: ubi monemur offerre spirituales hostias Deo.*

AFferte Domino *corda vestra sancta, pura, & immaculata, vos qui per regenerationis gratiam* filii Dei * *estis effecti*: afferte *etiam* Domino *Deo* filios *acquisitos per prædicationem* arietum, *hoc est Apostolorum, qui, ceu duces gregum, in caulas Domini perduxerunt populum fidelem.*

Afferte Domino *Deo Patri* gloriam, *gloriam verbo*, et honorem *exemplo, ut per opera vestra glorificetur & honoretur*: afferte Domino *Filio* gloriam *& sanctificationem* nomini ejus, * *quod Jesus est*: adorate Dominum *Spiritum Sanctum* in atrio sancto *& Ecclesia* ejus, *qui est sanctificator & inhabitator* Ecclesiæ *sanctæ suæ.*

Vox Domini *Dei Patris facta est* super aquas *Jordanis in baptismo Christi.* Deus majestatis *& excelsæ virtutis*

tunc

tunc intonuit, * *dicens*: *Hic est filius meus dilectus.* Dominus *Deus est* super aquas multas, *quia credentes baptizamur in aqua & spiritu.*

Vox *prædicationis* Domini *Christi per se & suos facta est* in virtute * *magna*: vox Domini *Christi facta est* in magnificentia *miraculorum & operum, cui non poterant resistere sapientes hujus mundi.*

Vox *prædicationis* Domini *per se & suos* confringentis *altas* cedros, * *& humiliantis sublimes atque superbos*: et confringet Dominus *Deus humiliando* cedros Libani *per pœnitentiam*, *& regum colla jugo fidei submittet.*

Et comminuet eas, *succisa & confracta in his superbia*, tamquam vitulum *lascivientem in* Libani * *deliciis*: et dilectus *Filius Patris Christus factus est* quemadmodum filius *secundum carnem* unicornium *& superborum Judæorum*, *qui gloriabantur in una lege Mosaica.*

Vox Domini *Christi est quasi* intercidentis *& resecantis* flammam ignis, * *& furentem iracundiam perse-*

quutorum : vox Domini *tamquam* concutientis *& commoventis ad fidem* desertum *populum gentilem*, *qui sine lege, sine Prophetis erat* : et *similiter* commovebit *atque convertet ad fidem* Dominus desertum Cades, *videlicet Judæos*, *qui deseruerant sanctum legis propter traditiones eorum.*

Vox *prædicationis* Domini *Christi quasi* præparantis cervos, *Apostolos & doctores Ecclesiæ*, *agiles ad Euangelium annuntiandum*, *quibus* et revelabit *obscura divinarum Scripturarum*, *&* condensa * *mysteria* : et in templo *seu Ecclesia* ejus omnes *electi* dicent gloriam *& laudem Deo*, *pro donis acceptis.*

Dominus *suos in Ecclesia*, *quasi in arca Noë*, *quasi per* diluvium *& fluctus hujus sæculi*, inhabitare facit * *illæsos*, *extra quam nullus salvatur* : et sedebit Dominus *Christus* rex *in Ecclesia*, *regens eam*, *usquequo deducat sanctos suos* in æternum *gaudium.*

Dominus virtutem *& fortitudinem* populo suo, *contra procellas hujus sæculi & turbines tentationum*, dabit, *

ut

ut ſint conſtantes: Dominus *Chriſtus* benedicet *electo* populo ſuo, *mandata ejus obſervanti*, in pace *æterna.*

ORATIO.

Deprecamur ſupplices, ut nos, qui ſumus populus tuus, benedicere & adjuvare digneris; doneſque hujus ſæculi diluvium fide recta ac converſatione ſancta ſic pertranſire, ut ad cœleſtem patriam pervenire valeamus. Per Dominum &c.

PSALMUS XXIX. [*ſec. Hebr.* XXX.]

Pſalmus *iſte* cantici, *laudis*, *& lætitiæ*, in dedicatione *& aſſumtione* domus, *videlicet humanitatis Chriſti*, *eſt* David *manu fortis. Ubi Chriſtus homo gratias agit Patri pro reſurrectione ſua.*

EXaltabo te *glorioſè*, Domine *Pater*, *manifeſtando nomen tuum hominibus*; quoniam *de morte in reſurrectione* ſuſcepiſti me * *ad dexteram tuam*, nec delectaſti *diutius* inimicos meos *Judæos* ſuper me, *ut meo jocundarentur interitu.*

Domine *Pater* Deus meus, *in paſ-*

ſione clamavi ad te : * *& exaudiſti*, *immò* et ſanaſti me *ab omni corruptione carnis*, *quia in corpore glorioſo me reſurgere feciſti.*

Domine *Pater*, eduxiſti *poſt reſurrectionem* ab inferno animam meam * *cum aliis animabus ſanctorum* : ſalvaſti me *& liberaſti* à *Judæis* deſcendentibus *ſua ſponte* in lacum *inferni*, *ubi nulla eſt redemtio.*

Pſallite Domino, *bene operando*, ſancti *& electi* ejus : * et confitemini *ore & corde* memoriæ *beneficiorum &* ſanctitatis *nominis* ejus, *quia memor noſtri nos ſanctificavit*, *& à morte redemit.*

Quoniam ira *propter peccatum originale* in indignatione ejus, * *quia propter ſcelus populi percuſsit me* ; et vita *gratiæ & gloriæ* in voluntate *& ex beneplacito* ejus *& gratia*, *haud per merita noſtra.*

Ad veſperum *paſsionis Chriſti* demorabitur fletus * *in Apoſtolis* : et ad matutinum, *quia Dominus reſurrexit*, *erit* lætitia *& gaudium.*

Ego autem *Chriſtus* dixi *deliberando*

in

in abundantia mea * *& plenitudine divinitatis* : Non movebor *à voluntate Dei Patris* in æternum, *ſed ero obediens uſque ad mortem.*

Domine, in voluntate tua * *& ſecundum beneplacitum tuum*, præſtitiſti decori meo *atque humanitati* virtutem *miracula faciendi.*

Avertiſti *quodammodo* faciem *& deitatem* tuam à me, * *quando paſsioni expoſuiſti*; et factus ſum *in ſenſualitate carnis meæ* conturbatus, *quia cœpi pavere, & tædere, & mœſtus eſſe.*

Ad te, Domine *Pater*, clamabo * *in cruce, petens auxilium*; et ad Deum meum *pro redemtione generis humani* deprecabor, *ut fiat voluntas tua.*

Quæ utilitas *foret generi humano* in ſanguine meo * *& effuſione ejus in cruce*, dum deſcendo *per mortem* in corruptionem; *ſi tertio die non reſurgo*?

Numquid, *certe non*, confitebitur tibi *in laudem* pulvis * *& caro redacta in pulverem*, aut annuntiabit *mundo* veritatem tuam, *quam Apoſtoli poſt reſurrectionem prædicaverunt*?

Audivit *me deprecantem* Dominus

Pa-

Pater, et misertus est mei, * *ne viderem corruptionem, immò ut resurgerem:* Dominus *Deus Pater* factus est adjutor meus, *quia non dedit sanctum suum videre corruptionem.*

Convertisti planctum meum, *dum tristis fuit anima mea usque ad mortem*, in gaudium mihi, * *quia de resurrectione gaudere fecisti*: conscidisti saccum *& corpus* meum *in passione*, et circumdedisti me *stola immortalitatis cum summa* lætitia.

Ut cantet tibi *& laudet te Ecclesia catholica, quæ est* gloria mea: et *hoc ideo, quia, semel passus,* non compungar * *amplius, neque moriar: mors enim mihi ultrà non dominabitur. Ergo,* Domine Deus *pater* meus, in æternum confitebor tibi *per me & meos, & decantabo laudes majestatis tuæ.*

ORATIO.

Exaudi, Domine, nos suppliciter deprecantes: salva, sana & libera nos, convertendo in gaudium planctum nostrum, remissa mole facinorum: atque nos, mysterio resurrectionis tuæ lætificatos, attollere digneris in cœlum, pro quibus dignatus

tus es descendere ad infernum. Cui cum Patre & Spiritu Sancto est honor & gloria in sæculorum sæcula.

PSALMUS XXX. [*sec. Hebr. XXXI.*]

In finem *atque in Christum dirigitur hic* Psalmus, *qui est* ipsi David *Prophetæ* extasis *seu mentis excessus.*

IN te *protectore meo*, Domine *Pater*, speravi, *& ergo* non confundar *insultationibus Judæorum* in æternum: * *immò* in justitia tua, *sicut promisisti*, libera me, *ne detinear morte*, *sed resurgam.*

Inclina ad me *humilem & infirmum* aurem tuam, * *me exaudiendo* : accelera *festinanter*, ut eruas me *de sepulcro*, *tertia die resuscitando.*

Esto mihi *in auxilium undique*, *&* in Deum protectorem, *tantum*, *quantum decet esse Deum* ; et in domum refugii, * *ut in te sim tutus*, ut salvum *à Judæis* me facias, *resuscitando.*

Quoniam fortitudo mea *ad tolerandas passiones*, et refugium meum *ad eas evadendas* es tu * *mihi*, *& non alius:*

alius : et, propter nomen tuum *manifestandum hominibus*, deduces me *de pœna ad gloriam*, et enutries me *augendo corpus meum, quod eſt* Eccleſia.

Educes me, *per reſurrectionem*, de laqueo hoc *mortis*, quem *ipſi Judæi occultis inſidiis* abſconderunt *&* *machinati* mihi * *ſunt* : quoniam tu es *unicus* protector meus, *ideoque nulla poteſt adverſitas prævalere*.

In manus tuas *potentiæ & miſericordiæ* commendo ſpiritum meum, * *ut potentia protegat, & miſericordia ſalvet* : redemiſti me *ab impiis*, Domine, Deus veritatis, *implens quod promittis*. [*Luc.* 23. 46.]

Odiſti *& reprobaſti omnes* obſervantes *& amantes* vanitates * *mundi, ut divitias, honores, delicias* ; *ſperantes* ſupervacuè *in illis atque infructuosè*.

Ego autem, *non ſublimitate aliqua, ſed* in Domino Deo Patre ſperavi : * *& ideo* exultabo *corpore*, et lætabor *ſpiritu* in miſericordia tua, *quæ non fallit*.

Quoniam reſpexiſti, *& miſertus es mei, propter* humilitatem meam, *

quia

qua usque ad mortem me exinanivi; salvasti *etiam* de necessitatibus *& peccatis, à quibus homo se salvare nequit*, animam meam, *immunem servando.*

Nec conclusisti me, *inquit Ecclesia*, in *potestate &* manibus inimici* *visibilis aut invisibilis*: *sed* statuisti *atque firmasti* in loco *caritatis* spatioso *ac lato, quæ est dilectio Dei ac proximi*, pedes *& affectus* meos, *in via scilicet mandatorum tuorum.*

Miserere mei, Domine: *& necesse est*, quoniam tribulor* *pondere malorum præsentium, & futurorum imminentium*; *adeò quòd* conturbatus *& commotus* est in ira *magna* oculus meus, *& interior ratio, etiam* anima mea *seu affectus sensualis*, et venter meus *naturalis carnis.*

Quoniam defecit *omnino* in dolore, *ait Ecclesia*, vita mea, * *quia non possum emendare malos, nec eos segregare à sanctis*; et anni mei, *quamdiu hìc milito, sunt* in gemitibus, *angustiis, & suppliciis diversis.*

Infirmata est *& debilitata* in paupertate *& defectu bonorum* virtus mea,* *quia*

quia plures ſunt peccatores, & pauci ſancti: et oſſa mea *in compagine ſua* conturbata ſunt *atque debilitata, propter iniquitates fidelium.*

Super omnes inimicos meos *Gentiles & Judæos* factus ſum opprobrium; et *in deriſum* vicinis meis, *quia mali Chriſtiani perverſe vivendo blaſphemant nomen meum*, valde: * et *propter hoc ſum* timor, *quia verentur ad fidem venire*, notis meis, *qui aliquam notitiam de me habuerunt.*

Qui, *inquit Chriſtus*, videbant me *in cruce poſitum*, foras, *non intelligendo deitatem*, fugerunt à me, * *æſtimantes ſpem ſuam morte mea finitam: & ideo* oblivioni datus ſum, tamquam mortuus, *non reſurrecturus*, à corde & *memoria eorum.*

Factus ſum *in æſtimatione Judæorum* tamquam vas *perforatum*, perditum, * *& ad nullos uſus utile: & hoc ideo,* quoniam audivi & *patienter ſuſtinui* vituperationem & *blaſphemiam* multorum *Judæorum*, commorantium *atque aſsiſtentium, tempore paſsionis*, in circuitu *crucis.*

In

In eo *conſilio*, dum *principes ſacerdotum & ſeniores populi* convenirent ſimul *in unam pravam voluntatem* adverſum me * *innocentem*, accipere & *tollere* animam *atque vitam* meam conſiliati ſunt, *ut me dolo tenerent*, & *occiderent*.

Ego autem *inter hæc opprobria* in te ſperavi, *quo nihil ſecurius*, Domine * *Pater*. Dixi: Deus meus es tu, & *non alius*: in manibus tuis & *poteſtate tua ſunt* ſortes & *diſpoſitiones*, *tam vitæ quàm mortis*, meæ.

Eripe me, *Domine*, de manu & *poteſtate* inimicorum meorum * *Judæorum*, et à perſequentibus *falſis fratribus* me *in membris meis*.

Illuſtra *divinam* faciem tuam *gratiæ* ſuper *me* ſervum tuum *ſecundum humanitatem*: ſalvum me fac *ab his malis*, in miſericordia tua * *divina*. Domine *Pater*, non confundar *à perfidis Judæis*: quoniam invocavi te, *qui potens es me exaudire*.

Erubeſcant impii *Judæi Chriſtum crucifigentes*, et deducantur *cum dæmonibus* in infernum, * *quia non credunt re-*

resurrectionem : muta fiant *penitus eorum* labia *garrula &* dolosa , *dum non timent judicium.*

Quæ *labia* loquuntur *blasphemiam* adversus justum *Christum* , *&* iniquitatem * in superbia *cordis*, et in abusione *oris* , *quo crucifixum irriserunt.*

Quàm magna *& inæstimabilis* multitudo *amoris* , *gloriæ*, *&* dulcedinis tuæ , *in futura beatitudine* , Domine , * *disposita est electis* ! quam *incomprehensibilem dulcedinem* abscondisti *& servasti in futura beatitudine* timentibus te , *ut solis illis reddas tempore opportuno.*

Perfecisti *hanc dulcedinem* eis *electis tuis* , *in gloria futura* , qui sperant in te * *perseveranter* : *& hoc ages* in conspectu *& præsentia* filiorum hominum, *in finali judicio* , *dicendo* : *Venite* , *benedicti.*

Abscondes *in æterna beatitudine* eos, *ne videantur ab impiis* , in abscondito faciei tuæ * *divinæ* , *qua perfruentur justi* , à conturbatione hominum : *quia nulla humana malitia eos valebit perturbare.*

Pro-

Proteges, *Domine*, eos *electos* in tabernaculo tuo * *atque in Ecclesia catholica militante: proteges, inquam*, à contradictione *&* *strepitu* linguarum, *schismatum*, *&* *hæresum*, *quæ contradicunt veritati Christianæ doctrinæ.*

Benedictus Dominus * *Deus pater meus*, quoniam mirificavit *pro hominum salute* misericordiam suam, *qua dilexit genus humanum*, mihi; *ut per me genus humanum redimeret* in civitate *Jerusalem* munita, *ubi in medio terræ operatus est salutem.*

Ego autem, *cùm in me Judæi sævirent*, dixi in excessu *&* *stupore* mentis meæ: * *Quàm vilis reputatus? quia* projectus sum, *in hoc passionis tempore*, à facie *&* *memoria* oculorum tuorum, *tamquam derelictus à te.*

Ideo, *ne semper projectus reputarer*, exaudisti *tandem* vocem *validam* orationis meæ, * *quando in cruce dixi: Pater, quare me dereliquisti?* Dum clamarem ad te, *merui exaudiri, resurrectionis meæ gloria.*

Diligite *ex totis viribus* Dominum *Christum* omnes sancti *&* *electi* ejus: *

quia tradidit ſemetipſum pro nobis; quoniam *in judicio extremo* veritatem *vitæ*, *doctrinæ*, *& juſtitiæ noſtræ* requiret Dominus *Chriſtus*, *juſtus judex*; et retribuet *condignam pœnam* abundanter *& ſeverè* facientibus ſuperbiam, *quæ eſt contemtus Dei*, *& radix omnium malorum.*

Viriliter *& conſtantiſsimè* agite *perſeverando in bonis operibus*, et confortetur cor veſtrum, * *ne à recto propoſito*, *carnis imbecillitate*, *ſeducamini*; omnes qui ſperatis in Domino *ſpe certa*, *quæ eſt exſpectatio futuræ beatitudinis*, *ex meritis & gratia proveniens.*

ORATIO.

In manus tuas commendamus animas noſtras, Domine, qui ſperamus in te. Libera nos, & auxiliare nobis, qui es protector noſter, & domus refugii; ne confundamur in æternum. Fac nos ſpem noſtram in te figere, ut valeamus ad illam dulcedinem pervenire, quam in cœleſti patria electis præparaſti, & abſcondiſti peccatoribus. Per Chriſtum dominum noſtrum.

PSALMUS XXXI. [*sec. Heb.* XXXII.]

Intellectus *& instructio, ut peccata nostra recognoscamus*; *ipsius* David *Prophetæ, & cujuslibet pœnitentis.*

BEati *sunt illi in spe & gratia*, quorum remissæ sunt iniquitates * *quantum ad culpam*, et quorum tecta, *abolita & deleta* sunt *hìc per pœnitentiam* peccata, *ne in judicio revelentur ad pœnam.* [*Rom.* 4. 7.]

Beatus vir *ac summè felix est*, cui non imputavit, *sive ad culpam, sive ad pœnam*, Dominus *Deus* peccatum * *suum*, nec est in spiritu *mentis* ejus dolus, *quia verè pœnitet mente, & se accusat ore.*

Quoniam tacui *confessionem peccati*, inveteraverunt *in malum* ossa mea * *& interiora robora animæ meæ*; dum clamarem tota die, *continuè peccatum defendendo, aut de justitia & meritis præsumendo.*

Quoniam die ac nocte *in assidua tribulatione* gravata est *mole malorum* super me manus *& potestas* tua, * *ul-*

trix ſcelerum : & ideo converſus ſum *aſsiduitate flagellorum* in ærumna mea, *& conſideratione propriæ miſeriæ*, dum configitur *ſuo remorſu aculeato* ſpina *& ſtimulus in conſcientia peccatrice.*

Delictum meum *omiſsionis* cognitum tibi feci * *per veram confeſsionem:* et injuſtitiam *atque iniquitatem* meam *commiſsionis* non abſcondi *à te, immò detexi & patefeci.*

Dixi, *firmiter proponendo, quòd* confitebor *& corde & ore* adverſum me, *accuſando me ipſum*, injuſtitiam meam *atque impietatem* Domino * *Deo meo* : et tu, *per gratiam*, remiſiſti *clementer* impietatem *& culpam* peccati mei *confeſsi.*

Pro hac *remiſsione & venia obtinenda*, orabit *emundandus* ad te *Deum* omnis ſanctus * (*quia nullus eſt ſine peccato*), in tempore *hoc* opportuno *gratiæ & vitæ præſentis.*

Verumtamen *illi, qui ſunt fluctuantes* in diluvio aquarum multarum * *atque voluptatum carnalium*, ad eum *Deum* non approximabunt *ſalvandi, ſed elongabuntur.*

Tu

Tu *ſolus* es refugium meum *unicum* à tribulatione *tentationum*, *vitiorum*, *& diaboli*, quæ circumdedit *& impugnat* me * *in iſto diluvio*: exultatio mea *per ſpem & conſolationem*, erue *atque libera* me *captivum*, *fereque ſubmerſum*, à circumdantibus *& inſidiantibus* me *dæmonibus & peccatis*.

Intellectum *ſapientiæ* tibi dabo, *inquit Dominus*, *ut te cognoſcas & me*; et inſtruam te *armis juſtitiæ*, *ad proſequendum bonum*, *& fugiendum malum*, in via hac *pœnitentiæ*, qua gradieris * *& peregrinaberis ſine errore*: firmabo ſuper te *pœnitentem* oculos meos *gratiæ & miſericordiæ*.

Nolite fieri *irrationales* ſicut equus *indomitus & effrenis*, et mulus * *piger & ſtolidus*, *in* quibus non eſt *ratio aut* intellectus *ad refrenandum appetitus ſenſuales*.

In camo, *capiſtro*, et freno *tribulationum atque flagellorum*, maxillas eorum *ſuperbas* conſtringe * *ac reprime qui de ſuis viribus & meritis ſe jactant*, qui *certè* non approximant, *humiliando*, ad te, *ſed elongantur ſuperbiendo*.

Multa *ſunt* flagella, *ſive in præſenti, ſive in futuro*, peccatoris * *pœnitentiam recuſantis, & obſtinati* : ſperantem autem in Domino *ſpe certâ & debitâ*, miſericordia, *ne ſit locus diabolo*, circumdabit *undique protegens, & liberabit*.

Lætamini *mentis ſuavitate* in Domino, *non in vobis*, et exultate *animi fervore*, juſti, * *non meritis veſtris, ſed gratia* Dei *juſtificati* : et gloriamini *teſtimonio conſcientiæ puræ*, omnes recti corde, *habentes voluntatem conformem voluntati divinæ*.

ORATIO.

Quæſumus, Domine, intellectum ſapientiæ nobis tribuere digneris, atque inſtruere armis juſtitiæ in via hac peregrinationis noſtræ; figendo oculos gratiæ & miſericordiæ ſuper nos pœnitentes, qui confitemur injuſtitias noſtras : ut, obtectis per veniam peccatis, nec imputatis ultrà delictis; ſic juſtificati, mereamur ſanctorum exultationis eſſe participes. Per Chriſtum Dominum noſtrum.

PSAL-

PSALMUS XXXII. [*sec. Hebr.* XXXIII.]

In finem *Christum* Psalmus *ipsius* David: *quippe Christus est finis noster ad quem tendimus.*

EXultate *vos*, justi, *non in rebus sæculi, non in vobis, sed* in Domino: * *quia* rectos *corde, qui conformant se voluntati divinæ*, decet collaudatio, *quæ Deo accepta est.*

Confitemini Domino *confessione laudis* in cithara * *& operibus activæ vitæ, &* in psalterio decem chordarum *per observantiam decem præceptorum* psallite illi: *tangite psalterium, & implete legem.*

Cantate ei *in spiritu* canticum novum, * *exuendo veterem hominem, & induendo novum*: bene psallite ei *in spiritu, vita, & gaudio, atque* in vociferatione, *novo cordis affectu.*

Quia rectum *in se* est verbum Domini, * *rectè docens, jubens, prædicans, & promittens*; et omnia opera ejus *consistunt* in fide *seu fidelitate: nihil enim promittit quod non reddat.*

Diligit *Dominus* misericordiam, *dum*

ſuſtinet peccatores & patienter exſpectat; et judicium, * *quo in futuro retribuet unicuique ſecundum merita ſua:* miſericordia Domini plena eſt terra, *quia ubique terrarum à Domino conceſſa eſt pœnitentibus remiſsio peccatorum.*

Verbo *enim* Domini, *& ſapientia Dei Patris*, cœli *& Apoſtoli* firmati *& ſolidati* ſunt * *in fide, in verbo, exemplo, & dono*: et *poſtea* ſpiritu oris, *& filii* ejus, *qui eſt os Patris*, omnis virtus *in doctrina & miraculis* eorum *roborata eſt.*

Congregans *in unum locum*, ſicut in utre *concludens*, aquas maris, * *& ſæculi tribulationes, quæ prius ſæviebant apertè fluctibus perſequentium, ſed nunc intra terminos occultè clauduntur*: ponens *atque recondens* in theſauris *abſconditis* abyſſos. *Imperſcrutabilia atque mirabilia ſoli Deo cognita ſunt.*

Timeat Dominum *timore filiali* omnis *habitans in* terra * *hac peregrinationis*: ab eo autem *Domino* commóveantur *& ad pœnitentiam convertantur* omnes *peccatores* inhabitantes orbem *terræ.*

Quo-

Quoniam ipſe *Dominus* dixit, & *voluit*, et *ejus imperio* facta *atque formata* ſunt * *omnia*: ipſe mandavit *verbo ſuo*, et creata ſunt *omnia ex nihilo.* [*Judith.* 16. 17.]

Dominus diſsipat, *ne effectum habeant contra ſe & ſuos*, conſilia gentium, * *quæ conabantur deſtruere Eccleſiam*: reprobat autem *vanas* cogitationes populorum *qui machinantur delere nomen Chriſtianum*, et *etiam* reprobat *ſuperba* conſilia principum *atque tyrannorum hujus ſæculi.*

Conſilium autem Domini *de noſtra vocatione, juſtificatione, & glorificatione*, in æternum manet * *ſtabile ac fixum*: & cogitationes, *diſpoſitiones* cordis & *ſapientiæ* ejus, *ante mundi conſtitutionem permanent* in generatione et generationem: *quia quod diſpoſuit Deus, mutari non poteſt ab hominibus.*

Beata *ergo* gens cujus eſt Dominus, *per veram fidem*, Deus ejus * *in debito cultu*: populus quem elegit, *per prædeſtinationem, in poſſeſsionem perpetuam, tamquam* in hereditatem ſibi: *electi*

enim

enim ſunt hereditas Dei, & *Deus hereditas ipſorum.*

De cœlo, *excelſo ſuo habitaculo*, reſpexit Dominus * *oculis miſericordiæ*: vidit *per ſuam gratiam* omnes filios hominum, *ut omnibus miſereatur.*

De præparato & *diſpoſito ad ſalutem mundi* habitaculo ſuo * *aſſumtæ humanitatis, in quo habitat omnis plenitudo divinitatis*, reſpexit *miſericorditer* ſuper omnes *homines*, qui habitant terram, *quos elegit ex mera ſua gratia.*

Qui finxit & *formavit* ſigillatim & *ſeparatim* corda & *animos* eorum * *hominum*: qui intelligit *cogitationes*, *dicta*, *facta*, & omnia opera, *tam bona, quam mala*, eorum.

Non ſalvatur rex *aliquis* per multam virtutem * *ſui exercitus*, *niſi aſsiſtat ſibi divinum auxilium*: et gigas, *quantumcumque fortis*, non ſalvabitur *neque liberabitur* in multitudine & *potentia* virtutis ſuæ & *virium ſui corporis.*

Fallax *etiam eſt* equus *ferox* ad ſalutem, * *quia ſæpe fallit ſeſſorem ſuum*: in abundantia autem *fortitudinis* & virtutis ſuæ *ſeſſor* non ſalvabitur, *immò*

imò ſæpius colliditur in terram. A Deo *ergo omnis ſalus.*

Ecce, *ut nos protegat*, *ſunt* oculi Domini *&* *reſpectus miſericordiæ ſuæ* ſuper metuentes eum, * *& non de ſe præſumentes*; et *etiam* in eis *hominibus* qui ſperant, *non in virtutibus ſuis aut meritis*, *ſed* ſuper miſericordia *& gratia* ejus.

Ut *tandem* eruat à morte *& damnatione perpetua* animas eorum, * *dans eis vitam æternam*; et alat *hìc interim* eos *pane cœleſti & verbo ſpiritali*, in fame: *quia eſurient juſtitiam*, *ſed ſaturabuntur.*

Anima noſtra *interim* ſuſtinet Dominum, * *& patiens eſt in* Domino, *exſpectando ejus beneplacitum*; quoniam *ipſe* adjutor *ad faciendum bona*, et protector noſter eſt *contra malum.*

Quia in eo, *non in nobis*, lætabitur *perfectè* cor noſtrum, * *cùm pro operibus præmia ſuſcipiemus*; et *interim* in nomine *Jeſu* ſancto *filii* ejus *ſalutaris noſtri* ſperavimus, *haud in meritis noſtris.*

Fiat *& veniat* miſericordia tua *ineffa-*

fabilis, Domine *Deus*, ſuper nos * *peccatores*; quemadmodum ſperavimus, *haud in juſtitia noſtra*, *ſed* in te *&* *tua gratia*.

ORATIO.

Domine Deus noſter, cujus miſericordia plena eſt terra; qui dixiſti, & facta ſunt; qui mandaſti, & creata ſunt: reſpice nos peccatores oculis gratiæ de cœleſti tuo habitaculo, ut omnibus miſerearis. Paſce nos pane cœleſti, ut ſaturemur verbo tuo, quo hìc fameſcimus in via peregrinationis noſtræ; quemadmodum ſperamus in te Jeſu Chriſto Domino noſtro.

PSALMUS XXXIII. [*ſec. Hebr. XXXIV.*]

David, *hoc eſt Chriſtus*, *&* *in eo Chriſtianus*, *cecinit hunc pſalmum*, cùm mutavit *in cœna noviſsima* vultum ſuum, *&* *vetus ſacrificium*, *&* *hoc* coram Achimelech *&* *Judæis*; et *Chriſtus* dimiſit eum *populum Judaicum*, et abiit *ad gentes*. [1. *Reg.* 21.]

BEnedicam Dominum *corde*, *ore*, *&* *opere*, in omni tempore, * *tam adverſitatis*, *quàm proſperitatis*: ſem-

ſemper laus, *gloria*, *&* *honor* ejus *erit* in ore meo, *nec tacebo umquam.*

In Domino, *à quo eſt omne bonum*, laudabitur, *non in ſapientia mundi aut ſublimitate verborum*, anima mea: * *qui enim gloriatur, in Domino glorietur.* Audiant *hoc* manſueti, *mites & benigni*, et lætentur *me ſocium ſpiritualis gratiæ.*

Magnificate *laudando & prædicando* Dominum, *eſſe magnum* mecum * *reſonando*: et exaltemus *per poteſtatem & bonitatem* nomen ejus, *quod Jeſus eſt*, in idipſum, *in unitate & concordia*, *ut ſit nobis cor unum & anima una.*

Exquiſivi *ex toto corde* Dominum *orationibus ſedulis*; et exaudivit me, * *dando bona quæ ab eo poſtulavi*: et ex omnibus tribulationibus, *anguſtiis* meis *& tentationibus*, eripuit *& liberavit* me.

Accedite ad eum *fide & opere*, et illuminamini * *ab eo, qui eſt vera lux*; et facies veſtræ *in orationibus ſuis* non confundentur, *quia non patiemini repulſam.*

Iſte pauper *ſpiritu* clamavit *orando*

de-

devotè : et Dominus *Deus* exaudivit eum * *humiliter deprecantem*, et de omnibus *hujus mundi* tribulationibus ejus *&* *anguſtiis* ſalvavit eum *tranſeuntem ad ſe.*

Immittet *ſe occultè* Angelus Domini *Dei* in circuitu, *pro defenſione* timentium eum * *de cordis puritate*, et eripiet eos *ab omni impugnatione dæmonum.*

Guſtate *per ſpiritualem guſtum animæ*, et videte *atque intelligite* quoniam ſuavis *palato cordis* eſt Dominus * *Deus, qui peccata dimittit, & vitam confert æternam* : beatus *eſt* vir *ille* qui ſperat in eo *qui eſt omne bonum.*

Timete Dominum, *ne nimia ſecuritate decipiamini*, omnes ſancti, *qui firmi ſtatis in* ejus * *promiſsis*: quoniam non eſt inopia *ſpiritualium bonorum* timentibus eum *in veritate.*

Divites *hujus ſæculi* eguërunt *præ avaritia*; et eſurierunt, * *ea quæ non habent concupiſcendo* : inquirentes autem Dominum *toto corde* non minuentur, *immò abundabunt*, omni bono, *tum ſpirituali ad ſalutem, tum corpo-*

ra-

rali ad necessitatem.

Venite, filii *per desiderium discipli-næ*, audite me * *diligenter*: timorem Domini, *qui est initium sapientiæ*, docebo vos, *quo nihil utilius.*

Quis est homo *mortalis* qui vult *habere* vitam * *æternam*, & diligit dies videre bonos *atque æternos in futura beatitudine*? [1. *Petr.* 3. 10.]

Prohibe *ac tempera* linguam & *loquelam* tuam à malo * *contentionis, detractionis, murmurationis*; et labia tua *contra proximum*, ne loquantur dolum *adulationis, mendacii, deceptionis.*

Diverte à malo, *quod diaboli instinctu provenit*; et fac bonum, * *quod ex Dei gratia procedit*: inquire *cum magno desiderio* pacem *in Deum & in conscientia*, et persequere *perseveranter ut* eam *comprehendas.*

Oculi Domini & *aspectus divinæ pietatis semper sunt* super justos * & *dilectos*, et aures ejus *paratæ sunt* in preces eorum *exaudiendas.* [*Eccles.* 15. 20. *Hebr.* 4. 13.]

Vultus autem *iræ & indignationis*

Do-

Domini *Dei* ſuper facientes mala, * *ad puniendum eos*; ut perdat *& deſtruat* de terra *viventium* memoriam eorum, *adeò ut nec mentio nec interceſsio fiat pro eis.*

Clamaverunt juſti *devotè orando*, et Dominus exaudivit eos * *promovendo in bonis*: et ex omnibus tribulationibus *atque anguſtiis* eorum *protegendo*, liberavit eos *à malis ſpiritualibus.*

Juxta eſt Dominus *ſuo divino auxilio* iis qui tribulato *& contrito* ſunt corde, * *eos adjuvando*: et humiles ſpiritu *ac corde* ſalvabit, *quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum.*

Multæ *ſunt* tribulationes *hominum* juſtorum, * *à diabolo & invidis hominibus*: et de omnibus his *vitæ præſentis anguſtiis* liberabit eos Dominus, *quando abſterget omnem maculam ab oculis eorum.*

Cuſtodit *& obſervat* Dominus *Deus* omnia oſſa eorum * *electorum, quæ ſunt animæ virtutes, in quibus robur mentis*: *&* unum ex his, *qualiſcumque immineat tentatio*, non conteretur *neque deperibit ex toto.*

Mors

Mors peccatorum *decedentium in mortali delicto* pessima * *est*, *quia in gehenna perpetuò torquebuntur* : et qui oderunt *in animo* justum *hominem* delinquent, *cùm odium fraternum sit occasio multorum malorum.*

Redimet Dominus *pretio mortis suæ* animas servorum suorum * *prædestinatorum*; et non delinquent *finaliter in mortem* omnes qui sperant *spe formata caritate* in eo, *in quo est remissio peccatorum.*

ORATIO.

Illuminemur, quæsumus, nos lumine gratiæ tuæ, ut hìc gustemus & intelligamus quàm suavis sis, Domine, in misericordia tua, sperantibus in te. Et emitte Angelum tuum in circuitu nostro : cujus præsidio muniti, ab omni impugnatione dæmonum & morte peccatorum pessima liberemur. Per Dominum &c.

PSALMUS XXXIV. [*sec. Hebr. XXXV.*]

Psalmus *iste attribuitur* ipsi David, *hoc est Christo, manu forti, qui vicit mundum, mortem, & diabolum.*

JUdica, Domine, *judicio condemnationis Judæos* nocentes me, * *reddendo eis ſecundum opera eorum*: expugna *atque devince* impugnantes me *injuſtè*.

Apprehende *tua* arma *divina ad arcendum inimicos*, et ſcutum * *ad protegendum*: et exurge *atque ſuccurre* in adjutorium mihi, *quum vires meæ non ſuppetant*.

Effunde frameam, *& evagina gladium iræ tuæ, in Judæos*; et conclude *multitudine hoſtium* adverſus eos, *ut intereant* qui perſequuntur me: * *quoniam tu es ſalus mea*. Dic animæ meæ *per revelationem interiorem*: Salus tua ego ſum, *ut neminem præter te requiram in anguſtiis*.

Confundantur *Judæi*, *& facta ſua erubeſcant*, et *tandem* revereantur * *emendati*, quærentes *perdere* animam *& vitam* meam.

Avertantur *à Deo ut ſint* retrorſum, *non valentes perficere quod intendunt*, et confundantur * *in pravis actibus ſuis*, cogitantes *& machinantes* mihi mala,

tam

tam Judæi, quàm Hæretici, quàm Gentiles.

Fiant *ipſi* tamquam pulvis *leviſsimus, qui diſpergitur* ante faciem venti, * *ut facile vincantur ab hoſtibus*: et Angelus Domini *malus ſit* coarctans & *affligens ſemper* eos, *atque dominetur eis.*

Fiat via & *vita* illorum *impiorum* tenebræ, *per ignorantiam & cæcitatem cordis*; et lubricum, * *ut facilè labantur in vitia*: et Angelus Domini *malus ſit etiam* perſequens & *tentans* eos, *ut ejus impulſu facilè capiantur.*

Quoniam gratis, *ſine cauſa, quum nihil mali feciſſem*, abſconderunt mihi *Judæi latenter inſidias*: *ſed hoc fuit in* interitum laquei ſui, * *quia per hoc laquearunt ſeſe in mortem*: ſupervacuè, *inutiliter* & *ſine cauſa* exprobraverunt, & *contumeliosè accuſaverunt, ut tollerent* animam & *vitam* meam *corporalem.*

Veniat illi *populo Judaico* laqueus *captivitatis per Romanos*, quem ignorat *futurum eſſe*; et captio *ac fraus*, quam abſcondit *mihi inſidiosè*, appre-

hendat eum * *ſubitò & improvisò* : et in laqueum *mortis* cadat *dictus populus*, in ipſum *inquam laqueum quem mihi moliebatur.*

Anima autem mea, *à malis liberata*, exultabit in Domino, * *gratias agendo*; et delectabitur *jubilatione jucunda* ſuper *Chriſto* ſalutari *filio* ſuo, *per quem ſalvati ſumus.*

Omnia *interiora* oſſa mea *& robora animæ meæ, quæ ſunt conſtantia mentis, & ſanctæ voluntates*, dicent, * *loquentur, & prædicabunt* : Domine *Deus*, quis ſimilis tibi? *certè nullus.*

Eripiens *tu es, Domine*, inopem *populum Chriſtianum* de manu *& poteſtate* fortiorum ejus, * *immundorum videlicet ſpirituum, qui naturaliter fortiores ſunt homine* : *inſuper* egenum *ſapientia populum*, et pauperem *virtutibus, liberaſti* à *poteſtatibus tenebrarum* diripientibus eum : *& hoc per crucem tuam.*

Surgentes *principes Judæorum, &* teſtes iniqui * *inducti ab eis*, quæ ignorabam, *ut mentiri & blaſphemare*, interrogabant me, *ad extorquendum aliquod*

quod verbum reprehensione dignum.

Retribuebant *Judæi* mihi *Christo* mala pro bonis : * *attuli eis vitam, ipsi me condemnaverunt morti : etiam* sterilitatem *retribuebant* animæ meæ, *contumelias, vulnera, & mortem.*

Ego autem, *quando in me sævirent, &* cùm mihi molesti essent, * *clamantes : Crucifige ; tunc non vindicabam eos, sed* induebar cilicio, *& abscondebar secundum divinitatem sub humana carne.*

Humiliabam *& affligebam* in jejunio *Judæorum* animam meam, * *quia esuriebam & sitiebam salutem eorum :* et oratio mea *pro crucifixoribus emissa, ex quo suscipere non merentur,* in sinu meo *& secreto cordis, unde exierat,* convertetur *& remeabit : frustrà enim pro eis orabam.*

Quasi *ad* proximum *meum*, et quasi *ad* fratrem nostrum *carnalem*, sic complacebam * *& morem gerebam illis, docendo, prædicando, instruendo viam vitæ & veritatis : &*, quasi *pater* lugens *filium*, et contristatus *de errore ejus*, sic humiliabar *compatiendo eis, & affligebar de perditione eorum.*

Et *tamen Judæi* adversum me *innocentem* lætati sunt *in malevola & impia eorum voluntate*, et convenerunt * *in unum consilium*: congregata *& multiplicata* sunt super me *innocentem* flagella *atque tormenta*, et ignoravi *caussam unde meruissem*.

Dissipati *& attoniti* sunt, *visis miraculis in passione*: nec *tamen* compuncti *de sua iniquitate ad pœnitentiam*, tentaverunt me: *Si filius Dei es, descende de cruce*. Subsannaverunt *deridentes* me subsannatione * *hac*: *Vah qui destruis templum Dei*! Frenduerunt super me, *ex crudelitatis magnitudine*, dentibus suis, *bestiali ferocitate*.

Domine *Pater*, quando respicies * *illorum iniquitates, & meam innocentiam*? restitue *tertia die* animam meam *corpori*, à malignitate eorum *liberatam*; *& erue atque libera* à leonibus (*Judæis, propter fortitudinem malitiæ eorum*) unicam *carnem* meam, *quæ sola concepta fuit sine peccato*.

Confitebor tibi *& laudabo te*, *Domine Pater*, in Ecclesia *Christianorum* magna, * *ex omni gente collecta*, *atque*

per

per orbem diffusa: in populo *Christiano*, gravi, *maturo*, *ac modesto, firmiter præcepta tua custodienti*, laudabo te *glorificando*.

Non supergaudeant *Judæi* mihi, *nomen meum delendo*, qui adversantur mihi iniquè, * *& persequuntur injustè*; qui oderunt me gratis, *sine causa*, et annuunt oculis, *alios concitantes ad derisionem*. [*Jo.* 15. 25.]

Quoniam mihi quidem, *licet dolose*, *tamen* pacificè loquebantur, * *dicentes*: *Magister*, *scimus quia verax es*: et *tamen*, in iracundia terræ *amittendæ* loquentes, *ne perderent locum & gentem*, dolos cogitabant, *quomodo me caperent in sermone*.

Et dilataverunt *in passione* super me *innocentem* os suum, * *blasphemantes*, *atque* dixerunt *deridentes*: Euge, *gaudentes*, euge, *bene actum de nobis, quia* viderunt *jam* oculi nostri *quod desideravimus*, *ut scilicet cum latronibus in cruce penderet*.

Vidisti & *cognovisti*, Domine, *meam innocentiam*, *& illorum nequitiam*: *& ideo*, ne sileas, * *sed profer sententiam*:

Domine *Pater*, ne diſcedas *in paſsione* à me *& ab humanitate mea*, *quæ ſubjacet paſsioni.*

Exurge, *Domine*, *in adjutorium meum*, et intende judicio meo, * *quo judicatus ſum ad crucem*: Deus *Pater* meus et Dominus meus, *reſpice* in cauſam meam, *quia patior pro hominibus*, *& non pro peccatis meis.*

Judica me *ſecundum cauſam meam*, *&* ſecundum juſtitiam tuam, *quæ non condemnat innocentem*, Domine Deus *Pater* meus: * et non ſupergaudeant *neque inſultent* mihi *Judæi*, *quaſi victores.*

Non dicant *neque arrogent* in cordibus *& cogitationibus* ſuis *malevolis*: Euge, euge, *bene*, *bene eſt* animæ noſtræ, * *fecimus quod voluimus*: nec dicant *jactantes*: Devoravimus eum, *& exſtinximus nomen ejus.*

Erubeſcant *de peccatis ſuis*, et revereantur *omnes* ſimul * *pœnas æternas*, qui gratulantur *& exſultant* de malis meis, *de afflictione & tribulatione mea.*

Induantur *pudore*, *&* confuſione,

et

et *ſimul* reverentia: * *erubeſcant ex timore omnes* qui magna loquuntur, *vel detrahendo, vel jactando* ſuper me *innocentem.*

Exultent *corpore*, et lætentur *ſpiritu*, qui volunt juſtitiam meam * *imitari quæ fuit in me*: et dicant ſemper *& uſque in finem ſæculi*: Magnificetur Dominus *Pater in nobis. Hoc, inquam, dicant hi* qui volunt *& diligunt* pacem *Chriſti* ſervi *Patris* ejus, *qui ſua morte pacem poſuit inter Deum & hominem.*

Et lingua mea *atque Apoſtolorum meorum* meditabitur *atque prædicabit* juſtitiam tuam, * *annuntiando Euangelium gentibus*; *&* tota die *præſentis vitæ decantabit* laudem tuam *in Eccleſia catholica.*

ORATIO.

Præſto ſit tuum divinum auxilium in perſequutione impugnantium nos; quoniam unica ſalus noſtra tu es: quis enim ſimilis tibi? Quocirca anima noſtra delectabitur ſemper & exſultabit in ſalutari noſtro JESU CHRISTO, qui humiliavit ſemetipſum uſque ad mortem crucis, delens chirographum peccati. Protecti ergo ſcu-

ſcuto inexpugnabili juſtitiæ tuæ, mereamur, cum diligentibus te, lætitia & exſultatione æterna perfundi. Per eumdem Dominum noſtrum.

PSALMUS XXXV. [*ſec. Hebr. XXXVI.*]

Pſalmus *tendens* in finem *Chriſtum attribuitur* ſervo *juſto* Domini, *qui eſt* David.

DIxit *in corde ſuo* injuſtus *& decrevit apud ſe* ut delinquat, *liberè peccando, obduratum* in ſemetipſo * *cor habens* : *ſed* non eſt timor Dei, *quod eſt frenum peccati*, ante oculos *mentis* ejus.

Quoniam, *timore Dei poſthabito,* dolosè egit, *legem contemnens,* in conſpectu ejus * *qui videt omnia* : ut inveniatur iniquitas *& reputetur* ejus *peccatum* ad odium, *ut Deus iniquitatem judicet, & non dimittat, ſed imputet.*

Verba oris ejus *injuſti ſunt* iniquitas *in Deum*, et dolus * *in proximum:* noluit *peccator* intelligere, *immò contemſit, dicta ſalutaria*, ut bene ageret; *licet poſſet, ſi bona voluntas accederet.*

Ini-

Iniquitatem *longa deliberatione* meditatus est *& errorem*, in cubili suo * *atque in secreto cordis sui*: astitit *& consensit* omni viæ non bonæ, *& in omni genere peccati*; malitiam autem non odivit, *sed dilexit*, *in malis gaudendo & delectando.*

Domine Deus, in cœlo *est* misericordia *& beneficentia* tua * *divina*, *quæ ubique sentitur*: et veritas tua *promissionum est* usque ad nubes, *ubique & semper.*

Justitia tua *est altissima*, sicut *sunt* montes Dei, * *ab impiis incomprehensibilis*: judicia tua, *quòd horum misereris*, *& hos excæcas*, *sunt* abyssus multa, *profunda & inscrutabilia.*

Homines *justos ac rationales*, et jumenta, *brutos homines & carnales*, salvabis, Domine, * *dum tamen pœnituerint*; quemadmodum *mirabiliter* multiplicasti *in omnibus* misericordiam tuam *ineffabilem*, Deus *noster.*

Filii autem hominum, * *propriis viribus ad omne bonum destituti*, in tegmine *& umbra* alarum tuarum *expansarum in cruce* sperabunt, *cùm nulla*

alia

alia sit salus nisi in cruce Domini.

Inebriabuntur *atque saturabuntur* ab ubertate *Spiritus Sancti*, *& pinguedine* domus tuæ; * *quia omnibus bonis replebis eos*, et *de* torrente *atque abundantia* voluptatis tuæ *divinæ* potabis eos *in fruitione æterna*, *qui jam sitiunt justitiam.*

Quoniam apud te, *Domine Deus*, est *indeficiens* fons vitæ, * *initium omnium bonorum*, *& origo virtutum*; et in lumine, *Christo filio* tuo, *qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*, videbimus *& intelligemus* lumen *totius Trinitatis.*

Prætende, *longe lateque diffunde*, *Domine Deus*, misericordiam tuam, *in remissione peccatorum*, scientibus *& cognoscentibus* te * *per fidem*, *atque confitentibus individuam Trinitatem*: et justitiam tuam *in vitæ rectitudine tribue* his qui recto sunt corde, *dirigentes se ad voluntatem Dei.*

Non veniat *aut subrepat* mihi pes *& affectus* superbiæ, * *quo de me præsumam*: et manus *seu impulsio* peccatoris *mala suadentis* non moveat me *à bo-*

bono propoſito, & à fide aut ſtatu gratiæ.

Ibi *enim in affectu ſuperbiæ* ceciderunt *à gratia divina omnes* qui operantur iniquitatem, * *quoniam Dei juſſa contemnunt* : expulſi *ergo* ſunt *& damnati à Deo*, nec potuerunt ſtare *vel reſurgere, quia non cognoſcunt errorem.*

ORATIO.

Deus, fons vitæ, & origo omnium bonorum, multiplica ſuper nos miſericordiam tuam: ut, inebriatos ubertate gratiarum tuarum; omnem iniquitatem, dolum, ſuperbiam abdicantes; nos, ſacroſancti nominis tui cognitione illuminatos, regno tuo dignos efficias, in fruitione æternitatis. Per Chriſtum Dominum noſtrum.

PSALMUS XXXVI. [*ſec.Hebr.* XXXVII.]

Pſalmus *iſte eſt* ipſi *homini impio à* David *Propheta decantatus.*

NOli æmulari, *invidere, & indignari* in malignantibus, * *nec te malè habeat improborum fortuna*, neque

que zelaveris *aut dilexeris* facientes iniquitatem : *tales enim, nec imitandi, nec amandi ſunt.*

Quoniam, tamquam fœnum, *quod hodie floret & cras marceſcit*, velociter areſcent * *in gloria & proſperitate malorum*; et, quemadmodum olera herbarum, *viridia, ſed vilia*, cito décident *in carnali eorum gloria.*

Spera in Domino, *quod eſt initium ſalutis*; et fac bonitatem, * *quia fides ſine operibus mortua eſt*; et inhabita terram, *permanendo in unitate Eccleſiæ* : et paſcêris, *uſque ad ſaturitatem & ſatietatem*, in divitiis *ſpiritualibus ejus, quarum theſaurus eſt ipſe Chriſtus.*

Delectare, *non in rebus tranſitoriis, ſed* in Domino, * *qui ſit dulcedo mentis tuæ*; et dabit tibi petitiones, *non carnis, ſed* cordis tui, *quas ſpiritus rationalis petit, quæ ſunt bona gratiæ & virtutis.*

Revéla *& patefac* Domino *Deo* viam tuam *peregrinationis per confeſſionem,* et ſpera in eo, * *& non in alio* : et ipſe *ſine dubio* faciet *illud quod deſideras.*

Et

Et educet *in publicum*, *quasi lumen aliis in exemplum virtutis*, justitiam tuam *atque opera justitiæ tuæ*; et judicium tuum, *quo eligis sequi Christum*, tamquam meridiem * *in pleno splendore manifestabit in extremo judicio*: *interim* subditus esto Domino, *præceptis ejus obediendo*; et ora eum *piè ac perseveranter*.

Noli æmulari *neque invidia commoveri* in eo *homine* qui prosperatur & *floret* in via sua * *perversa*, & in homine *malo* faciente *atque perpetrante* injustitias. *Ille prosperatur in via sua, & tu laboras in via Dei.*

Desine ab ira, *ne subitò irascaris prosperitate malorum*, et derelinque furorem: * *noli, ob hoc, contra Deum malignari. Subinde* noli æmulari *aut indignari in tantum* ut *ipse* maligneris, *atque efficiaris reprobus*.

Quoniam qui malignantur & *nequiter agunt*, *estò jam floreant in deliciis*, exterminabuntur * *tamen in futuro extra terminos viventium*: sustinentes autem & *patienter exspectantes* Dominum *Deum*, ipsi hereditabunt ter-

terram *viventium & patriam cœlestem.*

Et adhuc *restat* pusillum *temporis*, et non erit peccator, * *pro quo irásceris*; et quæres locum *atque felicitatem* ejus, et non invenies, *quia evanuit.*

Mansueti autem *& mites, qui jugum Domini patienter portant, & adversa mundi æquanimiter tolerant*, hereditabunt *cœlestem* terram * *viventium*, et delectabuntur *atque gaudebunt* in multitudine *supernæ* pacis *futuri sæculi, quæ est requies perfecta.* [*Matth.* 5. 4.]

Observabit *occultis insidiis* peccator, *ut circumveniat* justum, * *dolens de bono virtutis ejus*; et stridebit *præ furore* super eum *justum*, dentibus suis *detractionis & nequitiæ.*

Dominus autem irridebit *atque dignum opprobrio* eum * *judicabit*; quoniam prospicit *& procul aspicit* quòd veniet, *post pusillum temporis*, dies *perditionis* ejus *& dies ultionis iræ suæ.*

Gladium *persequutionis* evaginaverunt *atque nudaverunt* peccatores * *adversus sanctos*: intenderunt, *insidian-*

diando, arcum suum *in dolo.*

Ut dejiciant *dolis* pauperem, *& humilem spiritu*, et inopem, * *qui nec opem habet ab alio*; ut trucident *atque interficiant* rectos corde, *constantes & firmos in fide.*

Gladius eorum, *quo aliis nocere conantur*, intret in corda *& animas* ipsorum * *ad damnationem, ut simili persequutione moriantur*: et arcus, *dolus* eorum confringatur, *& insidiæ, ne justo noceant.*

Melius est *& sufficientius* modicum *temporale* justo * *homini, qui tendit ad bona spiritualia*, super divitias peccatorum multas: *quia avaro tam deest quod habet, quàm quod non habet.*

Quoniam brachia, *potestas, divitiæ, robur* peccatorum, *in quibus confidebant*, conterentur, * *minuentur, & confringentur*: confirmat autem, *ne à bono virtutis moveantur*, justos, *tam in prosperis, quam adversis*, Dominus *Deus.*

Novit *& approbat* Dominus *in vita præsenti* dies immaculatorum, * *conversationem & vitam justorum*: et hereditas eorum *qui sine macula sunt*,

in æternum erit, *& in vita æterna durabit.*

Non confundentur *neque privabuntur ſpe ſua juſti* in tempore malo, *quod erit dies judicii*: et in diebus famis, *quibus damnati eſurient per carentiam boni, juſti* ſaturabuntur * *per adeptionem ſummi boni*, quia peccatores peribunt.

Inimici verò Domini, *qui ſunt amici hujus mundi*, mox ut honorificati fuerint *gloria & reverentia*, et exaltati * *dignitatibus & potentia*; deficientes *quotidie de malo in pejus*, quemadmodum fumus, *cujus nullum tandem invenitur veſtigium*, deficient *tandem perpetuò.*

Mutuabitur *& ſuſcipiet* peccator *diverſa Dei beneficia*; et non ſolvet, * *Deo gratias agendo, & mandata ejus implendo*: juſtus autem *de bonis à Deo acceptis* miſeretur *affectu compatiendo*, et tribuet *largiendo eleemoſynas.*

Quia benedicentes *& gratias agentes* ei Deo hereditabunt *in præmium* terram * *viventium*: maledicentes autem ei, *quales ſunt peccatores, blaſphemi,*
&

& Dei legibus inobedientes, diſperibunt *à juſtorum beatitudine in æternam perditionem.*

Apud Dominum *Deum* greſſus hominis *juſti* dirigentur, * *ut non declinet à rectitudine juſtitiæ*: et viam ejus, *ad meritum æternæ vitæ ordinando*, volet *& approbabit* Dominus.

Cùm ceciderit *in peccatum propter carnis infirmitatem* (*quia ſepties in die cadit* juſtus), non *tamen* collidetur * *neque frangetur*, *gratiam Dei irrecuperabiliter amittendo*; quia Dominus *Deus* ſupponit *adjuvando* manum ſuam *miſericordiæ*, *reducendo eum per pœnitentiam ad gratiam.*

Junior fui *per ætatem*, etenim *jam* ſenui * *in diebus*; et non vidi *umquam* juſtum *hominem* derelictum *à Deo*, nec ſemen *& progeniem* ejus *vidi umquam* quærens panem *& neceſſaria bona.* [*Eccl.* 2. 12.]

Tota die *atque omni tempore vitæ ſuæ*, miſeretur *juſtus admonendo errantem*, et commodat * *pauperibus diſpenſando eleemoſynas*: et ſemen illius, *quod ſeminat ut metat*, in benedictione erit,

quia cum exsultatione veniet portans manipulos suos.

Declina à malo *& diverte à peccato*, et fac bonum * *opus exercendo te virtutibus*: et inhabita *in terra viventium* in sæculum sæculi, *æternaliter.*

Quia Dominus *Deus* amat judicium, *justitiam & æquitatem*, et *ideo* non derelinquet *electos* sanctos suos, * *qui ejus voluntatem impleverunt*: *sed* in æternum *in vita beata* conservabuntur *in corpore & anima.*

Injusti *pœna æterna* punientur * *in inferno*, et semen *atque opus illorum* impiorum *hominum transibit ut umbra*, *&* peribit *in nihilum.*

Justi autem *homines* hereditabunt *atque possidebunt* terram * *viventium*, *ubi nullus moritur*; et inhabitabunt *atque dominabuntur* in sæculum sæculi *sine fine* super eam, *tamquam domini & possessores.*

Os *ipsius* justi *hominis* meditabitur *& prædicabit* sapientiam, * *quæ est ex Deo & æternis*: et lingua ejus *cum discretione* loquetur judicium *veritatis*, *discernens quæ tenenda sunt*, *& quæ fugienda.*

Lex Dei ejus & *observatio præceptorum erit semper* in corde ipsius, * *per jugem meditationem* : et *ideo* non supplantabuntur *à diabolo vel peccato* gressus ejus, *quibus nititur ad Deum pervenire.* [*Isai.* 51. 7.]

Considerat *callidè* peccator *ut circumveniat* justum, * *ad decipiendum:* et *etiam per invidiam* quærit *opportunitatem* mortificare eum, *vel corporaliter*, *vel spiritualiter.*

Dominus autem *Deus* non derelinquet eum *totaliter* in manibus & *potestate* ejus * *impii*; nec damnabit eum *justum in futuro judicio*, cùm judicabitur, *sed sententia* illi *dabitur pro eo.*

Expecta *patienter* Dominum, *qui te judicabit* ; et custodi viam ejus, *observando mandata* : et exaltabit te *de lacrimarum valle*, ut hereditate & *firma possessione* capias terram * *supernæ patriæ* : & *quidem*, cùm perierint *atque judicati fuerint* peccatores, *tunc* videbis *præmia justorum*, & *pœnas impiorum.*

Vidi impium *præ aliis* superexaltatum * *potentia & honoribus sæculi*, et

elevatum *ſuperbia* ſicut cedros, *arbores* Libani *montis altiſsimas.*

Et tranſivi, *per aliquod tempus exſpectans*, et ecce non erat * *qui ſic intumuerat* : et quæſivi eum *in gloria ſua vana*, et non eſt inventus *neque ſplendor pompæ, dignitatis, & ſuperbiæ, nec etiam* locus *proſperitatis* ejus.

Cuſtodi innocentiam *vitæ, quo ad Deum*; et vide æquitatem, * *juſtè cum proximo agendo* : quoniam *hæc bona opera* ſunt reliquiæ *quæ poſt hanc vitam relinquuntur* homini pacifico, *ut poſt mortem præmientur in felicitate æterna.*

Injuſti autem *cum ſuis operibus* diſperibunt *atque æterna damnatione delebuntur*, ſimul * *etiam cum eis* reliquiæ impiorum, *quæ ſunt honor, divitiæ, fama*, interibunt: *quoniam, poſt mortem, falſa eorum laus & fragilis gloria diſſolvetur.*

Salus autem *mentis & corporis ipſorum* juſtorum *hominum eſt* à Domino * *Deo* : *qui etiam* et *eſt* protector eorum, *ſi quid eos impugnat*, in tempore tribulationis & *tentationis, ne ſuperentur.*

Et

Et *in colluctatione tentationum* adjuvabit eos Dominus, *cooperando ne fatigentur* : et liberabit eos, * *si ceciderunt in peccatum*; et eruet eos *per veram pœnitentiam* à peccatoribus, *quia non erunt de numero obstinatorum* : et *tandem* salvabit eos, *ad vitam æternam perducendo* : quia speraverunt *firmiter* in eo *qui est salus cunctis sperantibus in Domino*.

ORATIO.

Omnipotens Deus, salus, protectio, & liberatio nostra, concede petitiones cordis nostri, qui delectamur & speramus in te. Domine, dirige gressus nostros in bonum: &, cùm ceciderimus in peccatum, porrige dexteram cadentibus, cum auxilio gratiæ & misericordiæ tuæ; ne collidamur in interitum, ne confundamur in tempore malo, ne dispereamus cum impiis; sed hereditatem justorum in terra viventium sortiamur. Per Dominum nostrum.

PSALMUS XXXVII. [*sec.Heb.XXXVIII.*]

Psalmus *iste est* David *&* *cujuslibet pœnitentis*, in rememoratione *atque recordatione* Sabbati *&* *requiei æternitatis*,

tis, quam habere desiderat, sed peccatorum conscius perdere reformidat.

DOmine, *precor* ne in furore tuo *excandescenti* arguas me, * *cum reprobis damnando*; neque in ira *atque indignatione* tua *castiges & corripias* me, *purgatorii pœna cruciando.*

Quoniam *in hac vita* sagittæ tuæ *vindicativæ, quæ sunt pœnalitates animæ & corporis*, infixæ sunt mihi * *in vulnus, postquam peccavi*; et confirmasti *diu & in multis*, super me *peccatorem*, manum tuam *& potentiam vindictæ.*

Non est sanitas *neque requies* in carne mea *mortali*, à facie *& instantia* iræ *& vindictæ* tuæ: * *etiam* non est pax *in interioribus* ossibus meis *& viribus animæ meæ*, à facie *& reminiscentia* peccatorum meorum, *atque instantia suggestionum malarum.*

Quoniam iniquitates meæ, *regnantes in mortali corpore*, supergressæ sunt *suo numero* caput *& intellectum* meum,* *quod in servitutem redigunt*; et sicut onus grave, *ob multitudinem & magni-*

gnitudinem earum, gravatæ ſunt *ut ad bona erigere mentem nequeam*, ſuper me *peccatore*.

Putruerunt *plagæ peccatorum in deliciis ſuis*, et corruptæ ſunt *tabe malorum operum* cicatrices meæ * *in livoribus perverſis*, à facie *&* *aſpectu* inſipientiæ *atque ignorantiæ* meæ, *quia neglexi ut rem vilem*.

Miſer, *quia ſervus peccati*, factus ſum *in afflictionibus animæ & corporis*; et curvatus ſum *in conſcientia*, *peccatorum mole*, uſque in finem * *humiliatus ad pœnitentiam*: tota die *hujus vitæ*, contriſtatus *propter ſyndereſim* ingrediebar, *timens pœnas futuras*.

Quoniam lumbi mei *carnalium delectationum* impleti ſunt *& fatigati*, *fomite concupiſcentiæ*, illuſionibus * *vanis*, *libidinum incentivis*: et *ergo* non eſt ſanitas *neque requies* in carne mea, *quæ ſemper adverſus ſpiritum concupiſcit*.

Afflictus ſum *corpore*, et humiliatus ſum *mente* nimis, * *quum undique ſit calamitas*: rugiebam, *amarè flendo*, à gemitu *&* *contritione* cordis mei,

pe-

petens cum luctu remiſsionem.

Domine, ante *& coram* te *eſt* omne deſiderium meum: * et, *quia pius es*, gemitus meus *pro peccatis*, à te, *qui noſti ſecreta cordium*, non eſt abſconditus: *tibi enim non occultantur occulta.*

Cor meum, *quia tranquillitatem conſcientiæ amiſit*, conturbatum eſt *ſuis paſsionibus*, *& inde dolor*: dereliquit me *robur ac priſtina* virtus mea, * *inde pavor*: et lumen, *ob paſsionum turbulentiam*, oculorum meorum *mentalium etiam deſeruit me*, *inde error*: et ipſum *verum lumen*, *qui Chriſtus eſt*, non eſt mecum, *quia in tenebris decidi peccatorum.*

Amici mei (*vox eſt Chriſti*) et proximi mei, * *Judæi*, adverſum me *cum gladiis & fuſtibus* appropinquaverunt: *conſiliis* et *dolis* ſteterunt *perſeveranter contra me*, *ut occiderent.*

Et qui *ante paſsionem* juxta me erant, *Apoſtoli*, de longè ſteterunt, * *quia*, *relicto me*, *fugerunt*: et vim faciebant *Judæi*, *trahentes ad principes ſacerdotum*, qui quærebant *tollere* animam *& vitam* meam.

Et

Et qui *ſcrutantes* inquirebant *falſa & mala crimina quæ opponerent* mihi; *non invenientes*, locuti ſunt vanitates, * *fingendo teſtimonia falſa*; et dolos *fraudeſque* tota die meditabantur, *ut me morti traderent.*

Ego autem, *ferendo improperia*, tamquam ſurdus *nihil reſpondens*, non audiebam : * et *fui* ſicut mutus, *conticeſcens*, non aperiens *ad exprobrationes* os ſuum.

Et factus ſum, *dum me conſpuerent illuderentque*, ſicut homo *objecta* non audiens * *convicia*, et *quaſi* non habens in ore ſuo *innocenti* redargutiones, *quibus eorum blaſphemiis reſpondere poſſem.*

Quoniam, *ſuſtinendo crucem*, in te, Domine, ſperavi, * *ut me ſuſcites*; tu exaudies me, *quia obediens fui uſque ad mortem*, Domine Pater Deus meus.

Quia dixi *in oratione, te deprecando*: Nequando *inſultent &* ſupergaudeant mihi *conviciatores* inimici mei : * et, dum commoventur *atque labaſcunt diſcipuli, qui ſunt* pedes mei; *tunc* ſu-

ſuper me, *irridendo*, magna *improperia* loquuti ſunt: *Si filius Dei es, deſcende de cruce.*

Quoniam ego, *non recuſans crucifigi*, in flagella *ſuſtinenda & tormenta* paratus ſum * *volenti animo*; et dolor meus *crucis* in conſpectu meo, *quia innocens patior*, *eſt* ſemper *pro eis.*

Quoniam *& ego pœnitens*, iniquitatem meam *accuſando*, annuntiabo * *in confeſsione*; et cogitabo *ſollicitus ac ſedulò* pro peccato meo, *operibus ſatiſfaciendo.*

Inimici autem mei *proſperantur*, vivunt, *fruuntur mundo*, et confirmati ſunt *in malitia*, *ſecurè peccantes*, ſuper me, * *ob eorum proſperitatem*: et multiplicati ſunt *numero* qui oderunt me *ſine cauſa*, *ſed* iniquè, *ſed ſola perverſitate.*

Qui retribuunt, *ex ingratitudine*, mala pro bonis, *quod peſsimorum eſt*, detrahebant mihi * *ex invidia*, quoniam ſequebar *conſcientiæ* bonitatem, *deteſtando vitia.*

Ne derelinquas me *in tentatione & tribulatione*, Domine, *auctor ſalutis meæ*,

meæ, & Deus meus, * *quem adoro:* ne diſceſſeris *penitus* à me, *ſubtrahendo gratiam tuam.*

Intende, *quia graves ſunt pugnæ carnis*, in adjutorium meum, * *ut in bonis perſeverem*, Domine Deus, *auctor, dator*, & *promiſſor* ſalutis & *redemtionis* meæ *æternæ.*

ORATIO.

Domine, ne in furore tuo excandeſcenti arguas nos, cum reprobis in æternum damnando. Cognoſcimus culpam, precamur veniam : reminiſcentia peccatorum nos affligit, cor conturbatum eſt, non eſt ſanitas in carne noſtra : ne derelinquas nos, Domine Deus noſter : ne ſubtrahas gratiam tuam à nobis, ſed intende in adjutorium noſtrum, auctor ſalutis noſtræ JESU CHRISTE, qui es benedictus in ſæcula ſæculorum.

PSALMUS XXXVIII. [*ſec.Hebr.XXXIX.*]

In finem *nos dirigens & Chriſtum*, pro Idithun & *pro tranſiliente mundum per contemtum & caſtigationes carnis*, canticum, *quod attribuitur ipſi* David, *docens mundana deſpicere, & cœleſtia anhelare.*

DI-

DIxi *firmiter & proposui in corde:* Custodiam vias *& actiones* meas, * *tali diligentia*; ut *etiam* non delinquam *peccando* in lingua mea, *detrahendo, jurando, vel mentiendo.*

Posui ori meo custodiam * *& cautelam, silentium observans*; cùm consisteret *hæreticus, calumniosus* peccator, *vel reprobus* adversum me, *mihi insidiando, vel quærens calumniam elicere.*

Obmutui, *volens vitare contentionem*, et humiliatus *& afflictus* sum *apud impios, adeò ut* et silui à bonis * *enuntiandis, unde veritatem subticui*: et dolor meus *propterea* renovatus est, *de indiscreta taciturnitate.*

Concaluit *& succensum est* cor meum, *ex dilectione Dei & proximi*, intra me, * *in interiori homine*: et, in meditatione *atque deliberatione* mea *de his habita*, exardescet ignis *& fervor dilectionis per zelum, ut arguam insensatos.*

Locutus sum *Deo meo* in lingua mea, * *toto corde & ore eum deprecando*: Notum *atque manifestum* fac mihi,

ut ſemper in memoria habeam, Domine *Deus*, finem *&* *exitum* meum *in mortali corpore*.

Et numerum *oſtende mihi* dierum meorum, *quibus vivam in hoc ſæculo*, quis eſt, * *&* *quantum ſuperſit*; *non ut indulgeam voluptatibus*, *ſed* ut ſciam quid *temporis & meriti* deſit mihi, *ut emendem vitam meam*.

Ecce *breves*, menſurabiles, *& tranſitorios* poſuiſti *atque ordinaſti* dies meos, * *immò numerus menſium apud te eſt*: et ſubſtantia mea *carnalis*, *quæ in Adam peccante corrupta eſt*, tamquam nihilum *reputanda eſt* ante te, *qui æternus es*.

Verumtamen, *in hac mortalitate*, univerſa *ſub ſole degentia ſunt* vanitas: * *&* *etiam* omnis homo vivens *plenus eſt vanitate naturæ*, *culpæ*, *& miſeriæ*.

Verumtamen, *præter hæc*, *etiam* in imagine, *quæ videtur in ſpeculo & ſtatim diſparet*, pertranſit homo * *eundo ad mortem*, *& evaneſcit*: ſed et, *quamvis ſic tranſeat*, *nihilo ſecius tamen* fruſtra *& inutiliter* conturbatur *&*

gra-

gravatur vana ſollicitudine circa temporalia.

Theſaurizat * *cum magna ſollicitudine, pro ſe & ſuis* : et *tamen* ignorat cui congregabit ea, *an furibus, an hoſtibus, an extraneis, an fiſco.*

Et nunc, *inter tot vanitates vitæ præſentis*, quæ eſt expectatio mea, *& finis meus quem ſpero* ? nónne Dominus * *Deus, qui eſt ſuper omnia* ? et ſubſtantia mea *ſpiritualis, quæ in conſcientia exſiſtit*, apud te *nota* eſt *atque reſervatur.*

Ab omnibus *peccatis &* iniquitatibus meis, *præteritis, præſentibus, & futuris*, erue *& libera* me * *tua miſeratione* : *in* opprobrium *atque deriſum* inſipienti *ac ſtulto peccatori* dediſti me, *quia mali ſemper illudunt bonis.*

Obmutui *quum me conviciis laceſſerent*, et non aperui os meum *quum me diverſis improperiis irritarent* ; quoniam tu feciſti * *me talem, ut in adverſis non murmurarem* : amove *tamen* à me *peccatore* plagas *& correctiones* tuas, *quibus me affligi permittis.*

A fortitudine *& gravi correptione*

ma-

manus & *potentiæ* tuæ *divinæ* ego defeci, & *debilitatus ſum* in increpationibus * *tuis & duris punitionibus* : *tamen*, propter iniquitatem & *peccata*, *juſtè* corripuiſti *flagellis tuis* hominem, *ut tandem caſtigatus erudiatur*.

Et tabéſcere, *infirmari*, *atque humiliari* feciſti, *ad erudiendum*, ſicut araneam, *qua nihil tabidius*, *quæ leviter tacta cadit*, animam ejus * *fragilem* : verumtamen vanè *anxiatur*, conturbatur, & *affligit ſe* omnis homo *mortalis*, *citò tranſiens*.

Exaudi orationem meam *pro bonis adipiſcendis*, Domine *Deus*, et deprecationem meam * *pro malis amovendis*: auribus *tuis divinis* percipe *miſericorditer* lacrimas meas, *tibi fuſas ex intimo corde*.

Ne ſileas *neque diſsimules* : quoniam advena *in hoc mundo* ego ſum apud te, *non habens permanentem civitatem*; et peregrinus, * *pergens ad patriam vitæ æternæ*, ſicut *olim* omnes patres mei, *qui hinc migraverunt*.

Remitte mihi *peccata mea*, ut refrigerer *in conſcientia per conſolationem*,

 pri-

priusquam abeam * *de præsenti vita ad mortem*, et amplius non ero *in statu merendi: quia post mortem non est peccati remissio.*

ORATIO.

Pone, Domine, custodiam ori nostro, ut non delinquamus in lingua. Ab omnibus iniquitatibus libera nos, & corripe nos: sic tamen, ut non deficiamus in increpationibus. Notum fac nobis finem nostrum, ut cognoscamus quid desit in emendationem vitæ. Ne differas auxiliari: quia advenæ sumus & peregrini, sicut omnes patres nostri. Subinde thesaurizemus ea in hoc sæculo, quæ, te retribuente, capiemus in futuro. Per Christum Dominum nostrum.

PSALMUS XXXIX. [*sec. Hebr.* XL.]

In finem *&* *Christum* Psalmus *iste est* David *Prophetæ*.

EXpectans *cum magno desiderio* expectavi *quotidie* Dominum * *Christum incarnandum*, *qui solus potest salvare*: et *ipse pro sua clementia* intendit mihi, *implendo desiderium amoris mei.*

Et

Et exaudivit *Dominus* preces meas, * *mittendo Christum*; et eduxit me *atque liberavit* de lacu miseriæ, *infelicitatis, atque ignorantiæ*, et de luto *fœtido* fæcis, *carnalis concupiscentiæ, & desideriis terrenorum.*

Et statuit *atque firmavit per fidem* super petram *Christum, qui est vera petra*, pedes *& affectus* meos, * *ut in eo confidam*; et direxit *per legem Euangelicam* gressus *& actus* meos, *ad beatitudinem æternam.*

Et *sic* immisit *supernè* in os meum, *ut occinerem*, canticum novum * *de incarnatione, passione, resurrectione, ascensione*: carmen, *inquam, laudes, & gratiarum actiones*, Deo nostro *Jesu Christo.*

Videbunt *per fidem* multi *qui cæci erant, & de Deo nihil intelligebant*; et timebunt, * *cognoscentes se peccatores*: et, *effecti Christiani*, sperabunt *consequi* in Domino *Jesu remissionem peccatorum.*

Beatus *est* vir *ille* cujus est nomen Domini *Jesu Christi* spes *salutaris* ejus * (*quia non est aliud nomen in quo*

oportet nos ſalvos fieri) ; et *qui* non reſpexit *neque fiduciam poſuit* in vanitates *hujus mundi*, et inſanias falſas, *quæ ſunt iræ , rixæ, diſſenſiones, & reliqua opera carnis.*

Multa feciſti *mundum creando* tu, Domine Deus meus ; *ſed majora* mirabilia tua * *ſunt quod per paſsionem tuam mundum ſalvaſti* : et cogitationibus tuis , *quibus diſpoſuiſti ab æterno myſterium incarnationis* , non eſt *aliquis* qui ſimilis ſit tibi , *quia hoc mirabile excedit omnia mirabilia tua.*

Annuntiavi *mirabilia* , *prius per Prophetas* ; et *noviſsimè* locutus ſum * *ipſe* , *inter homines converſatus ut homo: unde* multiplicati ſunt *credentes* , ſuper numerum *arenæ maris.*

Sacrificium et oblationem *veteris legis* noluiſti , * *ad tollendum peccata mundi* : aures autem *ad obediendum* perfeciſti mihi , *uſque ad mortem carnis.*

Holocauſtum *quod totum incendebatur ad honorem Dei* , et pro peccato *originali* , non poſtulaſti , * *quia non fuit tibi acceptum* : tum dixi *ego Chri-*

ſtus:

ſtus: Ecce *volens ac lætus ego* venio *ad offerendum corpus meum in ara crucis, ceu ſacrificium acceptiſsimum.*

In capite libri *prædeſtinationis* ſcriptum eſt de me *Chriſto*, ut facerem *atque adimplerem* voluntatem tuam, * *quæ fuit obire mortem pro redemtione generis humani*: &, Deus meus, *hoc idem* volui, & *ad hoc de cælo deſcendi*, et legem tuam *Euangelicam ſemper habui* in medio cordis mei *per meditationem.*

Annuntiavi, *per me & Apoſtolos*, juſtitiam & *legem* tuam *Euangelicam*, *quæ pœnitentiam docet* in Eccleſia *catholica*, *quæ* magna * *eſt poteſtate*, & *firmitate*, & *amplitudine*: ecce labia mea *non comprimam*, non prohibebo *à promulgatione legis per me & meos*: & *tu*, Domine *Pater*, tu *hoc* ſciſti, & *teſtis es.*

Juſtitiam tuam & *mandata tua* non abſcondi, *quando potui prodeſſe* in corde meo; * *ſed palàm annuntiavi doctrina & operibus*: & veritatem tuam *in exhibitione promiſſorum*, et ſalutare tuum, *videlicet me ipſum pro ſalute*

 ho-

hominum, dixi, *prædicavi*, *atque enuntiavi.*

Non abſcondi *neque celavi* miſericordiam tuam, *quia peccata condonas*, et veritatem tuam, * *quia minaris impiis*, à concilio multo *&* *congregatione magna*: *omnibus enim benignitatem tuam & doctrinam Euangelicam annuntiavi.*

Tu autem, Domine *Deus Pater*, ne longè, *ſed propè* facias miſerationes tuas *infinitas* à me * *&* *membris meis fidelibus*: miſericordia tua, *qua dimittuntur peccata*, et veritas tua, *qua juſtus es*, ſemper ſuſceperunt *&* *conſervaverunt* me, *ne peream.*

Quoniam circumdederunt *undique* me mala *&* *moleſtiſsima quæque*, quorum non eſt numerus * (*negligentia noſtra & tentationes innumerabiles ſunt*): comprehenderunt *&* *illaquearunt* me iniquitates meæ *adeò*, et non potui *proſpicere mihi*, ut viderem *quomodo illas evaderem.*

Multiplicatæ ſunt *iniquitates meæ* ſuper capillos capitis mei, * *quia infinitæ*: et *ergo* cor meum *atque vigor*

gor animæ dereliquit me, *destitutus fiducia & viribus.*

Complaceat tibi *in bona voluntate tua*, Domine Deus, ut eruas me, * *ut gratiâ tuâ à tantis malis liberer:* Domine, ad adjuvandum me *auxiliator unicus*, respice *misericorditer.*

Confundantur *inimici mei ut resipiscant*, et revereantur *erubescentes simul pœnam, quam meruerunt*, qui quærunt *insidiando* animam meam * *& meorum*, ut auferant eam *interficiendo.*

Convertantur *de pravis suis voluntatibus* retrorsum, *ne in malo opere perseverent*, et revereantur * *atque timeant Deum*, qui volunt mihi *& meis* mala *inferre.*

Ferant *quasi pondus immensum* confestim, *ne longius progrediantur in malum*, confusionem suam, * *ut citò redeant ad pœnitentiam*, qui dicunt mihi *& meis*: Euge, euge, *bene, bene, applaudentes adulatoriè & dolosè.*

Exultent *corpore*, et lætentur *mente*, super te *Deum Patrem*, omnes quærentes te * *per fidem & dilectionem:*

 et

et dicant ſemper *atque prædicent* : Magnificetur Dominus, *& ſit nomen ejus benedictum*, qui diligunt *me Chriſtum* ſalutare tuum, *quem miſiſti pro ſalute hominum.*

Ego autem mendicus ſum, *quia formam ſervi accepi*, et pauper, * *vilis, abjectuſque judicatus* : *ſed* Dominus *Deus* ſolicitus eſt *& curam habet* mei.

Adjutor meus, *quum ſim fragilis*, et protector meus *in anguſtiis* tu es : * Deus meus, ne tardaveris *periclitanti auxilium opportunum.*

ORATIO.

Exaudi preces noſtras, Domine, & educ nos de lacu miſeriæ, infidelitatis, & ignorantiæ, atque de luto carnalis concupiſcentiæ; ne reſpiciamus in vanitates & inſanias falſas. Sed dirige per legem Euangelicam greſſus noſtros ad beatitudinem æternam. Et miſericordia ſuſcipiat nos, quum multiplicatæ ſint iniquitates ſuper capillos capitis noſtri. Ad adjuvandum nos reſpice: ne tardaveris, adjutor & protector noſter, qui es benedictus in ſæcula. Amen.

PSALMUS XL. [*sec. Hebr. XLI.*]

In finem *& in Christum* intellectus *hujus Psalmi tendens attribuitur* filiis Core, *hoc est, imitatoribus passionis Christi.*

BEatus *& felix est vir ille* qui intelligit *per veram fidem* super *Christum*, egenum *in sua humanitate*, et pauperem* *ac humilem; ut confiteatur eum verum Deum & hominem esse*: in die *judicii, quæ erit dies* mala, *dies iræ, calamitatis & miseriæ*, liberabit eum *à damnatione æterna* Dominus *Deus.*

Dominus *Deus* conservet eum *inter pericula & tentationes hujus laboriosæ vitæ*, et vivificet eum *suo spiritu & gratia*, et beatum *verè* faciat eum in terra* *viventium, ubi est perfecta beatitudo*; et non tradat eum *justum* in animam *& voluntatem* inimicorum, *diaboli & ministrorum*, ejus.

Dominus opem *suæ gratiæ divinæ* ferat illi *intelligenti*, super lectum *afflictum* doloris ejus, * *aut corporis, aut animæ, in infirmitate carnis: quia tu,*

Do-

Domine, univerſum ſtratum ejus, *jam quietum in omni ſenſualitate*, verſaſti *& turbaſti*, in infirmitate *& doloribus* ejus *caſtigando*, *& reminiſcetur æternorum.*

Ego *peccator* dixi *ad te*: Domine *Deus*, miſerere mei, * *quia confiteor me miſerum*: ſana animam meam, *auferendo ab ea delicti reatum*, quia peccavi tibi *& coram te mea perverſa voluntate.*

Inimici mei *Judæi* dixerunt *frequenter multa* mala *opprobria* mihi * *innocenti, atque in conciliis ſuis interrogaverunt*: Quando morietur *Samaritanus iſte*, et peribit *ſeu annihilabitur* nomen *& memoria* ejus?

Et, ſi *forſitan* ingrediebatur *aliquis de inimicis meis*, ut videret *me docentem*; *causâ explorandi faciebat*, *& ſic* vana loquebatur * *& ficta*, *ad diffamationem*: *unde &* cor ejus congregavit *ad damnum ſuum* iniquitatem ſibi, *in detrimentum animæ & corporis.*

Egrediebatur *ille* foras * *ad populum*, et loquebatur *falſa & ficta* in idipſum, *ad diffamationem meam.*

Ad-

Adverſum me *innocentem* ſuſurrabant, *latenter detrahendo*, omnes inimici mei, * *ſcribæ*, *& phariſæi*: adverſum me *etiam* cogitabant, *in conſiliis eorum*, mala *plura* mihi *inferre*.

Verbum iniquum *in omni injuſtitiæ* conſtituerunt *& ordinaverunt* adverſum me, * *clamantes*: *Crucifigatur*. Numquid qui dormit, *& moritur ſponte*, non adjiciet *morti ſuæ* ut reſurgat? *Qui habuit poteſtatem ponendi animam ſuam, habet & reſumendi eam.*

Etenim *Judas*, homo *familiaris* pacis meæ, *mecum habitans pacificè*, in quo ſperavi * *& confidebam*, *quia loculos habebat*, qui edebat panes meos *mecum in menſa*, magnificavit ſuper me *innocentem* ſupplantationem, *ita ut traderer Judæis oſculo ejus.* [*Joan.* 13. 18. *Actor.* 1. 16.]

Tu autem, Domine *Pater*, miſerere mei, *non derelinquendo in ſepulcro*, *ſed* et reſuſcita me * *tertio die à mortuis*: et *tunc* retribuam eis *viciſsitudinem malorum quæ in me geſſerunt*, *diſpergendo eos perpetuò captivos in univerſum*.

In hoc cognovi *quod tibi ſemper*

pla-

placui, quoniam voluiſti me * *glorificare & exaltare*: quoniam non gaudebit *finaliter* inimicus meus *populus Judæus* ſuper me *crucifixum*, *immò triſtabitur de glorioſa reſurrectione.*

Me autem, *crucifixum ſine debito*, propter innocentiam *vitæ meæ*, *quia ſemper ſine peccato fui*, ſuſcepiſti * *ex ſepulcro*, *corpus glorioſum mihi conferendo*; et confirmaſti me *gloria immortalitatis* in conſpectu tuo, *me ad dexteram collocando* in æternum & *ultrà.*

Benedictus & *laudatus ſit* Dominus Deus *Chriſtianorum*, *qui eſt Dominus* Iſraël *videntium Deum per fidem*; à ſæculo, *ex quo omnia cœperunt*, et uſque in ſæculum * *futurum*, *æternaliter*: fiat, fiat. *Amen*, *amen.*

ORATIO.

Libera nos, Domine, conſerva & vivifica nos, ſana animas noſtras, & miſerere nobis, quia peccavimus tibi. Opem nobis feras in hac carne fragili, contra inſultus dæmonum, nequando gaudeant inimici ſuper nos. Sit benedictio tua ſuper nos, ut, dum carnalia delicta clementer arguis, nobis veniam placatus largiaris. Per Chriſtum Dominum &c.

PSAL-

PSALMUS XLI. [*sec. Hebr.* XLII.]

In finem, *ad æternam beatitudinem pervenire desiderantibus*, intellectus *hujus Psalmi attribuitur* filiis Core, *qui scribuntur Janitores tabernaculi sive templi Domini.*

QUemadmodum desiderat *& festinat ire* cervus, *agitatus à venatoribus, & calefactus*, ad fontes aquarum, * *ut sitim & æstum exstinguat*; ita desiderat anima mea, *dæmonum tentationibus, & malis sæculi afflicta, venire* ad te, Deus, *qui es unicus fons misericordiæ.*

Sitivit *& summè desideravit* anima mea *in hac peregrinatione* ad *videndum* Deum fortem vivum, * *quia cupio dissolvi & esse cum Christo: sed* quando veniam? *quando finietur peregrinatio mea*, et apparebo *præsens* ante faciem *& conspectum* Dei *redemtoris mei?*

Fuerunt mihi, *ob desiderium Dei mei*, lacrimæ meæ *tamquàm* panes *refectionis in anima, quibus sperabam remissionem peccatorum*, die ac nocte, *

tam

tam in prosperis quàm adversis rebus hujus sæculi; dum dicitur *& improperatur* mihi quotidie *à reprobis & infidelibus*: Ubi est Deus tuus, *ut subveniat tibi*?

Hæc *opprobria* recordatus sum, et *pleno desiderio* effudi *atque prostravi* in me *ipso* animam meam, * *ad intelligendum Deum*; quoniam transibo *de periculis mundi* in locum tabernaculi *& Ecclesiæ catholicæ*, admirabilis *valde propter sacramentorum efficaciam*, usque ad domum *æternam* Dei *in cœlis*.

In voce exultationis *de beneficiis gratiæ*, et confessionis * *de propriis peccatis*, *est* sonus *spiritualis animæ* epulantis: *nam quid esse potest dulcius, quid salubrius, quàm Deum laudare, & se semper arguere*?

Quare *ergo* tristis *& afflicta* es, anima mea, * *perinde ac desperata*? et quare conturbas me, *dolorem inferendo in sensualitate*?

Spera *firmiter* in Deo, *& recipe consolationem*; quoniam adhuc confitebor illi * *gratias agendo*, *qui est* salutare vultus mei, *& vera salus animæ meæ*, et *est* Deus meus: *ipse enim sal-*

va-

vator noster homo est Deus.

Ad meipsum anima mea *conversa*, conturbata est * *& afflicta ob recordationem peccatorum* : propterea , *ut evadam istas tribulationes* , memor ero tui, *Domine , ad te in humilitate recurrens*, de terra Jordanis , *ubi fit baptisma* , et Hermoniim , *ubi fit pœnitentia* , à monte modico , *in humilitate.*

Abyssus, *Novum Testamentum*, abyssum , *Vetus Testamentum* invocat, * *quia mutuò se testimoniis confirmant: quæ , abyssus sunt propter profunditatem intelligentiæ* , in voce *Prophetarum & Apostolorum* , cataractarum tuarum *& aquæductuum , quia per eos fluenta divinæ sapientiæ nobis emanant.*

Omnia excelsa *& graviora judicia* tua , *quæ minaris* , et fluctus tui * *in tribulationibus , propter peccata mea*, super me transierunt. *Recessit ira , & venit misericordia : transierunt peccata, superabundat gratia.*

In die *tribulationis* , mandavit *& voluit* Dominus *Deus laudari* misericordiam *& benignitatem* suam : * et, *in* nocte *adversitatis , præcepit* canticum

glo-

gloriæ nominis ejus, *&* *exſultare in ipſo.*

Apud me *intus eſt* oratio *puræ mentis*, *quam offero* Deo *auctori* vitæ meæ * *atque conſervatori.* Dicam Deo, *gratias agendo*: Suſceptor *&* *protector* meus es, *ne ſuccumbam in tribulationibus.*

Quare *ergo*, *Domine*, *tamdiu* oblitus es mei, * *in his mundi miſeriis*? *cur non diſſolvor*, *ut tecum ſim*? et quare contriſtatus incedo *per viam hujus vitæ*, dum affligit me *tentando* inimicus, *diabolus*, *caro*, *mundus*?

Dum confringuntur *tribulationibus* oſſa mea * *&* *robora animæ meæ*, exprobraverunt mihi *verbis injurioſis* qui tribulant *&* *perſequuntur* me *innocentem* inimici mei, *tam viſibiles*, *quàm inviſibiles.*

Dum dicunt *improperando* mihi *in afflictionibus conſtituto*, per ſingulos dies *hujus vitæ*: Ubi eſt Deus tuus? * *quaſi nullus eſſes*, *tentantes me in deſperationem inducere.* Quare triſtis *&* *afflicta* es, anima mea, *perindæ ac deſperata*? et quare conturbas me, *dolorem inferendo in ſenſualitate*?

Spe-

Spera *firmiter* in Deo, *& recipe consolationem*: quoniam adhuc confitebor illi, * *gratias agendo, qui est* salutare vultus mei *& vera salus animæ meæ*, et *est* Deus meus.

ORATIO.

Salvator noster JESU CHRISTE, qui es verus Deus & homo: effundimus animas nostras in voce exsultationis, ad te Deum, fontem vivum omnis gratiæ & misericordiæ. Abyssus miseriæ invocat abyssum misericordiæ, ut à peccatorum fæce nos purificare digneris, &, quando finietur peregrinatio nostra, appareamus præsentes in gloria æterna ante faciem tuam, JESU CHRISTE, qui es benedictus in sæcula. Amen.

PSALMUS XLII. [*sec. Hebr.* XLIII.]

Psalmus *& dulcis modulatio cælestium verborum ipsius* David, *monentis ne in pressuris deficiamus.*

JUdica me *in futuro judicio*, Deus, *separando me à malis*; et discerne causam meam, *& merita mea*, de gente non sancta, * *sed mala & perversa*:

ab homine iniquo, *qui apertè lædit*; et doloso, *qui occultè nocet*, erue *& libera* me.

Quia tu es Deus *meus & fortitudo* mea, * *succumbo præ fragilitate nisi juveris*: quare *ergo* me repulisti, *exponendo me tantis mundi tribulationibus*? et quare tristis incedo *præ dolore*, dum affligit me *quotidianis tentationibus* inimicus *diabolus*?

Emitte lucem tuam, *& aufer tenebras nostras*; et *da mihi* veritatem tuam,* *& aufer errorem*: *quoniam* ipsa *lux & veritas* me deduxerunt *ab errore peccati*, et adduxerunt *per fidem caritate formatam* in montem sanctum tuum, *Christum salvatorem nostrum*, *qui est mons fidei*; et in tabernacula tua *atque unitatem Ecclesiæ catholicæ*.

Et introibo *cum gratiarum actione* ad altare Dei, * *ut meipsum exhibeam hostiam viventem & placentem Deo*: *introibo*, *inquam*, ad Deum *salvatorem meum*, qui, *expurgato veteri fermento*, lætificat *in novitate vitæ* juventutem meam.

Confitebor tibi *gratias agendo* in

cithara *& jubilatione animæ*, Deus *omnium per creationem*, Deus meus * *per redemtionem*: quare *ergo* triſtis es, anima mea, *& prona decumbis*? et quare conturbas me *atque tumultuaris, ceu deſperata*?

Spera *potius & fiduciam habe* in Deo, *qui ſuos deſerere nequit*; quoniam adhuc confitebor illi * *toto pectore & ore*: ſalutare vultus mei, *in quo ſolo ſalvari poſſum*; et Deus meus, *à quo omnia habeo*.

ORATIO.

Omnipotens Deus, fortitudo, vita, & ſalus noſtra: emitte lucem tuam divinam in nobis, & aufer tenebras cordis noſtri: doce veritatem, & aufer errorem: ut, introeuntes ad altare Dei, noſmet exhibeamus in hoſtiam viventem, placentem Deo, tibi ſemper confitentes, & laudantes, atque in te ſperantes, qui es aſpectus animæ noſtræ, Deus noſter JESUS CHRISTUS, benedictus in ſæcula. Amen.

PSALMUS XLIII. [*ſec. Hebr. XLIV.*]

In finem *Chriſtum hic* Pſalmus *datur* filiis *& electis* Core *paſsionis Chriſti*, ad

intellectum *talem, ut contemnant terrena, & desiderent æterna.*

DEus, *nos* auribus nostris *per spiritualem sensum* audivimus, * *& cognovimus*: patres nostri *& Prophetæ* annuntiaverunt nobis *quæ gesta sunt illorum tempore.*

Opus *videlicet miraculosum*, quod operatus es *tu, Deus noster*, in diebus eorum, * *Moysis, Josue, & aliorum patrum*; et in diebus antiquis, *in exitu Israël de Ægypto.*

Manus *& potestas* tua *divina* gentes *terræ promissionis* disperdidit *in interitum*, et plantasti *atque constituisti* eos * *patres nostros in eadem terra*: afflixisti populos *Chananæos & Jebusæos*, et expulisti eos *de terra promissionis.*

Nec enim in gladio suo, *neque per bella*, possederunt terram * *promissionis*: et brachium *aut fortitudo* eorum *patrum* non salvavit eos, *ne ab inimicis superarentur.*

Sed dextera *& potentia* tua *divina*, et brachium tuum *excelsum*, et illuminatio vultus tui, * *quæ est gratia*

ex

ex tua voluntate procedens: quoniam complacuisti, *& voluisti* in eis *benevolentiam tuam exercere.*

Tu es ipse *qui tunc & nunc idem immutabilis, licèt tempora sint mutata:* rex meus, *quem colo*; et Deus meus, * *quem adoro*: qui mandas *in bello victorias &* salutes *populo Judaico, qui exivit de* Jacob *electo.*

In te *propugnatore nostro, omnes* inimicos nostros, *tam visibiles, quàm invisibiles*, ventilabimus *& disperdemus* cornu * *salutis nostræ, quod Christus est*: et, in nomine tuo *divino*, spernemus *& suppeditabimus hostes* insurgentes in nobis, *videlicet spiritus malignos, & reprobos.*

Non enim in arcu meo, *aut armis, aut viribus meis* sperabo, * *sicut nec patres nostri fecerunt*: et gladius meus *seu violenta defensio* non salvabit me, *sed fides, & humilitas tua.*

Salvasti enim nos *& salvabis*, Domine, de affligentibus *& persequentibus* nos * *spiritibus pessimis*: et odientes nos *propter nomen tuum* confudisti *æterna damnatione.*

In *te* Deo *noſtro* laudabimur, *quia tu es laus & gloria noſtra*, tota die * *æternitatis, quæ noctem non habet*: et in nomine tuo, *quod JESUS eſt*, confitebimur *tibi de ſalvatione noſtra* in ſæculum, *ſemper, & ſine fine.*

Nunc autem *in hac mundi ætate* repuliſti, *& permiſiſti nos martyres affligi*, et confudiſti nos * *in facie impiorum, tamquam fruſtrà in te ſperaverimus*: et non egredieris *ulteriùs*, Deus *noſter*, in virtutibus noſtris *contra hoſtes noſtros, ſicut olim patribus feciſti.*

Avertiſti nos *adeò* retrorſum poſt inimicos noſtros, * *ut nos vinctos poſt ſe trahant*: et qui oderunt nos *iniquè*, diripiebant *nos* ſibi *in prædam, alios trahentes in carcerem, alios occidentes.*

Dediſti nos *martyres perſecutoribus ad interficiendum*, tamquam oves eſcarum, * *quæ interficiuntur ab hominibus in communem eſcam*: et in gentibus *atque provinciis variis* diſpersiſti nos, *ut exſularemus confiſcatis bonis noſtris.*

Ven-

Vendidisti *permissivè* populum tuum *Christianum* sine pretio * (*adeò vilis reputatus*): et non fuit multitudo *pretii* in commutationibus *& emtionibus* eorum, *quia minimo aut nullo pretio ducebamur in servitutem.*

Posuisti nos *martyres* opprobrium *in contumeliam* vicinis *& amicis* nostris * *secundum carnem, in* subsannationem *indignationis*, et derisum *exprobrationis*, his *inimicis* qui sunt *& gradiuntur* in circuitu nostro *quaquaversum.*

Posuisti, *Domine*, nos *martyres* in similitudinem *& exemplum maledictionis ipsis* gentibus, * *dum ajunt : Sic pereas, sic moriaris, sicut Christianus ille : & etiam in* commotionem capitis, in populis *infidelibus, qui, cum irrisione movendo caput, insultant nobis.*

Tota die *& assiduè* verecundia mea *& erubescentia tantorum opprobriorum, quæ patior*, contra me est * *& ante conspectum meum* : et confusio *& ignominia* faciei meæ, *propter subsannationes inimicorum*, coo-

peruit me *rubedine.*

A voce exprobrantis *suâ maledicentiâ*, et obloquentis * *detrahendo occultè*, à facie & *præsentia* inimici, *qui me capitaliter odit*, et persequentis *animam meam.*

Hæc omnia *valde gravia* venerunt super nos *martyres*, & *patienter tulimus*, nec obliti sumus te * *propter scandala hæc*: et iniquè *aut perversè* non egimus, *timore mortis*, in testamento tuo, *immò præcepta servavimus*, & *nomen tuum glorificavimus.*

Et non recessit, *per desperationem* retrò *avertendo*, cor nostrum * *à fide & caritate*: et declinasti *atque aliunde derivasti* semitas nostras *carnales voluptatum & prosperitatum* à via tua, *quæ arcta est & angusta. Alia enim est via voluptatum; alia via tua, quæ in tribulationibus & tentationibus consistit.*

Quoniam humiliasti *in hoc mundo* nos *martyres*, in loco afflictionis, * *in hoc mundo, ubi affligimur propter te*: et cooperuit nos, *non mors vera, sed* umbra mortis; *non mors animæ, sed mors corporis.*

Si

Si obliti ſumus & *non recordamur* nomen Dei noſtri, * *quod JESUS eſt, ſalvator noſter*; et ſi expandimus manus noſtras *in adoratione* ad Deum alienum, *idololatriam committendo*:

Nonne Deus, *ſi receſsimus à via ejus*, requiret & *exiget* iſta, * *ad puniendum*? *certè ſic*: ipſe enim novit *cogitationes noſtras*, abſcondita cordis *noſtri*.

Quoniam, propter te & *tuam dilectionem*, mortificamur & *diverſis tribulationibus opprimimur* tota die * *noſtræ peregrinationis*; & æſtimati ſumus *ab hominibus* ſicut oves occiſionis, *non utiles niſi ad occidendum*.

Exurge *in auxilium noſtrum*: quare obdormis, Domine, * & *vidêris negligere nos*? exurge, & *libera*, et ne repellas *preces noſtras* in finem, *totaliter*, *eſtò videaris ad tempus neglexiſſe*.

Quare faciem tuam & *præſentiam gratiæ tuæ* avertis, * *quaſi iratus*; & oblivíſceris inopiæ *atque indigentiæ* noſtræ, *non dando nobis ſpiritum fortitudinis*; et tribulationis noſtræ, *quam propter te patimur*?

Quo-

Quoniam *non debes oblivisci nostri, quia* humiliata est *nimis* in pulvere *pœnitentiæ* anima *& vita* nostra, * *recordatione peccatorum : etiam* conglutinatus est *adhærens* in terra venter noster, *quia conculcatio hominum facti sumus, & nobis ipsis graves.*

Exurge *ergo*, Domine *Deus*, *&* adjuva nos * *tantis malis oppressos*, et redime nos *ab his tribulationibus, non propter justitiam nostram, sed* propter nomen tuum, *in quo salvamur.*

ORATIO.

Rex noster, quem colimus, Deus noster, quem adoramus : exurge in auxilium nostrum, & erue nos ab opprobriis vitiorum : libera de affligentibus nos, propter nomen sanctum tuum ; quatenus, ab hostibus mentis & corporis liberati, pervenire valeamus securi ad te, qui es laus & gloria nostra, benedictus in sæcula. Amen.

PSALMUS XLIV. [*sec. Hebr. XLV.*]

In finem *æternæ beatitudinis tendens hic* titulus *est* David *Prophetæ*, pro his *san-*

ſanctis qui commutabuntur *& transformabuntur de hac mortalitate ad immortalitatem*, *videlicet* filiis Core, *qui ſunt imitatores Chriſti*, *quibus ſcribitur* ad intellectum *& myſterium incarnationis Chriſti*: *&* canticum *eſt* pro *ſponſo* dilecto.

ERuctavit *de plenitudine gratiæ ſpiritualis* cor meum *in caritate* verbum bonum, * *quia myſterium Chriſti & Eccleſiæ*: dico ego *& cantare geſtio* opera mea *& carmina* regi *regum*, *Jeſu Chriſto.*

Lingua mea *in pronuntiando eſt tamquam* calamus *ſeu penna alicujus* ſcribæ * *ſeu notarii* velociter ſcribentis: *quia per linguam meam loquitur Spiritus Sanctus, qui eſt vehemens in gratia, & velox.*

Specioſus *es* formâ, *quia immunis à peccato*, præ *omnibus* filiis hominum, *abſolutiſsimus gratiis & virtutibus*: *inſuper* diffuſa eſt *ipſa* gratia *eloquentiæ* in labiis tuis, * *quia te loquente mundus gratiam reconciliationis accepit*: propterea benedixit te *hominem* Deus *Pater in aſſumta carne, cùm qua reſur-*

re-

rexisti in æternum *regnaturus.*

Accíngere *in virtute spiritus* gladio tuo *spirituali, quod est verbum Dei*, super femur tuum, * *in carne assumta, prædicans Euangelium (cùm femur sit humanæ propaginis seminarium)*; potentissimè *pugnando contra diabolum, & liberando genus humanum.*

Specie tua *quantum ad humanitatem*, et pulcritudine tua * *quantum ad divinitatem*, intende *ut hominem pereuntem miseratus adspicias*, & prosperè *ac feliciter* procede *veluti per viam hujus vitæ*, et regna *demum morte triumphata in æternum.*

Propter veritatem *vitæ & doctrinæ*, et mansuetudinem *qua injurias patienter sustinuisti*, et justitiam * *abundantem quam ostendisti in passione offerendo te Deo Patri*: et deducet te *per hujus vitæ cursum* mirabiliter, *quia mortuos suscitabis, leprosos mundabis, ceteraque perficiet miracula* dextera tua & *majestas tuæ divinitatis, quæ te assumsit.*

Sagittæ tuæ, *emissæ per prædicationem*

nem verborum tuorum, *tam* acutæ *erunt* (*quia verbum Dei penetrantius omni gladio*); *quòd* populi *multi* ſub te *& tua obedientia* cadent * *humiliter orando*, *& etiam ſagittæ verbi tranſibunt* in corda inimicorum *atque perſequûtorum* regis *Chriſti* : *multi enim*, *illis vulnerati*, *convertentur ad fidem.*

Sedes tua *judiciaria*, *& regalis poteſtas*, Deus *meus*, *non eſt temporalis*, *ſed æterna*, in ſæculum ſæculi * *durans*: virga *& regula divinæ æquitatis atque* directionis, *quæ numquam incurvatur*, *eſt* virga *& ſceptrum* regni tui, *quæ regit juſtos*, *& impios percutit.*

Dilexiſti juſtitiam *&* *veritatem*, et odiſti iniquitatem * *ſeu impietatem*: propterea unxit te *Chriſtum* Deus *Pater*, Deus tuus, *tibi conſubſtantialis*, *in regem & ſacerdotem*, oleo lætitiæ *& plenitudine gratiæ*, præ *omnibus* conſortibus tuis *atque intellectualibus creaturis.*

Myrrha, et gutta, et caſia, *ceteraque virtutum & gratiarum aromata defluxerunt ſponſæ*, *videlicet Eccleſiæ*, à veſtimentis tuis *& aſſumta humanitate*, *qua*,

qua, veluti vestimento divinitatis, circumdatus es; atque à domibus eburneis * *& sanctis tuis, castitate & candore virtutum decoratis*: ex quibus *domibus* delectaverunt te *laudando & honorando* filiæ regum *& Ecclesiæ Apostolorum, per orbem diffusæ*, in honore tuo, *ad gloriam & honorem nominis tui.*

Astitit, *semper Deo inhærens & conjuncta*, regina, *catholica Ecclesia, Christi regis sponsa*, à dextris tuis, *serviens tibi in bonis gratiæ*, in vestitu deaurato, * *atque in doctrina Apostolorum & Prophetarum*; circumdata varietate *populorum, personarum, linguarum, statuum & donorum, in virtute fidei Deum colentium.*

Audi *legem Euangelicam*, filia *& uxor mea, Ecclesia*, et vide *regem regum, cui nunc es desponsata*; et inclina aurem tuam, * *ad obediendum & imitandum*; et oblivíscere populum tuum, *abrenuntians carni & sanguini*, et domum patris tui *diaboli, cujus filia fuisti priusquam esses filia Christi per fidem.*

Et

Et *tunc* concupiſcet rex *Chriſtus* decorem tuum, * *quæ, jam abluta per baptiſmum, gratiâ Chriſti candida es*: quoniam ipſe *non ſolum* eſt *rex & ſponſus tuus, ſed etiam eſt* Dominus Deus tuus, *creator & dominator tui*, et adorabunt eum *regem regum omnes populi de quibus collecta es.*

Et *non ſolum Judæi, ſed etiam* filiæ Tyri *& gentes*, in muneribus * *ſeipſos in obſequium Chriſti offerentes*, vultum tuum *magna veneratione* deprecabuntur, *optantes ſocietatem & conformitatem tuam*: *ſimiliter* omnes *principes mundi &* divites plebis *honorabunt te*, Eccleſiam, *ſponſam meam.*

Omnis gloria ejus *Eccleſiæ*, filiæ *& ſponſæ* regis *Chriſti, non in magno apparatu exteriori, ſed* ab intus * *in puritate conſcientiæ, in ornatu cariſmatum & virtutum*, in fimbriis aureis *caritatis*: *& etiam* circumamicta *eſt ſponſa atque ornata* varietatibus *virtutum, linguarum, gratiarum, ſtatuum qui ſunt in Eccleſia.*

Adducentur *in fide* regi *Chriſto, per prædicationem Apoſtolorum*, virgines

nes *integritatem mentis & corporis servantes*, post eam* *sponsam Ecclesiam tamquam proximæ pedissequæ*: & proximæ ejus, *viduæ castæ*, *quæ proximis virginibus fructum sexagesimum habebunt*, afferentur tibi *per fidem*.

Afferentur *quidem* in lætitia *virtutum* et exultatione* *gratiarum* : & adducentur *sponte*, *per gratiam tamen*, in templum regis, *ad serviendum Christo in conspectu ejus*.

Pro patribus tuis, *qui fuerunt Apostoli & Prophetæ*, nati sunt *spirituali generatione* tibi *Ecclesiæ*, filii, * *imitatores Apostolorum*, *ut Episcopi & Prælati*: constitues eos *in sede patrum*, *tamquam* principes *in spiritualibus*, super omnem terram *& universalem Ecclesiam*.

Memores erunt *semper* nominis tui,* *famæ*, *& gloriæ tuæ*, *Domine Deus*, in omni generatione *præsenti*, et generationem *futuram*, *usque ad finem mundi annuntiando verbum tuum*.

Propterea *etiam* populi, *toties videntes gloriam Ecclesiæ tuæ*, confitebuntur tibi, *glorificabunt*, & *celebrabunt*

bunt nomen tuum in æternum, * *ſine fine*, et in ſæculum ſæculi, *hic & in futuro.*

ORATIO.

O Chriſte, Verbum Patris, per quem cuncta creata ſunt & creantur: cuſtodi, quæſumus, Eccleſiam tuam, varietate gentium congregatam; ut, dum veritatem, manſuetudinem, & juſtitiam tuam ex ipſâ cognoſcimus, principatum æterni ſæculi cum patribus noſtris mereamur. Amen.

PSALMUS XLV. [*ſec. Hebr. XLVI.*]

In finem *& Chriſtum, qui eſt finis noſter in quem tendimus*, filiis Core *imitatoribus paſſionis Chriſti*, pro arcanis *& ſecretis divinitatis ſuæ*, Pſalmus *iſte cantatur.*

DEus *omnium, poteſtate*; noſter, *gratia & voluntate*; refugium, *ad quem inter preſſuras calamitatum confugimus*; et virtus * *ſeu fortitudo, in quo ab omnibus periculis liberamur*: *&* adjutor in tribulationibus *variis animæ & corporis*, quæ invenerunt *& capti-*

vaverunt nos nimis *defatigantes.*

Propterea, *freti tanto adjutore*, non timebimus, dum *ex novitate tanti miraculi* turbabitur terra, * *generatio Judæorum, qui terrena ſapiunt*; et tranſferentur *relictis Judæis* montes Dei, *qui ſunt Apoſtoli*, in cor & *ad extrema* maris: *quod factum eſt dum, à Judæis contemto verbo, converſi ſunt ad Gentes.*

Sonuerunt *Apoſtoli prædicando*, et turbatæ ſunt aquæ *multæ & populi diverſi ad pœnitentiam hoc ſono prædicationis* eorum * *Apoſtolorum : etiam* conturbati ſunt & *perterriti* montes *atque excelſiores ſæculi poteſtates, & principes gentium*, in fortitudine & *prædicatione* ejus *Dei qui aſsiſtebat Apoſtolis.*

Fluminis impetus & *inundatio Spiritus Sancti, vel ablutio baptiſmi*, lætificat *ſuis gratiis & donis* civitatem Dei * & *ſanctam Eccleſiam catholicam:* & ſanctificavit, *per illud flumen*, tabernaculum ſuum, *quæ eſt congregatio fidelium in qua habitat*, altiſsimus *Chriſtus, Dei filius.*

Deus *habitat* in medio ejus *Eccleſiæ,*

&

& ideo non commovebitur * *Ecclesia in tribulationibus, quia fundata est super firmam petram, Christum :* immò adjuvabit eam Deus *in adversitate laborantem,* mane *in principio conversionis, & hoc* diluculò *per illuminationem Spiritus Sancti.*

Conturbatæ *salubri commotione* sunt gentes *per prædicationem Apostolorum, & miraculorum operationem*; et inclinata *atque humiliata* sunt regna * *gentium, sub jugo fidei, ad Christum adorandum: & Dominus* dedit vocem, *declaravit voluntatem* suam, *per ora Apostolorum; &* mota est terra, *atque conversa sunt corda terrena ab infidelitate ad fidem, à vitiis ad virtutes.*

Dominus virtutum *cœlestium & angelorum* nobiscum * *est* : susceptor noster, *qui carnem pro nostra salute suscepit*, Deus *ipsius* Jacob *junioris, populi Christiani, qui vitia supplantare non cessat.*

Venite, *credite*, et videte, *lumine fidei*, opera Domini *nostri salvatoris*, quæ *magnalia* posuit *& inassueta* prodigia super terram * *tempore suæ nati-*

vitatis, quando virgo ſuſcepit, ſtella Magis apparuit; auferens *etiam* bella *omnia* uſque ad finem terræ, *quia tunc templum Jani ab Auguſto Cæſare clauſum eſt.*

Arcum conteret, *ut ſit rex pacificus in terra*, et confringet *deſtruetque* arma * *bellica*: et ſcuta, *quæ ſunt præſidia humana*, comburet igni. *In adventu Chriſti, omnia erunt contrita & confracta.*

Vacate *Deo in tranquillitate mentis, & non ſæculo*, et videte *intelligendo* quoniam ego ſum Deus, * *Chriſtus in lege promiſſus, qui vos redemi*: *&* exaltabor in gentibus, *quoniam publicani me dignè colent*; et *etiam* exaltabor in terra, *apud omnes homines qui dicent*:

Dominus virtutum *cæleſtium & angelorum ſtat* nobiſcum * *ex parte noſtra*: ſuſceptor *& protector* noſter *eſt* Deus Jacob, *quia hìc luctamur contra tentationes, vitia ſupplantando.*

ORATIO.

Deus noſter, refugium, virtus, & adjutor in tribulationibus quæ captivaverunt

runt nos : ſis ſemper nobiſcum in medio noſtri, ad protegendum à malo, & roborandum in bono. Et ſanctifica irroratione Sancti Spiritus habitaculum noſtri cordis; ut, te nobiſcum cooperante, confringere valeamus arma iniquitatis. Per Dominum noſtrum JESUM CHRISTUM.

PSALMUS XLVI. [*ſec. Hebr.XLVII.*]

In finem *& Chriſtum* Pſalmus *iſte eſt* pro filiis Core *& imitatoribus Chriſti.*

OMnes gentes, *ad quas pervénit gratia Dei*, plaudite manibus * *& gaudete bonis operibus* : jubilate Deo, *ex intimo cordis affectu*, in voce exultationis. *Concordent manus cum lingua : illæ operentur, hæc confiteatur.*

Quoniam Dominus *Jeſus Chriſtus* excelſus *eſt, tranſcendens omnem intellectum creatum* ; *&* terribilis, * *quia judicaturus eſt mundum* ; *atque* rex magnus, *quia rex regum & dominus dominantium*, ſuper omnem terram, *non tantum Judæorum, ſed etiam Gentium.*

Subjecit populos *Judæorum* nobis *

& universali Ecclesiæ; et gentes, *conversas ad fidem*, sub pedibus nostris, *cùm, errores suos agnoscendo, acquiescunt sanæ doctrinæ.*

Elegit *suâ gratiâ* nobis, *non meritis nostris*, hereditatem suam, * *ut coheredes Christi essemus*; speciem *interiorem & benedictionem salutarem ipsius* Jacob, *Abrahæ promissam*, quam *semper* dilexit *Deus*, *Esau odio habens.*

Ascendit *Christus*, Deus *& homo, ad cœlum*, in jubilo * *admirabili & exsultatione angelorum* : et Dominus *ubique insonuit* in voce tubæ *atque prædicationis Euangelicæ*, *ut credamus.*

Psallite Deo nostro, *gratias agendo*, psallite * *ore & corde* : psallite regi nostro *Christo*, psallite *bonis operibus laudando.*

Quoniam *omnipotens* rex omnis terræ *est Jesus Christus*, *verus* Deus * *& homo* : *quare* psallite *illi*, *non pro terrenis vel inani gloria*, *sed* sapienter, *ut soli Domino placeatis.*

Regnabit Deus *Christus* super *omnes* gentes, * *quas in hereditatem accepit à Patre* : Deus *Christus* sedet *ad*

ad dexteram Patris, ſuper ſedem ſanctam ſuam *& ſolium David, in æternum.*

Principes *& rectores* populorum *de omnibus nationibus* congregati ſunt *in unitate fidei* cum Deo *Chriſto*, *qui eſt Deus* Abraham * *patriarchæ*, *cùm populi ſint filii ipſius per fidem*; quoniam *Apoſtoli Chriſti*, dii *effecti per gratiam*, fortes terræ *in fide & dilectione*, vehementer *clarificati &* elevati ſunt *in ſignis*, *virtutibus*, *& prodigiis.*

ORATIO.

Deus excelſus potentia, terribilis judicio, rex regum, dominus dominantium, qui ſedes ſuper ſedem ſanctam tuam ad dexteram Patris: tibi pſallimus, jubilamus, & plaudimus, corde, ore, & opere, creatori & redemtori noſtro. Subinde elige nos, quæſumus, tua gratia in hereditatem tuam cœleſtem, ut participes fieri mereamur cœleſtium gaudiorum. Amen.

PSALMUS XLVII. [*ſec. Hebr. XLVIII.*]

Pſalmus *iſte*, *qui eſt* cantici *laudis divinæ*, *ſeu cantilena laudans Deum*,

tribuitur filiis Core *atque veris Christianis Christum imitantibus, pro iis quæ facta sunt in* ſecunda *die* Sabbati *pro constitutione Ecclesiæ, quæ est civitas summi Dei.*

MAgnus *eſt* Dominus *noſter Jeſus Chriſtus*, et laudabilis nimis, * *quia eſt dominus omnium creaturarum*, in civitate Dei noſtri, *quæ eſt Eccleſia catholica, ubi unimur fide & caritate:* in monte *videlicet* ſancto ejus, *qui Chriſtus eſt, fundamentum, & lapis angularis.*

Fundatur *Eccleſia per Chriſtum in fide, cum* exultatione *&* *gaudio* univerſæ terræ *& omnium credentium* : mons Sion, * *qui eſt populus Judaicus, &* latera Aquilonis, *quæ ſunt gentes, ex iis, inquam, collecta eſt* civitas regis magni, *Dei noſtri.*

Deus *noſter Chriſtus* in domibus ejus, *& in fidelibus, in quibus habitat,* cognoſcetur * *per fidem : & hoc* cùm ſuſcipiet eam *Eccleſiam tuendam & protegendam ab inimicis.*

Quoniam ecce, *quod mirum eſt*, reges

ges terræ *&* *principes populi* congregati ſunt * *cum ceteris in unitate fidei*: *&* convenerunt *pariter ut eſſent cives ſanctorum*, in unum *lapidem ſummum, angularem credentes*, *qui Chriſtus eſt.*

Ipſi *reges*, videntes *gloriam redemtoris* *&* *virtutes Apoſtolorum*, ſic *in operibus miraculorum* admirati ſunt *de verbo Euangelii*, conturbati ſunt *in humana eorum prudentia*, commoti ſunt * *de infidelitate ad fidem*: tremor *futuri judicii* apprehendit eos *ad agendam pœnitentiam.*

Ibi, *agnito errore*, *fuerunt* dolores, *præ conſcientiæ remorſu*, ut *ſunt dolores* parturientis * *mulieris*: *ceterum*, in Spiritu *Sancto* vehementi *ad ſalutem electorum*, conteres *atque confringes* naves Tharſis *&* *ſuperbiam gentium*, *quæ quondam in navigatione ſuperba fuit.*

Sicut audivimus *in lege* *&* *Prophetis*, ſic vidimus *in Euangelio*, in civitate *&* *Eccleſia militante*, *quæ eſt* Domini virtutum *&* *angelorum*, in civitate (*inquam*) Dei noſtri * *Jeſu Chriſti*: Deus fundavit *in fide Euangelii* eam, *&* *diriget eam uſque* in æternum *fixam.*

Suſ-

Suscepimus *ex promissione*, Deus *noster*, misericordiam tuam * *& salvatorem Dominum nostrum Jesum Christum, qui pereunti mundo tandem misertus est*, in medio templi tui *& cordis nostri, cùm per gratiam facti sumus templum tuum.*

Secundum *benedictum* nomen tuum *& magnum*, Deus *noster*, sic et laus tua *& reverentia* in fines *& extrema* terræ, * *ubi divulgabuntur verba oris tui*: justitiâ, *qua nos justos efficis*, plena *& liberalis* est dextera tua, *diffundens in electos.*

Lætetur *in Domino* mons Sion *& Ecclesia catholica*, *quæ speculatur Christum*; et exultent *in fide* filiæ Judæ, * *quæ per prædicationem Apostolorum de Judæis conversæ sunt*; proter judicia tua *occulta*, Domine, *qui hos eligis, & reprobas illos.*

Circumdate, *defendite*, *munite* Sion, *Ecclesiam*, *in fide*; et complectimini eam * *amplexibus caritatis*, *virtutes illius & mores servando*: narrate *atque prædicate laudem Ecclesiæ & gloriam Christi* in turribus *& virtutibus*

ejus,

ejus, *qui estis principes Ecclesiæ.*

Ponite corda vestra *& affectum vestrum* in virtute ejus, * *ne separemini à caritate quam docuit*; et distribuite, *per gradus officiorum*, domos, *habitatores & cives* ejus *Ecclesiæ*, ut enarretis *prædicando magnalia Dei*, in progenie altera *postuma*, *usque ad finem mundi éadem docendo.*

Quoniam hic *Christus* est *Dominus*, Deus, Deus noster, *qui creavit & redemit* in æternum, *in præsenti tempore*, et in sæculum sæculi * *in futuro*; ipse, *& non alius*, reget, *proteget*, *& defendet* nos in sæcula *sine fine.*

ORATIO.

Laudabilis Deus, Domine virtutum, cujus justitia plena est terra: pone corda nostra in virtute tua, ne deviemus à civitate tua sancta, in qua reges terræ convenerunt in unitate fidei: sed rege, protege, & defende nos, ut misericordia tua, in nostri pectoris templo suscepta, dignos nos faciat in cœlesti Jerusalem æterna perfrui lætitia. Per Christum &c.

Psalmus xlviii. [*sec. Hebr. XLIX.*]

In finem *Christum*, *pro* filiis Core, *electis Dei*, *ne decipiantur murmurantes*, *est hic* Psalmus *ipsius* David.

AUdite hæc *verba*, omnes gentes, * *quæ secundum carnem vivitis*: auribus *mentis & corporis* percipite, *intelligite*, *atque memoriæ commendate*, omnes qui habitatis orbem *terrarum*.

Quique terrigenæ, *peccatores vitiis terrenis inquinati*; et filii hominum * *boni ac rationales*, *geniti secundum gratiam*; simul in unum *venite ad audiendum*, dives et *superbus*, pauper & *humilis*.

Os meum *propheticum* loquetur sapientiam, * *quam Deus abscondit superbis*, & *revelavit parvulis*: et meditatio *intrinseca* cordis mei *cogitabit* prudentiam & *utilissimam doctrinam*.

Inclinabo, *applicando intellectum*, in parabolam & *similitudines rerum* aurem meam * *interiorem*, *ut intelligam verba legis & Prophetarum*, *quæ frequen-*

quenter parabolica sunt: & tunc aperiam *dilucidè aliis* in psalterio *isto* propositionem meam, *à Spiritu Sancto revelatam.* [*Psalm.*77. 2.]

Cur timebo in die *illa tremendi judicii, quæ erit* mala * *malis? ideo certè quia* iniquitas *ac malitia* calcanei mei, *Satanæ insidiantis, & mortis extremæ inopinatum occupantis*, circumdabit me *ex omni parte, opprimet, & timere faciet.*

Qui confidunt *atque præsumunt* in virtute *seu fortitudine* sua * *propria, perinde atque gratia Dei non egerent;* et in multitudine *seu abundantia* divitiarum suarum, *tamquam summo bono,* gloriantur; *ii, inquam, circumdantur calcaneo iniquitatis.*

Frater non redimit *à sententia damnationis fratrem, prece, aut pretio: quomodo* redimet *ergo* homo * *peccator seipsum? certè* non dabit Deo placationem *& expiationem* suam, *sacrificium, aut oblationem, unde propitietur sibi Deus.*

Et pretium *aut eleemosynam* redemtionis animæ suæ * *non poterit dare, quia erit extra statum merendi*: et laborabit in æternum *in tormentis perpetuis:*

tuis : et *etiam* vivet *ipſe* adhuc in finem; *quia quæret mortem*, *& non inveniet.*

Non videbit *carnalis homo neque intelliget ſibi imminere* interitum *gehennæ*; *quia*, cùm viderit *atque proſpexerit* ſapientes *ac juſtos* morientes * *in Deo*, *reputabit nullum illius præmium* : *& ergo* ſimul inſipiens, *qui pœnam non credit futuram*, et ſtultus, *in divitiis*, *non in Deo ſperans*, peribunt *in corpore & anima.*

Et relinquent *tales iniqui* alienis *heredibus* divitias ſuas, * *in quibus ſperaverunt* : et ſepulcra eorum, *quæ conſtruxerunt magnificè*, *ſunt* domus *in quibus habitant* illorum *corpora* in æternum, *quia non credunt aliam vitam futuram.*

Tabernacula, *ædificia*, *palatia* eorum, *quæ conſtruxerunt*, *manentia* in progenie *filiorum* et progenie * *nepotum*; *in iis* vocaverunt nomina ſua, *memoriam eorum & famam*, in terris ſuis : *quia terrena quæſierunt*, *nihil de cœleſtibus curantes.*

Et homo, cùm *à Deo* in honore *&*

bea-

beatitudine æterna perfruenda ordinatus esset; *tamen, carnaliter ambulans*, non intellexit * *se ad imaginem Dei creatum*: *&* *ideo* comparatus est *bestiis seu* jumentis insipientibus, *propter vitam voluptuariam*; et similis *in omnibus* factus est illis, *subtracto honore imaginis Dei*.

Hæc via *& talis progressus* illorum *in hac vita præsenti est* scandalum *& offendiculum* ipsis, * *quia facit cadere de peccato in peccatum*: et postea, *assecuti felicitatem hujus mundi*, in ore suo *sibi* complacebunt, *jactantes de tali vita*.

Sicut oves *ductæ ad occisionem*, *sed ignorantes*, in inferno *æternaliter* positi sunt * *in pœnam*: *unde &* mors *gehennæ* depascet *corrodetque semper* eos *miseros*, *quia viventes semper morientur*, *& moriendo semper vivent in pœnis*.

Et dominabuntur *tandem* eorum *malorum* justi *homines*, *& hoc* in matutino * *post dormitionem corporum in resurrectione*, *quando accipient judiciariam potestatem*: et auxilium eorum, *quod habebant de potentia*, *de divitiis*, *de*

ami-

amicis, veteraſcet, *deficiet*, *peribit* in inferno *gehennæ*, *&* à gloria eorum *tranſibunt in pœnam & confuſionem maximam.*

Verumtamen *ſpes mea*, Deus *juſtus*, redimet *ſua gratia* animam meam, *ne damner cum impiis*, de manu inferi * *& poteſtate diaboli*: *& hoc* cùm acceperit *de hac mortali vita* me *in beatitudine æterna.*

Ne timueris, *ſcandalizeris*, *aut turberis*, cùm dives *in proſperitate* factus fuerit homo * *peccator vivens ſecundum carnem*; et cùm multiplicata fuerit *in honoribus ſæculi* gloria domus ejus, *in cognatis*, *prolibus*, *& amicis.*

Quoniam, cùm *per mortem* interierit *repente*, non ſumet *ſecum* omnia, * *immò nihil*, *niſi peccata*; neque deſcendet cum eo *ad abyſſum inferni* gloria *& proſperitas* ejus, *quam habuit in præſenti vita.*

Quia anima *ſenſualis* ejus *impii*, in vita ipſius *proſpera*, *ab adulatoribus* benedicetur, * *propter potentiam & affluentiam divitiarum*: *at hic impius*

con-

confitebitur tibi, *gratias agendo*, cùm benefeceris ei *in honore, divitiis, aut gloria.*

Introibit *descendens ad infernum* usque in progenies patrum suorum, * *quorum scelerum fuit imitator*; et usque in æternum *excæcabitur errore, & non* videbit *hìc* lumen *gratiæ, neque in futuro lumen gloriæ.*

Homo *itaque impius*, cùm in honore *constitutus* esset *atque dignitate*, non intellexit * *id sibi gratis à Deo præstari: propter quod* comparatus est jumentis *irrationabilibus*, insipientibus, *qui sensualitatem sequuntur*; et similis *omnino* factus est illis, *sequendo voluptates carnis.*

ORATIO.

Domine, qui es pretium nostræ redemtionis: libera animas nostras de manu insidiantis Satanæ, ne mors gehennæ depascat nos in interitum sempiternum. Sed tribue intellectum; ut, mandatis tuis obediendo, terrena cuncta contemnamus, & ad cœlestia bona toto mentis affectu anhelemus. Amen.

PSALMUS XLIX. [*sec. Hebr.* L.]

Psalmus *ipsius* Asaph, *qui fuit unus inter quatuor personantes in psalterio, & interpretatur congregatio, quæ nunc est in populo Christiano. Agitur de utroque adventu Christi.*

DEus, *Christus*, *omnium* deorum *falsorum* dominus, *omnipotens*, locutus est * *multifariam in Prophetis, etiam per se in humanitate assumta*; et vocavit *ad fidem suam* terram *ac universos habitatores terræ.*

A solis ortu *lex Euangelica* usque ad occasum * *ultimum terræ promulgata est per Apostolos*: ex Sion *tamen & de Jerusalem cœpit annuntiari* species decoris ejus, *atque pulcritudo divinitatis & virtutum Christi.*

Deus, *Christus*, manifestè veniet * *ad generale judicium*, Deus, *inquam*, noster, *Christianorum verus Deus & homo*; et non silebit, *immò super peccatores exercebit iram & vindictam suam.*

Ignis *materialis* in conspectu ejus *præcedens* exardescet, * *quia sæculum*

per

per ignem judicabit : et in circuitu ejus *exſurget* tempeſtas valida,*in momento, in ictu oculi, in noviſsima tuba.*

Advocabit *Chriſtus* cœlum *cœleſteſque ordines* deſurſum, * *veniens à Patre*; et terram *terrenoſque homines etiam advocabit deorſum*, diſcernere, *ut per ſententiam diſcernat & dividat* populum ſuum *à non ſuo*, *bonos à malis, ſalvandos à damnandis.*

Congregate *vos*, *Angeli*, illi *Chriſto* ſanctos & *electos* ejus, * qui ordinant, *prædicant*, & *implent* Teſtamentum ejus *Novum & Euangelica præcepta*, ſuper ſacrificia *Teſtamenti Veteris & obſervantias legales.*

Et annuntiabunt *prædicando* cœli,*viri cœleſtes*, *verbi diſpenſatores*, juſtitiam ejus, * *qua juſti remunerabuntur*, & *reprobi damnabuntur*; quoniam Deus, *qui nec fallit nec fallitur*, judex eſt *vivorum & mortuorum.*

Audi *credendo*, populus meus, *quem elegi*, *cui legem dedi*, *à quo carnem aſſumſi*; et loquar *tibi*, *atque prædicabo filiis* Iſraël *veritatem*; et teſtificabor tibi * *verbis ac factis quod* Deus *per*

omnipotentiam, Deus tuus *per gratiam* ego ſum, *& nemo alius.*

Non in ſacrificiis tuis *Veteris Teſtamenti* arguam *aut reprehendam* te, * *quia non quæro, nec ea volo*: holocauſta autem tua, *igne caritatis incenſa, in anima humiliata*, in conſpectu meo ſunt ſemper *grata & accepta.*

Non accipiam *amplius* de domo tua *inſolentes* vitulos * *ad ſacrificium*, neque de gregibus tuis *paſcualibus exigam* hircos *ad hoſtiam pro peccato, ſed cor contritum & humiliatum.*

Quoniam meæ ſunt *poſſeſsiones*, omnes feræ *& beſtiæ* ſilvarum, * *etiam* jumenta *quæ vagantur* in montibus *excelſis*, et boves *in paſcuis.*

Cognovi *ab æterno* omnia volatilia cœli: * et pulcritudo *atque amœnitas* agri *virentis* mecum eſt, *& à me producta.*

Si eſuriero *aut ſitiero*, non dicam tibi; * *quia bonorum tuorum non egeo*: meus eſt enim orbis terræ, *quem creavi, quem guberno*, et plenitudo ejus; *cùm nihil ſine nutu meo vivat.*

Numquid *ſum talis naturæ, quòd* man-

manducabo carnes taurorum, * *ut in ſacrificiis*? aut ſanguinem hircorum potabo? *certè non, quia nec cibo nec potu indigeo.*

Immola *ergo* Deo *holocauſtum pingue*, & ſacrificium *acceptabile* laudis * *atque gratiarum actionis, quòd te creavit & redemit*; et redde *ſemper* altiſsimo, *qui in cœlis eſt*, vota tua, *quæ promiſsiſti in baptiſmo.*

Et, *nihil de viribus tuis præſumens*, invoca me *in auxilium* in die tribulationis, * *adverſitatis, & tentationis*; & eruam te, *tantùm confidas & invoces*: et, *tandem liberatus*, honorificabis *poſtea* me, & *ſanctificabis nomen meum.*

Peccatori autem *impio* dixit Deus * *omnipotens*: Quare tu enarras *atque prædicas* juſtitias meas *de præmiis bonorum, & pœnis malorum*; et aſſumis *indigna præſumtione* Teſtamentum meum, *tam Novum, quàm Vetus*, per os tuum *impurum & ſceleratum*?

Tu verò *audacter* odiſti diſciplinam * & *increpationem*, et projeciſti *contemnendo* ſermones meos, *quos ta-*

men in ore habebas, retrorsum, *in tuam damnationem.*

Si videbas furem; *non increpasti, sed dissimulando* currebas cum eo, * *laudando atque excusando*: et cum adulteris *& scortatoribus* portionem tuam *in consensu voluptatis* ponebas, *sequendo carnis concupiscentiam.*

Os tuum *perversum* abundavit malitia, * *infideliter legem meam interpretando*: et lingua tua *ad decipiendum* concinnabat *fraudes ac* dolos, *malè agendo, blandè loquendo.*

Sedens *cum auctoritate, studio nocendi*, adversus fratrem tuum *falsa* loquebaris, *ipsum calumniosè objurgando*; et adversus *proximum*, filium matris tuæ *Ecclesiæ, qui tibi frater est per regenerationem baptismi*, ponebas scandalum, * *præbendo illi occasionem ruinæ per facta & verba tua nequam*: hæc *omnia* fecisti *sine timore divini judicii*; et *ego* tacui *atque dissimulavi, ut compleretur malitia tua.*

Existimasti iniquè *tu, ò peccator*, quod ero tui similis, * *consentiendo malis, quia scelera tua non statim vin-*

di-

dico: *sed* arguam te *in morte atque finali judicio*, et statuam *tunc peccata tua* contra faciem tuam, *quæ te accusabunt*, *omnesque imposturas declarabunt*.

Intelligite *atque ruminate* hæc *dicta in corde vestro*, *omnes* qui obliviscimini Deum, * *mandata ejus contemnendo*; nequando *vos inopinatos* rapiat *à vita præsenti in æternam damnationem*, et non sit qui eripiat, *cùm in inferno nulla sit redemtio*.

Sacrificium laudis, *quod puritate fidei & operum immolatur*, honorificabit, *sanctificabit*, *& dignè* me * *colet*: et illic *est* iter *& recta via quæ ducit ad vitam*, quo ostendam illi, *sacrificanti puro corde*, salutare Dei, *Christi filii Patris*, *in quo subsistit vera salus hominis*.

ORATIO.

Deus deorum, Domine, cujus est orbis terræ & plenitudo ejus, qui manifestè venturus es in igne exardescenti & tempestate valida ad judicandum genus humanum: te supplices exoramus, ut holocausta nostra, igne caritatis succensa, in compunctione cordis sint tibi grata & accepta:

ut ſic, à peccatis noſtris expiati, priuſquam ab hac vita rapiamur ad judicium; placidum ac pacatum te inveniamus redemtorem noſtrum JESUM, cui cum Patre & Sancto Spiritu eſt honor & gloria in ſæcula ſæculorum. Amen.

PSALMUS L. [*ſec. Hebr.* LI.]

In finem, *qui Chriſtus eſt, omnium bonorum conſummatio & perfectio*, Pſalmus *iſte eſt ipſius* David *Prophetæ de pœnitentia & humilitate ejus, & quam habuit* cùm venit ad eum Nathan Propheta *redarguens ipſum de homicidio & adulterio*, quando *ſcilicet* intravit *& ingreſſus eſt David* ad Bethſabee *uxorem Uriæ*. [2.*Reg.* 12.]

MIſerere mei, *quoniam peccator ſum*, Deus * *meus, cui proprium eſt miſereri & parcere*, ſecundum magnam, *infinitam, & abyſſalem* miſericordiam tuam, *qua egeo, quia magna eſt miſeria mea.*

Et ſecundum *innumerabilem* multitudinem *actualium* miſerationum tuarum, * *ab initio ſæculi exhibitarum,* de-

dele, *ut nullum remaneat vestigium*, iniquitatem *& culpam* meam.

Amplius, *magis ac magis*, lava *in fonte misericordiæ* me, *per aquam gratiæ*, ab iniquitate mea, * *qua te Deum offendi*: et à peccato meo, *quo proximum læsi*, munda me, *ut culpa & peccatorum voluntas abstergatur.*

Quoniam iniquitatem meam *detestandam* ego *verè pœnitens neque diffiteor neque abscondo*, cognosco * *ut tu ignoscas*; et peccatum meum *in conscientia remordente* contra me, *ceu imago figurata*, est semper *per contritionem amaram.*

Tibi *tamquam judici*, soli *potenti & punire & misereri*, peccavi *valdè*; et malum, *quod coram hominibus erubui, illud* coram te feci, * *quia omnia vides*: *itaque miserere*, ut justificeris, *verax ac justus inveniaris*, in sermonibus *& verbis* tuis *quibus promisisti veniam pœnitentibus*; et vincas *illos de mendacio*, cùm *perperàm & præsumtuosè* judicaris, *tamquam volens justificare impium.*

Ecce enim *figmentum tuum* in ini-

qui

quitatibus *originalis culpæ* conceptus ſum, * *unde miſeria & pœna eſt mihi*; et in peccatis *atque libidinum concupiſcentiâ* concepit me, *unde caro naſcitur infirma*, mater mea.

Ecce enim *me quoque erigit*, *ut à te veniam ſperem*, *quod tu verax es &* veritatem dilexiſti : * incerta *inſuper* et *hominibus* occulta *judicia* ſapientiæ *ac providentiæ* tuæ manifeſtaſti mihi.

Aſperges *ergo*, *per pœnitentiam humilem*, me *peccatorem*, *Domine Deus*, hyſſopo, *ſanguine Chriſti*; et *per hoc* mundabor * *à maculis per contritionem* : lavabis me *fonte*, *tum baptiſmi & gratiæ*, *tum lacrimarum & pœnitentiæ*; et *incomparabiliter* ſuper nivem *tunc*, *per ſatisfactionem*, dealbabor *candore ſpirituali animæ juſtificatæ*.

Auditui meo *interiori* dabis gaudium *de abſolutione peccatorum*, et lætitiam * *de promiſsione æternorum* : et *tunc* exultabunt oſſa *ſpiritualia*, *animæ fundamenta*, *prius* humiliata *tentationibus*, *& turbata impugnationibus*.

Averte *per plenam remiſsionem* faciem tuam, *non à me*, *ſed* à peccatis meis,

meis, * *illorum non recordando*: et omnes iniquitates meas *præteritas*, *præsentes*, & *futuras*, dele *de tua notitia, ne punias*.

Cor *à culpa* mundum & *immaculatum* crea *ac restaura* in me, Deus, * *per gratiam justificantem*: et spiritum rectum *ad cœlestia sublevantem* innova, *refice* in visceribus & *viribus* meis *interioribus*, *unde peccata exierunt*.

Ne projicias *in desperationis foveam* me, *ceu reprobatum*, à facie & *præsentia* tua, * *unde lumen & sanitas mentis*: et Spiritum Sanctum tuum, *in quo spem veniæ colloco*, ne auferas *omnino* à me, *immò mecum sit*, & *mecum laboret*.

Redde mihi, *quod mea culpa perdidi*, lætitiam *spiritualem* salutaris *filii* tui * *Christi*: et Spiritu *sancto* principali *dominante super omnia* confirma me *in gratia*, *ne recidivem in peccatis*.

Docebo *verbo & exemplo* iniquos *homines* vias tuas * *misericordiam & veritatem*: et impii, *relinquentes vias suas*, ad te *Deum verum* convertentur *per pœnitentiam salutarem*.

Li-

Libera me, *pœnitentem*, de ſanguinibus *& corruptionibus carnalibus*, Deus *creator*, Deus *redemtor*, *atque* ſalutis meæ * *conſervator*: et *tunc* exultabit *cum gaudio* lingua mea *extollendo* juſtitiam tuam, *quia juſtificas impium, & parcis pœnitenti.*

Domine, *dando ſcientiam loquendi,* labia mea, *prius clauſa propter peccatum*, aperies: * et *tunc cum fiducia* os meum *& cordis arcanum* annuntiabit *& præconizabit* laudem tuam, *quia ſanctus, quia pius, quia miſericors es.*

Quoniam, ſi voluiſſes, *pro expiatione peccati*, ſacrificium *hircorum & vitulorum*; dediſſem *ac obtuliſſem*: *ſed* utique * holocauſtis *victimiſque veteribus* non delectaberis *neque placaberis amplius.*

Sacrificium *acceptum* Deo, *quo peccata ſolvuntur*, *eſt* ſpiritus *plurimum anxius pro peccatis*, contribulatus * *corpore per pœnitentiam*; *ut ſpiritus dolore, corpus labore afficiatur*: cor, *prius* contritum *per compunctionem*, et *deinde* humiliatum *per confeſsionem*, Deus, *qui miſericors es*, non deſpicies

ne-

neque ſpernes, immò gratanter adſpicies.

Benignè fac, *largam impendendo benedictionem*, Domine Deus, in bona *& gratuita* voluntate *ac gratia* tua, *Eccleſiæ noſtræ catholicæ* Sion, * *quæ Deum ſpeculatur*; ut *in ſpe, fide, & caritate* ædificentur *ſuper firmam petram Chriſtum* muri Jeruſalem, *qui ſunt animæ ſanctorum in viſione pacis.*

Tunc acceptabis *gratum habens* ſacrificium juſtitiæ, *quod eſt confeſsio qua juſtificatur impius*; oblationes, *non pecudum, ſed hominum*; et holocauſta * *in carnis mortificationem*: tunc imponent *offerentque* ſuper altare *fidei, quod* tuum *eſt, ſeipſos, ceu* vitulos, *in victimam & hoſtiam viventem, placentem Deo.*

ORATIO.

Dele iniquitates noſtras, Domine, ſecundum magnam miſericordiam tuam: munda & lava nos, ſuper candorem nivis, à peccatis noſtris, quibus malum coram te fecimus. Cor noſtrum contritum & humiliatum non deſpicias, Domine: ſed innova in viſceribus noſtris ſpiritum ſan-

ctum

ctum tuum, quo laudem tuam annuntiare posſimus; &, recto principalique ſpiritu confirmati, mereamur in cœleſtem Jeruſalem pervenire. Per CHRISTUM Dominum noſtrum.

PSALMUS LI. [*ſec. Hebr.* LII.]

In finem *Chriſtum* intellectus *& eruditio ipſius* David *Prophetæ*; cùm venit Doëg Idumæus *impoſtor falſarius*, et nuntiavit *atque indicavit* Sauli regi *Hebræorum*, et dixit ei *turbato*: Venit David *æmulus tuus* in domum Achimelech *ſacerdotis.* [1. *Reg.* 22. 9.]

QUid gloriaris *& exſultas* in malitia * *peſſima*, *obſtinata*, qui potens es *opprimere pauperem* in iniquitate *& impietate tua*?

Tota die *& omni tempore vitæ tuæ* injuſtitiam *& pravitatem* cogitavit lingua tua, * *ex certa & præmeditata malitia*: ſicut novacula acuta *inflixiſti vulnus*, *&* feciſti dolum *atque impoſturam*: *quia*, *cùm diligere ſimulas*, *fraudulenter vulneras.*

Dilexiſti *longè* malitiam *ipſam* ſuper be-

benignitatem, * *immò exoſum habuiſti bonum*: & iniquitatem *ac mendacium amaſti* magis quàm loqui æquitatem, *juſtitiam*, & *legem* Dei.

Dilexiſti omnia verba *adulationis*, præcipitationis, * & *detractionis*, *quibus innocentes dejiciuntur ad malum*, *fallax* lingua doloſa, & *miniſtra malitiæ*.

Propterea Deus *ſubvertet* & deſtruet te, *licèt modo vidêris ſtare & florere*, in finem * *atque in æternum*: evellet te *de felicitate temporali*, *in qua confidebas*; et emigrabit te *ab hac vita* de tabernaculo & *corpore* tuo; et radicem tuam, *quæ eſt anima vivificans corpus*, *ſicut radix arborem*, *evellet* de terra viventium *atque beatitudine ſanctorum*.

Videbunt juſti *damnationem impiorum*, et timebunt (*cùm punitio impiorum*, *eruditio erit juſtorum*); et ſuper eum ridebunt, *contemnentes proſperitatem ejus præteritam*; et dicent * *ipſi juſti*: Ecce homo *robuſtus in malitia*, qui non poſuit Deum, *immò contemſit*, adjutorem ſuum, *non habens* fi-

fiduciam in Dominum.

Sed ſperavit, *tamquam in ſummo bono*, in multitudine divitiarum ſuarum, * *in copia argenti & auri, potentiæ, & gloriæ*; et prævaluit *juſtis ad tempus* in vanitate *& proſperitate* ſua, *& affluentia temporalium.*

Ego autem *pius, qui ſum in bonis operibus* ſicut oliva fructifera in domo Dei * *& Eccleſia ſancta*, ſperavi, *non in divitiis, ſed* in miſericordia Dei *duratura* in æternum, *non ſolum hìc, ſed* et in ſæculum ſæculi, *in vita æterna.*

Confitebor tibi *& gratias agam* in ſæculum *hoc*, quia feciſti * *mecum miſericordiam in præſenti*: et expectabo, *in futura retributione juſtorum*, nomen tuum, *quod JESUS eſt*, quoniam bonum, *dulce* eſt *& ſuave* in conſpectu, *judicio, & æſtimatione* ſanctorum tuorum, *qui guſtaverunt ſuavitatem bonitatis tuæ.*

ORATIO.

Omnipotens Deus, totius mundanæ vanitatis deſtructor: fac nos in Eccleſia tua florere, ſicut olivam fructiferam bonorum operum; ut, in tua miſericordia ſperan-

rantes, & tibi ſemper gratias agentes, ab iniquitatis maledicto ſalvemur per confeſſionem nominis tui, quod JESUS eſt.

PSALMUS LII. [*ſec. Hebr.* LIII.]

In finem *& Chriſtum ducens*, pro Maeleth *parturiente dolorem de peccatis*, intellectus *& eruditio ipſius* David.

DIxit *& ſibi ipſi perſuaſit* inſipiens *& impius* in corde ſuo, * *quod* non eſt Deus *curans res mortalium.*

Corrupti ſunt *in peccatis*, et abominabiles *atque odibiles* facti ſunt *Deo & hominibus* in iniquitatibus * *ſuis*: non eſt *de illis reprobis* qui faciat bonum *aliquod meritorium.*

Deus de cœlo proſpexit, *per ſuam miſericordiam*, ſuper filios hominum * *ut pœnitentes ſalvaret*; ut videat ſi *aliquis* eſt intelligens *per veram cognitionem*, aut requirens Deum *per bonam operationem.*

Omnes declinaverunt *à rectitudine juſtitiæ*, & ſimul inutiles *atque inepti* facti ſunt * *à conſequutione vitæ æternæ*: non eſt *aliquis* qui faciat bonum, *aut*

impleat voluntatem patris cœleſtis : non eſt uſque ad unum : *quia omnes peccaverunt , & egent gratia Dei.*

Nonne ſcient *& experientur in futuro juſtitiam Dei* omnes qui *nunc* operantur *pertinaciter* iniquitatem * *contra Dei mandata*? qui devorant *& dilaniant* plebem meam *innocentem , &, perinde* ut *ſi comederent* cibum panis *quotidianum , ita delectantur in ſpoliis innocentum*?

Deum *per pœnitentiam* non invocaverunt , * *quia in eum non crediderunt: ſed* illic trepidaverunt *peccatores hujus mundi* timore , *ne fraudarentur felicitate terrena* , ubi *tamen* non erat timor *habendus* : *formidant tantùm temporalia , & non mala æterna.*

Quoniam Deus diſsipavit *atque diſperſit* oſſa *& corpora* eorum , *luxui & deliciis mancipata* , qui hominibus placent , * *& Deum ſpernunt* : confuſi ſunt *intellectu* , quoniam Deus ſprevit , *tradens* eos *in reprobum ſenſum.*

Quis dabit ? (*certè nullus, niſi tu, Domine,*)ex Sion *illâ cœleſti* ſalutare Iſraël,* *aut ſalutem populo fideli , per fidem ve-*

ram

ram Deum videnti? Cùm converterit *& eripuerit* Deus *ab impiorum violentia* captivitatem *& ſervitium* plebis ſuæ *electæ*, *tunc* exultabit Jacob *peſſumdator vitiorum*, et lætabitur *atque gratias aget* Iſraël *redemtori ſuo optimo, maximo*.

ORATIO.

Omnipotens Deus, de cœlo proſpice ſuper nos peccatores, filios hominum, ut intelligamus & requiramus te ſolum Deum verum, ſpretis mundanis omnibus. Ne declinemus à rectitudine juſtitiæ & via veritatis, ne corrumpamur & abominabiles ſimus in iniquitatibus noſtris: ſed nos convértere digneris ad te, ut lætemur & exſultemus in ſalutari tuo Domino noſtro JESU CHRISTO. Amen.

PSALMUS LIII. [*ſec. Hebr. LIV.*]

In finem, *qui Chriſtus eſt, tendentibus*, pro carminibus *& laudibus ejus, hic Pſalmus eſt* intellectus *& eruditio* David *& cujuslibet fidelis*; cùm veniſſent Ziphæi, *perſequutores bonorum, florentes in hoc mundo*, et annuntiaſſent Sauli *perverſo*: Nonne David *latens*

& miser abſconditus eſt apud nos *florentes*? [1.*Reg.* 23. 19. *&* 26. 1.]

DEus *meus*, in nomine tuo, *quod* JESUS *eſt*, ſalvum me fac, * *non ob meritum meum*: et in virtute *atque miſericordia* tua *divina* judica me, *ſeparando à malis.*

Deus, *qui verax es in promiſsis*, exaudi orationem meam * *& vota mentis meæ*: *etiam* auribus *clementiæ* percipe verba *vocalia* oris mei, *quæ tibi ſupplex propono.*

Quoniam alieni *à Deo*, *fide*, *& operibus*, inſurrexerunt *ſua violentia* adverſum me, *armati livore inſanæ mentis*; et, fortes *in malo*, quæſierunt animam meam, * *ut eam à pietate divertant*; et non propoſuerunt *in conſcientia* Deum *verum* ante conſpectum ſuum, *ſed divitias*, *ſed honores*, *ſed voluptates.*

Ecce enim Deus *omnipotens* ádjuvat me, * *ut ſim patiens in adverſis*; et Dominus, *me coadjuvans in bonum*, ſuſceptor eſt, *per ſuam gratiam*, animæ meæ, *eam à peccatis omni-*

mnibus liberando.

Averte mala, *adversum me cogitata, ab* inimicis meis * *insidiantibus*, et in veritate tua *judiciali* disperde illos *in æternum : esto hic floreant falsis bonis, pereant veris tormentis.*

Voluntariè *atque libera mente, non coactè*, sacrificabo tibi * *sacrificio laudis & bonorum operum*; et confitebor, *celebrabo, & gratias agam* nomini tuo, Domine *Deus meus*, quoniam bonum est, *immò nil melius illo invenitur.*

Quoniam ex omni tribulatione *& adversitate* eripuisti me * *sperantem in te*, et super inimicos meos *insidiantes* despexit, *pro nihilo reputando*, oculus meus, *quia vidi retributionem in impiis.*

ORATIO.

Domine, in virtute nominis tui salva nos, ne alieni in fide divertant à vera pietate animas nostras: sed per tuam gratiam sub divina protectione nos suscipe, libera & eripe ab omnibus inimicis, tam visibilibus, quàm invisibilibus, insidiantibus nobis : ut sic semper nomini tuo, quod JESUS est, voluntariè sacrificio lau-

dis & bonorum operum confiteamur per ſæcula. Amen.

Psalmus liv. [*ſec. Hebr. LV.*]

In finem *Chriſtum, ad quem cuncta referenda ſunt*, Pſalmus *iſte* in carminibus *& laudibus eſt* intellectus *& eruditio* David.

Exaudi, Deus *meus*, orationem meam *pro bonis aſſequendis*, et ne deſpexeris *votivam* deprecationem meam * *pro malis evitandis* : *ſed* intende mihi *oranti*, et exaudi me *per gratiam, dando quod poſtulo.*

Contriſtatus ſum, *animâ & corpore*, in exercitatione mea* *& tribulationibus, quibus mali me exercent* : et conturbatus ſum *& inquietus in anima* à voce inimici *obloquentis & inſidiantis*, et à tribulatione peccatoris *affligentis me.*

Quoniam *impii* declinaverunt *retorquendo* in me *innocentem* iniquitates * *quæ eorum erant, & mala ſua mihi imponebant* ; et in ira *eorum, non in merito meo*, moleſti erant mihi, *ſine ratio-*

tione mala inferendo.

Cor meum *elanguit & conturba*tum eſt, *propter moleſtias*, in me : * et *in animo meo* formido, *metus, & horror* mortis *æternæ* cécidit ſuper me, *timendo fraternum odium.*

Timor *animæ* et tremor *mortis* venerunt ſuper me, * *& opprimunt* : et contexerunt *& circumdederunt* me tenebræ, *mali homines, & peccatores cæci.*

Et dixi, *deliberando inter has conturbationes*: Quis dabit mihi pennas *virtutum, & motum deſideriorum bonorum*, ſicut columbæ, * *quæ ſimplex eſt, & felle caret*? et volabo *à ſtrepitu mundi*, et requieſcam *in tranquillitate mentis, guſtando quàm ſuavis eſt Dominus.*

Ecce elongavi *me à turba deſideriorum temporalium, &*, fugiens * *illa, diſceſsi à congregatione hominum*; et manſi in ſolitudine, *requieſcens in quiete mentis.*

Expectabam *patienter* eum *Dominum longanimis*, qui ſalvum me fecit * *& liberavit* à puſillanimitate *& inordi-*

nato timore ipſius ſpiritus *mei*, *ne caderem in deſperationem*, *propter tot tumultus perſequutionum*; et *à* tempeſtate *animæ*, *ne iraſcerer impetuosè*.

Præcipita *& diſperde*, Domine, *fraudes eorum*, *&* divide, *ne veniant in concordiam*, linguas eorum * *qui in me conſpirant*; quoniam vidi iniquitatem, *& dolum*, et contradictionem, *atque diſcordiam* in civitate *& congregatione impiorum*, *ubi nulla caritas*.

Die ac nocte, *ſine intermiſsione*, circumdabit eam *civitatem diaboli*, ſuper muros ejus *excubando*, iniquitas * *peſsima*: et labor *atque moleſtia erit* in medio ejus (*non enim eſt pax impiis*), et injuſtitia *abundabit*.

Et non defecit *ſed ſemper duravit* de plateis ejus, * *ubi licitantur venalia*, uſura, *fraus*, *& impius quæſtus*, et dolus: *quia*, *aut creditoribus pluris vendunt*, *aut in pretio rei cum dolo & fraude*.

Quoniam, ſi inimicus meus, *publicus peccator*, maledixiſſet mihi * *manifeſtè*; ſuſtinuiſſem utique, *& patientius toleraſſem*.

Et, ſi is qui oderat me *publicè*, ſuper

per me *insultasset*, & magna *atque superba* locutus fuisset, * *minitando*; abscondissem me forsitan ab eo, *fugiendo præsentiam & sodalitium ejus.*

Tu verò, homo *à quo dolos patior in abscondito, homo mecum vivens*, unanimis * *in pace*, dux meus *in vitæ instituto*, et notus *atque familiaris* meus;

Qui simul, *conversando*, mecum dulces & *suaves* capiebas cibos, * *tum Eucharistiæ, tum doctrinæ*: in domo Dei, *quæ est Ecclesia sancta*, ambulavimus *simul* cum *magno* consensu *animorum.*

Veniat mors *gehennæ* super illos * *hypocritas falsos*, et descendant *secundum merita* in infernum, *ubi nulla est redemtio*: & *hoc* viventes, *quia scienter peccant*, & *scienter pereunt*.

Quoniam nequitiæ, *fraudes*, & *doli sunt* in habitaculis & *cordibus* eorum, * & in medio *conversationis* eorum: *quia pestilentes sunt impii.*

Ego autem *tota fiducia* ad Deum clamavi * *in tantis periculis & tribulationibus*, et Dominus *Deus* salvabit me *à peccato & inferno.*

Ve-

Vespere *senectutis*, et mane *pueritiæ*, et meridie *juventutis*, *quod est omni tempore*, narrabo, *meditabor*, et annuntiabo * *divina beneficia mihi collata*: et *Dominus* exaudiet vocem & *orationem* meam *justam*.

Redimet *Dominus* in pace & *quiete* animam meam *innocentem*, ab his *falsis fratribus* qui appropinquant mihi, * *persequentes sub specie bona*; quoniam, inter multos *amicos quos habueram*, erant & *junxerant se* mecum.

Exaudiet & *consolabitur me orantem* Deus *pacis*, et humiliabit *abjiciendo & confundendo* illos * *impios*: *hic*, *inquam*, *Deus* qui est *æternus* ante sæcula, *quia in principio erat Verbum*.

Non enim est *resipiscentia* illis *impiis*, *aut* commutatio *in melius*; *sed descendunt semper in pejus*, et non timuerunt Deum, * *sed potius contemserunt*: & *ergo* extendit *Dominus* manum suam & *vindictam*, in retribuendo *pœnam pro malefactis eorum*.

Contaminaverunt & *despexerunt*, *male vivendo*, testamentum ejus, *mandata Dei non custodiendo*: *quare* divisi

sunt

ſunt *de terra viventium* ab *ſeu præ* ira *&* *ſeveritate* vultus ejus, * *quia non videbunt faciem Domini*; et appropinquavit *ad bonos* cor illius *ſeu voluntas ipſius Dei*.

Molliti ſunt *in blandiloquentia* ſermones ejus, *ſuaves* ſuper oleum * (*adeò applaudunt verbis in hypocriſi*); et ipſi *ſermones* ſunt jacula, *letaliter vulnerantia corda audientium*.

Jacta ſuper Dominum *Deum omnem* curam *& ſollicitudinem* tuam, *committendo Deo omne negotium*: et ipſe *Dominus* te enutriet, * *docendo, confortando, & vias tuas dirigendo*; *&* non dabit in æternum, *licèt ad horam permittat*, fluctuationem, *inquietudinem, & conturbationem* viro juſto. [*Matth*. 6. 25. *Luc*. 12. 22. 1. *Petr*. 5. 7.]

Tu verò, Deus, *qui ſanctos enutris*, deduces eos * *impios, qui nec timent te, nec tibi confidunt*, in puteum *inferni &* interitus *mortis æternæ*.

Viri ſanguinum, *perſecutores, & homicidæ*, et doloſi *per ſimulationes fraudem molientes*, non dimidiabunt

in voluptatibus dies ſuos, * *immò interitus erit celerrimus & ſubitaneus*: ego autem *certiſsimè* ſperabo, *non in homine, non in mundo, ſed* in te, Domine, *& ideo liberabor ab omni malo.*

ORATIO.

Domine, qui in te jactamus, ceu in tutiſsimum portum, omnes curas noſtras, ſolique tuæ gratiæ innitimus: enutrias nos in fide, moribus, doctrina, & virtutibus. Ne deſpexeris deprecationes noſtras, ſed ſalva nos à puſillanimitate ſpiritus, ne ſuccumbamus in tribulationibus aut preſſuris: et, te veſpere, mane, & meridie laudantes, mereamur ab hujus ſæculi tempeſtatibus defenſari. Per Chriſtum Dominum noſtrum.

PSALMUS LV. [*ſec. Hebr. LVI.*]

In finem *Chriſtum, qui eſt conſummatio noſtra, hic Pſalmus tendit, ſcriptus* pro populo *Judæorum & perſecutorum*, qui à ſanctis *electis* longè factus eſt *& alienatus*, in tituli inſcriptione: *quia ſancti confitentur Chriſtum regem Judæorum, at hic populus negat. Pſalmus agit quod factum eſt*

ipſi

ipsi David *Prophetæ*, cùm tenuerunt eum *captivum* Allophyli *alienigenæ* in Geth. *Oratio est justi tribulati.* [1. *Reg.* 21. 12.]

MIserere mei, *& gratiam tuam mihi impertire*, Deus *meus*, quoniam conculcavit *& pessumdedit* me homo * *nequam*: tota die *diabolus* impugnans *tentationibus* tribulavit *& afflixit* me.

Conculcaverunt *pedibus suis* me *innocentem* inimici mei, *tam homines, quàm dæmones*, tota die; * *adeò ut nullum tempus pressuris vacuum relinqueretur*: quoniam multi bellantes *steterunt* adversum me, *videlicet diabolus, caro, mundus.*

Ab altitudine *quidem & superbia* diei *temporalis ad horam datam* timebo, * *sed interim tamen* ego verò *justus* in te sperabo *de tua protectione.*

In Deo *meo* laudabo *verbum ejus, & celebrabo* sermones meos, *Dei munere mihi concessos*: in Deo *& ejus protectione* speravi * *confidenter*: non *ergo* timebo quid *mali* faciat mihi caro

&

& carnalis homo.

Tota die *mendaces* verba mea *bona* execrabantur * *tamquam mala* : *&* adversum me *sunt* omnes cogitationes eorum *impiorum*; *& hoc* in malum, *ut absterreant à pietate doctrinæ & vitæ.*

Inhabitabunt *mecum in Ecclesia catholica*, et abscondent * *malum quod cogitant* : ipsi *impii* calcaneum meum, *more serpentis, insidiosa calliditate* observabunt, *ut accusare possent vel blasphemare.*

Sicut sustinuerunt *ad perdendum & exspectaverunt* animam *& vitam* meam; *tamen* pro nihilo *&* *gratis* salvos facies illos, * *per solam tuam misericordiam* : *sed* in ira *tua divina* populos *adversarios veritatis* confringes, *ad nihilum redigendo.*

Deus *meus*, vitam meam, *quæ mala fuit*, annuntiavi tibi * *in confessione*: posuisti *tristitias &* lacrimas meas, *quas effudi pro peccatis*, in conspectu tuo, *eas non obliviscendo.*

Sicut *erat* et in promissione tua, * *qua veniam spondes pœnitentibus*, *sic egesti* : tunc *ergo* convertentur inimici

&

& adversarii mei, *à suo errore & vita mala* retrorsum, *ut non amplius vadant post concupiscentias carnis.*

In quacumque *ergo* die *ætatis & vitæ meæ* invocavero te * *cordis devotione*, ecce cognovi, *experiendo misericordiam tuam*, quoniam Deus meus es, *qui me recipis ad pœnitentiam.*

In Deo *Patre* laudabo Verbum *incarnatum*, *prædicando eum consubstantialem Patri & coæternum*: in Domino *Jesu Christo* laudabo sermonem, * *& ejus regulam vivendi, quam mundo præstitit*: & in Deo *Spiritu Sancto* speravi *de ejus bonitate*: *& ergo* non timebo quid *mali* faciat mihi *innocenti* homo *nequam.*

In me sunt *tibi reddenda*, Deus *meus*, vota tua * *à te data*, *quia pro beneficiis mihi impensis illa debeo tibi*: quæ *vota* reddam, *quia sunt* laudationes *& gratiarum actiones*, tibi *solvenda ad nominis tui gloriam.*

Quoniam eripuisti *& salvasti* animam meam, *quæ per te vivit*, de morte *culpæ & gehennæ*, et pedes meos, *affectus & sensus*, de lapsu * *& proni-*

ta-

tate cadendi in peccatum ; ut placeam *in via mandatorum* coram *Domino* Deo *meo* , in lumine *justorum* , viventium *ex fide & gratia.*

ORATIO.

Unica salus , vita , & spes nostra, Deus , consolator , remunerator , & ubique justificator : miserere nobis , qui undique tribulationibus à mundo , tentationibus à diabolo , miseriis à carne conculcamur , qui semper observant calcaneum nostrum. Eripe animas nostras de morte æterna ; ut , dum hìc carnalia bella comprimimus , placere tibi in lumine gloriæ & immortalitatis mereamur. Per Christum Dominum nostrum.

PSALMUS LVI. [*sec. Hebr. LVII.*]

In finem *& Christum* , *ad quem tendimus* , *venire hortatur iste Psalmus* ; ne *tu* , *perfide Judæe* , disperdas , *interficias* , *vel corrumpas quovis modo* David, *hoc est Christum* , in tituli inscriptione, *negando ipsum esse regem Judæorum,quod tamen titulus crucis indicabat* ; cùm fugeret à facie Saul *truculenti & ferocis* in speluncam. [1.*Reg.*22. *&* 24.]

MI-

MIserere mei *& ſuccurre*, Deus: *pater clementiſsime*, miſerere mei, * *quia periculum imminet magnum*: quoniam in te, *& in nullo alio*, confidit *& ſtabilita eſt* anima mea.

Et in umbra alarum tuarum *atque in protectione tuæ divinæ potentiæ* ſperabo * *ſemper*, donec tranſeat *ipſa* iniquitas *Judæorum*.

Clamabo *ab humanitate aſſumta* ad Deum *Patrem* altiſsimum * *in cœlis*: *ad* Deum *meum*, *cui conſubſtantialis ſum*, qui benefecit *&* *reddidit* mihi *quidquid promiſerat*.

Miſit de cœlo, *non angelum*, *vel creaturam*, *ſed me filium ſuum*; *unde* et liberavit me, * *reſuſcitando à mortuis*: *&* dedit *diſpergens per orbem*, in opprobrium *hominum*, *Judæos* conculcantes me *& nomen meum*.

Miſit Deus, *per me*, miſericordiam ſuam *gentibus* et veritatem ſuam, * *juxta promiſſa Judæis*: et eripuit, *crucifixo corpore*, animam meam de medio *Judæorum &* catulorum leonum *rugientium in me ut crucifigerer*: dor-

mivi *somno mortis secundum carnem, sed* conturbatus *ex angustia passionis.*

Filii hominum, *Judæi*, dentes eorum *ut devorent sunt* arma *invidiæ*, et sagittæ * *ut occidant ac perdant* : et lingua eorum (*quando clamabant : Crucifige*) *est* gladius acutus *crudelissimus.*

Exaltare *ascendendo* super cœlos *cœlorum*, Deus, * *Jesu Christe, ad dexteram Patris; ut cognoscaris semper in tua majestate regnare* : et *sic* in omnem terram *promulgabitur* gloria tua *resurrectionis, & ascensionis in cœlum.*

Laqueum *per fraudulentas objectiones* paraverunt pedibus *& doctrinis* meis, * *ut me in verbo caperent* : et incurvaverunt animam meam, *tentando an flectere eam possent à rectitudine veritatis & justitiæ.*

Foderunt *Judæi* ante faciem meam, *congregando concilium*, foveam * *fraudis, oppressionis, & criminationis, ut me morti traderent* ; et *ipsi* inciderunt *præcipitati* in eam, *passi mala quæ mihi inferre conabantur.*

Paratum cor meum *ad sustinendam ignominiam crucis*, Deus *Pater*, paratum

tum cor meum, * *præ desiderio salutis humanæ*: cantabo, *voce gratias agendo*, et psalmum dicam, *digna actione te Deum Patrem laudando.*

Exurge *potenter*, gloria mea, *caro mea glorificata*: exurge, *inquam*, *caro*, *quæ fuisti* psalterium *divina operans*, et cithara * *humana patiens*: exurgam *certe* diluculo, *mane*, *prima sabbati.* [*Joan.* 2. 22.]

Confitebor tibi *postquam resurrexero*, *prædicando per meos* in populis *laudes tuas*, Domine * *Deus Pater*: & psalmum dicam tibi, *ut tu*, *Pater*, *glorificeris* in gentibus.

Quoniam magnificata & *prædicata* est *per orbem terrarum* usque ad cœlos *beneficentia* & misericordia tua, * *quam promisisti per Christum*; et usque ad nubes *tonat præceptis*, *coruscat miraculis*, *pluit doctrinis* veritas tua *divina.*

Exaltare, *per gloriosam ascensionem*, super cœlos *Angelorum*, Deus * *noster*; et super omnem terram *semper sit* gloria & *magnificentia* tua; *ut sis*, *Deus*, *omnia in omnibus.*

ORATIO.

Deus, cui proprium eſt præſtare miſericordiam iis qui in te confidentiam habent: ab æſtu perſecutionum & vitiorum protege nos ſub umbra alarum tuarum, quæ ſunt miſericordia & veritas; donec tranſeat iniquitas impiorum, & eruamur à nequiſsimis inſidiatorum foveis, & laqueis diaboli: ut ſic, mala ſuſtinendo temporalia, æterna bona ſperemus; donec ad te, qui CHRISTUS es, pervenire valeamus. Amen.

PSALMUS LVII. [*ſec. Hebr. LVIII.*]

In finem *verum & optatum*, ne diſperdas *aut contradicas verbo vel facto ipſi* David, *qui Chriſtus eſt*, in tituli *crucis* inſcriptione *facta à Pilato*.

SI verè, *& non falsè*, utique *& certè* juſtitiam *in verbis* loquimini; * *in factis tunc* recta judicate, *diſcernendo bonum à malo*, *vos qui eſtis* filii hominum.

Etenim, in corde *quas cogitaſtis*, iniquitates *illas* operamini: * in terra *vos terreni & animales* injuſtitias *varias*

rias manus veſtræ, *fraudatis proximis*, concinnant, *congregant*, *& miſcent*, *peccata peccatis accumulando.*

Alienati ſunt peccatores *à veritate & juſtitia*, *à Deo*, *& bono*; à vulva, *ab ipſa conceptione*: erraverunt ab utero * *matris*, *&* loquuti ſunt falſa, *ſpernendo veritatem.*

Furor *eſt* illis, *præ invidia*, ſecundum ſimilitudinem *furoris* ſerpentis, * *præ deſiderio mordendi & nocendi*; ſicut *eſt ira* aſpidis ſurdæ *venenum effundentis*, et obturantis aures ſuas, *ne percipiant veritatem.*

Quæ *aſpis* non exaudiet *neque percipiet* vocem incantantium, * *immò contemnit*; et *verba* venefici *alicujus* incantantis *mentes hominum obſtinatorum*, ſapienter, *ut convertantur à ſuis erroribus.*

Deus conteret *comminuendo* dentes eorum *& verba doloſa* in ore ipſorum,* *quo blaſphemias protulerunt*: *&* molas *atque maxillas*, *minaſque* leonum *& ferocium Judæorum* confringet Dominus *in ſua reſurrectione.*

Ad nihilum *& contemtum* deve-

nient *Judæi*, tamquam aqua *citò* decurrens * *& non revertens*: *Dominus* intendit *in ira* arcum ſuum, *ut vulneret ſagittis timoris & judicii*, donec infirmentur *& ulterius non valeant nocere.*

Sicut cera *mollis*, quæ fluit *& liqueſcit à facie ignis*, *ſic impii* auferentur * *à facie Dei in extremo judicio*: ſupercécidit *eis* ignis *infernalis & æternus*, et non viderunt ſolem *juſtitiæ & verum lumen divinum.*

Priuſquam intelligerent *& producerent* ſpinæ veſtræ *& punctiones malæ conſcientiæ* rhamnum * *& rubum acutum* (*quippe, ſpinarum more, peccata primò delectant, poſtea pungunt*): ſicut *ſunt* viventes *in proſperitate*, ſic in ira *divina ſubitò* abſorbet *& aufert* eos *de medio.*

Lætabitur juſtus *zelo divinæ juſtitiæ*, cùm viderit *impiorum* vindictam * *& punitionem*: manus ſuas, *opera & actiones*, lavabit *à peccatis*, *ut mundior & juſtior fiat* in ſanguine peccatoris, *ex conſideratione vindictæ & pœnæ reproborum.*

Et dicet homo, *poſt judicatum impium*:

pium : Si utique *pro meritis* eſt fructus *&* *merces* juſto, * *de bonis ſuis operibus*? utique eſt Deus, *juſtè* judicans, *&* *retribuens* eos *malos hìc* in terra, *ubi florere videntur.*

ORATIO.

Da, quæſumus, Domine, ut rectè judicemus noſmetipſos; ne, à via veritatis & juſtitiæ aberrantes, manus noſtræ injuſtitias concinnent, peccata peccatis cumulando. Sed, noſtrorum ſpinis facinorum afflicti, aurem non obturantes præceptis tuis; te ſolem juſtitiæ & verum lumen ſequamur. Per Dominum noſtrum JESUM CHRISTUM.

PSALMUS LVIII. [*ſec. Hebr. LIX.*]

In finem *Chriſtum Pſalmus hic eſt*, ne *tu*, *Judæe*, corrumpas *quovis modo* David, *hoc eſt Chriſtum*, in tituli inſcriptione, *dicendo ipſum non eſſe regem Judæorum*, et *hoc* quando miſit Saul *&* *concilium Judæorum*, et cuſtodivit domum ejus *&* *ſepulcrum Chriſti*, ut interficeret *&* *exſtingueret* eum, *nomen videlicet & famam ejus.* [1. Regum 19.]

ERipe *&* *libera* me *innocentem* de inimicis meis *Judæis*, Deus, *pater* meus: * et ab insurgentibus *&* *insultantibus*, *per blasphemias*, in me *filium tuum salva* *&* libera me.

Eripe me de *Judæis* operantibus iniquitatem, * *colaphizantibus* *&* *flagellantibus me*: et de viris sanguinum (*qui clamabant*: Crucifige) salva *&* *libera* me.

Quia ecce ceperunt *insidiosè* animam *&* *vitam* meam * *corporalem*: irruerunt *cum impetu*, *sine omni ratione*, in me *humilem* fortes *Judæi*, *ut me morti traderent*.

Neque iniquitas mea *fuit in causa*, neque peccatum meum, *quare me persequerentur*, Domine * Deus: *quoniam* sine iniquitate, *purè*, *&* *innocenter* cucurri *viam hujus mundi*, et direxi *ad rectum finem*, *verbo prædicationis* *&* *exemplo vitæ*.

Exurge, Deus Pater, in occursum meum, *ut suscipias me resurgentem* *&* *ascendentem*; et vide * *quanta contra me malignantur*: et tu, Domine, *potes*

hoc

hoc facere, *quia tu es* Deus virtutum *cœlestium*, & Deus Israël *omnipotens*.

Intende & *expergíscere* ad visitandas *in cordibus eorum* omnes gentes * *per gratiam*, *ne progrediantur in malitia*: non miserearis omnibus *prævaricatoribus* qui, *ex certa malitia & obstinata mente*, operantur iniquitatem *perseveranter*.

Convertentur *tandem gentes ad fidem*, & *hoc* ad vesperam *mundi*, *in sexta ætate*; et famem *verbi Dei* patientur, ut canes * *famelici*; et circuibunt civitatem, *sanctam Ecclesiam atque credentium multitudinem*, *ut audiant verum*.

Ecce *ipsi*, *conversi ad fidem*, loquentur *prædicando* in ore suo *liberè cum auctoritate*; et gladius *Sancti Spiritus*, *quod est verbum Dei*, in labiis eorum * *erit*: quoniam quis audivit *umquam talia*?

Et tu, Domine *Deus*, deridebis *aspernando* eos * *qui veritatem audire noluerunt*, & ad nihilum deduces & *conculcabis* omnes gentes *remanentes in sua perfidia*.

For-

Fortitudinem *&* *potentiam* meam ad te, *Deus Pater*, custodiam *secundum dispositionem tuam*: *&* *meritò*, quia *tu*, Deus, susceptor meus es * *per resurrectionem*, *&* Deus *Pater* meus *es*; *insuper* misericordia ejus *Patris* præveniet me, *qui plenus sum gratia &* *veritate paterna.*

Deus *Pater* ostendit mihi *quid agendum foret* super inimicos meos *Judæos*, *quia pro eis orandum* ne occídas eos * *delendo omnino*: nequando obliviscantur populi *Christiani* mei, *&* *passionis meæ*, *quia Judæi sunt memoriale passionis Christi.*

Disperge illos *Judæos per omnia regna mundi*, in virtute *&* *potentia* tua * *divina*: et depone *atque deprime* eos *à tumore superbiæ*, protector meus, Domine *Deus Pater.*

Delictum *&* *peccatum* oris eorum *depone*; *&* sermonem *falsum* labiorum ipsorum, * *mortem meam coram Pilato postulantium*, *tolle*: et *ergo* comprehendantur *ipsi perfidi* in superbia sua, *quando exsultant in rebus pessimis.*

Et, *postquam confusi fuerint* de exe-

cra-

cratione, *blaſphemia*, et mendacio; *tunc* annuntiabuntur *& redarguentur ab Apoſtolis*, in conſummatione, * *ad internectionem* : in ira *divina* conſummationis, et non erunt *amplius*.

Et *ipſi Judæi tunc* ſcient quia Deus *Chriſtus*, *quem occiderunt*, dominabitur Jacob, * *quia princeps eſt verorum Iſraëlitarum*; et finium terræ, *qui eſt creator omnium*.

Convertentur *Judæi plenariè* ad veſperam, *in fine mundi* : et, *eſuriendo ac ſitiendo juſtitiam*, famem patientur *verbi Dei*, ut canes * *famelici*; et circuibunt civitatem *Dei & Eccleſiam ſanctorum*, *ut audiant Euangelium*.

Ipſi, *converſi*, diſpergentur *per mundum* ad manducandum, * *quærentes cibum verbi Dei* : ſi verò non fuerint ſaturati *pane cœleſti*, et murmurabunt *tamquam jejuni*.

Ego autem *non murmurabo*, *ſed* cantabo *& prædicabo* fortitudinem *& potentiam* tuam, * *qua juſtificas impium*; et exultabo *atque celebrabo*, *non ad veſperam*, *ſed* mane, *ſatis maturè*, miſericordiam tuam, *non opera mea*.

Quia

Quia *in præsenti vita* factus es *in ipsa tribulatione* susceptor meus,* *ab instantibus periculis*; et refugium meum *unicum*, in die tribulationis *& angustiæ* meæ.

Adjutor meus, *cooperator in bonis*, tibi psallam *accepta ferendo quæ, te auxiliante, gessi*; quia *tu*, Deus, susceptor meus es, * *nunc ad gratiam, & tandem ad gloriam*: Deus meus, *qui me creasti, &* misericordia mea, *qui me salvasti: quidquid enim sum, tua misericordia sum.*

ORATIO.

Deus, misericordia nostra, protector & refugium nostrum: eripe nos de inimicis nostris, tam visibilibus, quàm invisibilibus: exsurge in occursum nostrum, & adjuva ut faciamus quæ præcipis, & impleamus quod expedit; quatenus, tuo adjutorio muniti, & misericordia adjuti, mereamur post hujus vitæ exsilium ad tuæ beatitudinis gloriam pervenire. Per Dominum nostrum JESUM.

PSALMUS LIX. [*sec. Hebr. LX.*]

In finem *Christum*, pro iis *electis* qui commutabuntur *ad Deum*, *veteri*

er-

errore deposito, in tituli *crucis* inscriptione, *credendo Christum regem Judæorum*; Psalmus David *Prophetæ*, in doctrinam *electorum*, cùm succendit Syriam Mesopotamiæ, et Syriam Soba, et convertit Joab, et percussit Idumæam in valle Salinarum duodecim millia. *Oratio, pro misericordia Dei imploranda.* [1. *Reg.* 8. 1. *&* 10. 7. *&* 1. *Par.* 18. 1.]

DEus, *propter peccata nostra* repulisti nos *à te*, et destruxisti nos * *atque confregisti*: iratus es, *nos flagellando*; et *tamen* misertus es nobis, *ut reverteremur ad te per pœnitentiam.*

Commovisti, *per timorem futuri judicii*, terram *& corpora nostra terrena*; et conturbasti eam, * *per pœnitentiam*: sana *ergo per tuam gratiam* contritiones ejus, *& redde illi te placatum*, quia commota est *in conscientia per pœnitentiam.*

Ostendisti *in Sacra Scriptura* populo tuo *electo* dura, * *pœnalia, peccatis debita*: potasti nos *per multas tribula-*

tio-

tiones vino compunctionis, *mœroris, & tribulationis; miscendo dulcia amaris, & dolores consolationibus.*

Dedisti metuentibus *& timentibus* te *filiali amore* significationem; * ut, *exercitati tribulationibus*, fugiant *& subtrahant se* à facie *& præsentia* arcus *& justitiæ tuæ, quæ extenta est ad percutiendum peccatores.*

Ut liberentur dilecti tui, * *à servitute diaboli, ab omni pœna & miseria: & ergo* salvum *me* fac, *ut inveniar in* dextera tua *cum ovibus, & non in sinistra cum hœdis*; et exaudi me, *deprecantem pro salute mea.*

Deus *Pater* locutus est *verbum* in sancto suo * *filio, qui est sanctus sanctorum.* Lætabor *mente*, et partibor *atque dividam* Sichimam *per tribus*; et convallem tabernaculorum, *ubi Abrahæ facta est repromissio*, metibor, *cùm alii credent, alii non.*

Meus est Galaad, *terra hæc*: et meus est Manasses, * *tribus illa*: et Ephraim *eligam, ut sit* fortitudo capitis mei.

Juda *erit* rex *& legifer* meus, * *quia de*

de Juda nascetur Christus salvator: Moab, *Arabes & Moabitæ sunt* olla spei meæ; *quia juxta arbitrium meum, ut ollâ, illis utor.*

In Idumæam, *filios Esau*, extendam *atque projiciam* calceamentum meum, * *illos suppeditando per Euangelium*: mihi alienigenæ, *gentes*, subditi sunt *& obedient per fidem.*

Quis deducet me *atque nomen meum* in civitatem munitam, * *ad populum vallatum peccatis*? quis deducet *& diriget* me usque in Idumæam, *ad gentem infidelem & peccatricem*?

Nonne tu Deus? (*certe nullus alius*), qui repulisti nos * *periculis*, *& sinens tribulari*: et non egredieris *neque exibis*, Deus, *nobiscum* in virtutibus nostris, *sed in tua virtute & majestate, ad protegendum nos.*

Da nobis *hìc peregrinantibus* auxilium, *quo liberemur* de tribulatione * *nostra*: quia *sine te* vana *est & inanis* salus hominis, *quia sine gratia tua non salvabimur.*

In Deo, *non in viribus nostris*, faciemus *& constituemus* virtutem * *contra*

tra hostes : et ipse *conculcando* ad nihilum deducet *inimicos* tribulantes nos.

ORATIO.

Omnipotens Deus, ne repellas nos propter peccata nostra : ne irascaris, sed miserere nobis : salva & libera nos à potestate diaboli. In te est omnis spes, virtus, & gloria nostra. Unde ad nihilum redige, tam vitia quæ nos tribulant, quàm inimicos qui nos impugnant; ut tandem æterna felicitate, te largiente, perfrui mereamur. Per Christum &c.

PSALMUS LX. [*sec. Hebr. LXI.*]

In finem (*finis enim legis, Christus est in salutem omni credenti*) *habitus* in hymnis *& laudibus*, Psalmus *est* David *exhortantis omnes ad Christi laudem.*

EXaudi, *Domine* Deus, *auribus clementiæ* deprecationem meam, * *mala avertendo*; *&* intende *oculis misericordiæ* orationi meæ, *bona conferendo.*

A finibus *extremis* terræ, *ex quibus collecta est Ecclesia*, ad te clamavi * *in tem-*

tempore angustiæ : dum anxiaretur *in hac peregrinatione* cor meum , *inter pressuras & vitia hujus sæculi* ; in petra, *in Christo & fidei soliditate* , exaltasti *& fundasti* me , *in qua omnis ædificatus est Christianus.*

Deduxisti me *ad te per viam veritatis & vitæ* ; quia factus es *sola* spes mea , * *&* turris fortitudinis , *atque munitio inexpugnabilis* , à facie , *præsentia* , *& impugnatione* inimici *visibilis*, *& invisibilis.*

Inhabitabo *in unitate fidei* in tabernaculo tuo *& Ecclesia catholica* , in sæcula , * *usque ad finem mundi* : *&* protegar *contra æstus vitiorum* , in velamento *& munimine* alarum tuarum *misericordiæ & potentiæ.*

Quoniam tu , Deus meus , exaudisti *justam* orationem meam , * *& desideria cordis mei* : *unde* dedisti hereditatem *futuri sæculi* timentibus *salutare* nomen tuum , *quod JESUS est.*

Dies *æternos* , super dies *temporales* regis *nostri Christi in quibus Ecclesia jam regnat* , adjicies : * *etiam appones* annos ejus *æternales* ; usque in diem ge-

nerationis *hujus vitæ temporalis*, et generationis *futuræ æternæ*: *quia per omnia sæcula durabunt.*

Permanet , *habitat* , *& assistit* in æternum *advocatus noster Christus* in conspectu *& præsentia* Dei * *Patris*: *ergo* misericordiam *ejus qua in præsenti peccata dimittit*, et veritatem ejus *qua in futuro promissa reddit*, quis requiret *frustrà*? *certe nullus. Petite enim, & dabitur vobis.*

Sic psalmum dicam *de gratia & veritate* nomini tuo *divino*, *in æternum &* in sæculum sæculi, * *quoad durabit mundus*; ut *in præsenti* reddam *& satisfaciam* vota mea *quæ promisi in baptismo*, de die in diem, *indesinenter & quotidie.*

ORATIO.

Exaudi deprecationem nostram, spes nostra, misericordissime consolator, Deus, & deducas nos per viam veritatis & vitæ in velamento alarum tuarum. Et esto nobis ceu turris fortitudinis atque munitio inexpugnabilis, à facie & impugnatione inimici, tum visibilis, tum invisibilis; ut tandem consequi mereamur hereditatem fu-

futuri sæculi, & tabernacula inhabitare æterna. Per Christum &c.

PSALMUS LXI. [*sec. Hebr.* LXII.]

In finem *& Christum Dominum, qui est finis ad quem tendimus*, pro Idithun *& pro transiliente voluptates hujus mundi*, Psalmus *est* David *calcantis caduca, & adspirantis ad æterna.*

NOnne Deo *vero* subjecta *obediendo* erit *perseveranter* anima mea, * *ei fideliter serviens*? ab ipso enim *& per ipsum est* salutare meum, *salus & salvatio in corpore & in anima.*

Nam et ipse *Christus est* Deus meus *qui me creavit*, et salutaris meus * *qui me redemit, &* susceptor meus *ut transiliam de mundo ad eum: & ideo* non movebor *à bono proposito* amplius, *tali adjutorio munitus.*

Quousque *vos, impii*, irruitis *& impetum facitis* in hominem * *innocentem, persequendo eum*? interficitis *per peccatum* universi vos *ipsos in anima*? *quia irruitis incumbentes ei*, tamquam

parieti inclinato *ad ruinam*, et maceriæ *inveteratæ atque* depulsæ *à suo cæmento?*

Verumtamen *impii, licèt repugno,* pretium *omne* meum *& bonum opus, quo emo vitam æternam*, cogitaverunt *insidiosè* repellere *& auferre à me : unde* cucurri in siti * *ad Deum, fontem vivum quem sitiebat anima mea. Sed ipsi, hoc impedire volentes, vanitatem suggerendo*, ore suo benedicebant ; *sed* et *in* corde suo, *veritati contradicentes*, maledicebant.

Verumtamen, *quantumcumque impugnent impii*, Deo subjecta *& obediens* esto, anima mea: * *& nolo vacillare adversitatibus, aut moveri blanditiis*, quoniam ab ipso *Deo stat* patientia mea, *cujus amore patior omnia adversa.*

Quia ipse *est Dominus* Deus meus *qui vocavit me ad fidem*, et salvator meus * *qui me redemit & justificat, &* adjutor meus *ad bene operandum : & ideo* non emigrabo *nec separabor à Deo meo.*

In Deo *est ipsum* salutare meum, *tota*

tota fiducia & ſalus mea, et gloria mea: * *in nulla enim re glorior niſi in Deo. Etiam ipſe eſt* Deus auxilii mei, *in omni infirmitate*: et ſpes mea *de vita æterna adipiſcenda* in Deo eſt, *qui mihi eſt ſcopus unicus.*

Sperate *firmiter* in eo *qui ſolus poteſt ſalvare*, omnis congregatio populi *fidelis*; *&* effundite *aperto pectore* coram illo corda veſtra,* *per confeſsionem: quoniam* Deus *eſt* adjutor noſter, *non deſerens nos* in æternum.

Verumtamen *hoc non attendunt*, *ſed ſunt* vani *& dediti vanitatibus*, filii hominum, *ſperantes in rebus caducis: ſunt etiam* mendaces *& fallaces* filii hominum *Adæ & Evæ* in ſtateris * *& deliberatione boni & mali*; ut decipiant ipſi, *alios* de vanitate in idipſum *vanitatis ducentes*: *quia inter ſe invicem*, *& unuſquiſque alium.*

Nolite ſperare *in malitia*, in iniquitate, *mendacio*, *aut dolo*; et rapinas *violentas* nolite concupiſcere, * *auferendo aliena*: *&* divitiæ *ipſæ* ſi affluant *abundanter*, nolite *tamen* cor apponere, *in eis confidendo*, *præſumen-*

do , & ſuperbiendo.

Semel *immutabile verbum* locutus eſt Deus , *qui non repetit nec revocat quidquam.* Duo hæc *certiſsima* audivi *& didici* : quia poteſtas *& abſoluta juſtitia* Dei eſt *ad puniendum malos* , et tibi , Domine *Deus* , *eſt* miſericordia * *ad præmiandum pluſquam merita requirunt* : quia tu reddes unicuique , *tam bonis , quàm malis* , juxta opera ſua *quæ egerunt. Poteſtas ergo timeatur , & miſericordia ametur.* [*Matth.* 16. 27. *Rom.* 2. 6. 1. *Cor.* 3. 8. *Gal.* 6. 5.]

ORATIO.

Da , quæſumus , Domine , qui es unica ſalus , ſpes , & gloria noſtra , ne vacillemus in adverſitatibus , ne emigremus à te in tribulationibus. Sed ſubjecta ſemper ſit anima præceptis tuis ; & , renuentes incerta divitiarum oblectamenta , te ſolum , contemta omni mundi vanitate , ſequamur. Per Dominum noſtrum JESUM CHRISTUM filium tuum.

PSALMUS LXII. [*ſec. Hebr.* LXIII.]

Pſalmus *iſte eſt ipſius* David *& cujus-*

juslibet justi, cùm esset *& dum moraretur* in deserto Idumææ *& solitudine hujus mundi.* [1. Regum 22. 5.]

DEus *omnium per creationem, etiam es* Deus meus * *per desiderium sanctum* : ad te *promerendum*, de luce *tuæ gratiæ* vigilo, *ut bene operari incipiam.*

Sitivit *aquas vitæ*, in te *fonte omnis boni*, anima mea * *per se arida* : *&* quàm multipliciter, *ob varios defectus egestatis, sitis, famis, tribulationis, sitivit etiam* tibi *ad laudem tuam* caro mea, *volens liberari, & deponere mortalitatem.*

In terra *hac mundiali*, deserta, *sterili* et invia, *non habente viam veritatis*, et inaquosa * *sine fructu bonorum operum*, sic *mecum affectus* in sancto *desiderio* apparui tibi; ut, *tua luce illustratus*, viderem *& cognoscerem* virtutem *& misericordiam* tuam *in hoc sæculo*, et gloriam tuam *in futuro.*

Quoniam *multò* melior *& eligibilior* est misericordia tua *divina*, super vitas; * *quia per vitas, quantumvis*

bonas, non pervenitur ad cœlum, nisi adsit misericordia: unde labia mea, *pro beneficiis ex tua misericordia exhibitis*, laudabunt te, *gratias agendo.*

Sic benedicam te *perfectè* in *tota* vita mea, * *nihil mihi arrogando: sed* et in nomine tuo *atque ad gloriam nominis tui* levabo *puras* manus meas, *ad bene operandum.*

Sicut adipe *in visceribus*, et pinguedine *in carne*, *repletur corpus; ita* repleatur *& vegetetur* anima mea * *gratiâ & dulcedine spiritus*: et, labiis exultationis, *de tantis beneficiis* laudabit *nomen sanctum tuum* os meum.

Si memor fui tui, *te laudando*, super stratum meum *& in quiete prosperitatis; sic etiam* in matutinis, *in luce gratiæ mihi illucescente*, meditabor in te * *de tantis beneficiis*: quia fuisti *semper* adjutor meus, *& sine te bona facere non potui.*

Et in velamento *& protectione* alarum tuarum, *quæ sunt defensio in malis, & directio in bonis*, exultabo *& hilarescam*: adhæsit *ferventi desiderio* anima mea *sitiens, & cucurrit* post te *
&

& tuam gratiam : *& ideo* me ſuſcepit *in ſua protectione* dextera *& propitiatio* tua *divina*.

Ipſi verò *inimici* in vanum *& fruſtra* quæſierunt animam *& vitam* meam *perdere* : *& ergo tandem* introibunt *& deſcendent* in inferiora terræ * *& carcerem infernalem* ; *ubi* tradentur *perpetuò* in manus gladii *& tormentorum*, *&* partes vulpium *ſeu callidorum dæmonum* erunt, *in damnatione ſortem ipſorum accepturi*.

Rex verò *Chriſtus*, *qui eſt rex regum*, lætabitur in Deo *Patre*, *quando cum ipſo ejus erunt membra* : laudabuntur omnes *Chriſtiani*, qui *in baptiſmo* jurant in eo * *promittentes ſervare mandata* ; quia obſtructum eſt *& obſtruetur*, *confundetur & convincetur* os loquentium *mendacia &* iniqua *blaſphematoria*.

ORATIO.

Omnipotens Deus, auctor lucis æternæ : lumen largire perpetuum ad te de luce vigilantibus in hoc arido deſerto mundi. Semper ſitiat anima noſtra te fontem vitæ, & ſuſcipiat nos ſub protectione

ne alarum tuarum misericordia tua; ut te laudent labia nostra, vita benedicat, & opera glorificent. Amen.

PSALMUS LXIII. [*sec. Hebr. LXIV.*]

In finem *Christum* Psalmus *est* David *Prophetæ*, *ubi agitur de passione & resurrectione Christi.*

EXaudi, Deus *Pater*, orationem meam *justam*, cùm deprecor * *affectuosè*: à timore inimici, *qui vitæ meæ insidiatur*, eripe & *salva* animam meam, & *transeat à me calix iste.*

Protexisti me, *Deus Pater*, à conventu & *consilio Judæorum* malignantium, * *atque machinantium contra me malum*: à multitudine *etiam insidiosa* operantium *in me* iniquitatem & *crucifixionem.*

Quia exacuerunt *ad occidendum*, ut gladium, linguas suas, * *clamantes: Crucifige eum.* Intenderunt arcum, *insidias*, & *dolos*, rem amaram *valde*; ut sagittent & *interficiant* in occultis, *cautè & subdolè*, immaculatum & *innocentem Christum*, *qui solus fuit agnus*

sine

ſine macula peccati.

Subitò *conſiliati* ſagittabunt eum, *ut occídant quaſi neſcientem*, et non timebunt * *agere contra Deum neque contra conſcientiam*: firmaverunt *obſtinatione duriſsima* ſibi *in eorum perniciem* ſermonem nequam, *dum dixerunt*: *Reus eſt mortis.*

Narraverunt, *mutuò conſultantes, ut & qualiter* abſconderent laqueos, * *ut Chriſtum dolo tenerent & occiderent.* Dixerunt *& perſuaſerunt ſibi*: Quis *hominum* videbit eos, *aut deprehendet dolos eorum?*

Scrutati ſunt *Judæi* iniquitates, * *ut per falſos teſtes juſtum accuſarent*: defecerunt *ab intento ipſi* ſcrutantes *frequenti inquiſitione*, ſcrutinio *iniquo, & conſilio perverſo.*

Accedet *ſponte* homo *Chriſtus in paſsione* ad cor altum * *& ſecretum Dei conſilium, ut moriatur pro redemtione mundi*: et, *qui fuit humiliatus in paſsione*, exaltabitur *in reſurrectione verus* Deus *& homo.*

Sagittæ, *feſtucæ ex cannis*, parvulorum *ludentium*, *quæ nihil nocent*, *ita* fa-

factæ ſunt plagæ eorum * *quas Chriſto intulerant , dum viderunt ipſum reſurrexiſſe* : et infirmatæ ſunt *in verecundiam* contra eos *Judæos* linguæ eorum *maledicæ , quia nec verbo poterant nocere.*

Conturbati ſunt *ad pœnitentiam* omnes *homines* qui videbant *& intelligebant* eos * *Judæos confuſos* : et timuit, *conſideratâ Dei poteſtate* , omnis homo, *poſt reſurrectionem.*

Et annuntiaverunt *aliis prædicando* opera *& miracula* Dei , * *incarnationis myſteria , & gloriam reſurrectionis* : et facta ejus *non fuiſſe purè humana* intellexerunt , *ſed divina.*

Lætabitur *ergo* juſtus , *per Chriſtum redemtus* , in Domino , *pro gloria Dei*; et ſperabit , *certâ fiduciâ* in eo , * *vitam æternam* : et laudabuntur *ab ipſa veritate* omnes recti corde , *qui rectè credunt & bene vivunt.*

ORATIO.

Spes omnium in te credentium , Deus, eripe nos de manu inimici viſibilis , & inviſibilis : & protege à conventu malignantium,

cium, qui occultis jaculis nos impugnare conantur. Atque, recto corde tibi servientes, in te lætemur, tibique per omnia placeamus. Per Christum &c.

PSALMUS LXIV. [*sec. Hebr. LXV.*]

In finem & *Christum nos dirigens* Psalmus *iste est* David *Prophetæ*, & *canticum seu jubilus ejus. Laus Dei*, & *multiplex beneficium acceptum* & *accipiendum, enarratur.*

TE *creatorem* & *redemtorem* decet *ac convenit* hymnus *gratiarum*, Deus, *qui* in Sion * & *Ecclesia præsenti cóleris*: et tibi *de bonis operibus* reddetur *perfectè totum* votum & *desiderium nostrum* in Jerusalem, *in visione pacis* & *patria cœlesti.*

Exaudi, *Domine Deus meus*, orationem meam; * *ut, quod tibi promisi in baptismo, persolvere possim*: *quia* ad te *Deum*, *judicem*, & *ante tribunal tuum*, omnis caro & *omnis homo*, *sive bonus*, *sive malus*, veniet & *apparebit*, *ut referat unusquisque quod gessit.*

Verba *prima* iniquorum, *videlicet* *Evæ*

Evæ persuadentis, *&* *Adæ excusantis*, prævaluerunt super nos, * *cùm fuerunt causa exheredationis de paradiso*: et impietatibus *atque transgressionibus* nostris, *quantumlibet enormibus*, tu propitiaberis, *dando veniam & locum pœnitentiæ iis quos proprio sanguine mercatus es.*

Beatus *& felix est ille* quem elegisti *per tuam gratiam de mundo*, et assumsisti * *in sorte sanctorum tuorum*: *quia* inhabitabit *æternaliter* in atriis tuis *cœlestibus, ubi erit plenitudo omnium bonorum.*

Replebimur *usque ad summum* in bonis *æternis* domus tuæ * *cœlestis*, *cùm apparuerit gloria tua* : sanctum est templum tuum *cœlestis gloriæ*, *siquidem in illo habitant sancti* : mirabile *etiam est* in æquitate *& æqualitate participationis gaudii.*

Exaudi nos *peccatores peregrinantes*, Deus, *qui es* salutaris *& salvator* noster, * *sine cujus auxilio nihil possumus*: spes *unica* omnium finium terræ, *etiam* et *eorum qui sunt* in mari *atque insulis ejus* longè *distantibus.*

Præ-

Præparans *Apoſtolos*, *ſicut* montes *habentes fortitudinem fidei & altitudinem ſanctitatis*, in virtute tua *& magnitudine miraculorum*; accinctus potentiâ * *magnâ divinitatis*: qui conturbas *ad pœnitentiam* profundum maris, *ſeu cor impium profundè merſum in mari hujus ſæculi*; *atque* ſonum *mendacem* fluctuum *& principum* ejus, *qui contradicere volunt veritati.*

Turbabuntur *voce Apoſtolica* gentes *ad pœnitentiam*; et timebunt *Deum, de communi populo*, *multi* qui habitant *per* terminos *orbis*, à ſignis *& prodigiis* tuis * *viſis*: exitus matutini, *hoc eſt orientem*; et veſpere, *videlicet occidentem*, delectabis, *ad confeſsionem Dei veri perducendo.*

Viſitaſti terram *tuo adventu*, et inebriaſti *aquis doctrinæ Euangelicæ* eam * *prædicatione Apoſtolorum*: multiplicaſti *variis donis ſpiritualibus* locupletare *& ditare* eam, *quia docuiſti homines omnem veritatem.*

Flumen Dei, *qui eſt populus fidelis*, repletum eſt *à fonte ſuo* aquis, *donis, & gratiis Spiritus Sancti*: paraſti, *in*

com-

communione corporis & ſanguinis tui, cibum illorum * *fidelium*; quoniam ita *per te* eſt præparatio ejus *cibi in eſcam ſalutarem*.

Rivos ejus *in fide fluentes* inebria, *& donis Spiritus Sancti* multiplica, *ut à te fonte deriventur per orbem* genimina *& generationes* ejus * *ad fidem converſæ*: *quia* in ſtillicidiis ejus *& guttis doctrinæ tenuis* lætabitur *ſpiritualiter* germinans *incipienſque neophytus in fide, qui guttis doctrinarum paſcitur*.

Benedices *multitudini credentium*, coronæ (*inquam*), *acquiſitæ de mundi circulo*, anni *gratiæ &* benignitatis tuæ, * *qui ſunt anni redemtionis noſtræ*: et campi tui *atque juſti, qui ſuſcipiunt ſemen verbi Dei & pluviam gratiæ ſpiritualis*, replebuntur ubertate *& affluentia bonorum operum*.

Pingueſcent *etiam dulcedine gratiæ* ſpecioſa deſerti, * *qui ſunt peccatores olim ſteriles, ex quibus nihil ſperabatur boni*: et exultatione *ſpirituali* colles *atque ardua loca* accingentur, *quia pulcherrimè fructificabunt*.

Induti ſunt *ſtola jucunditatis, gau-*
den-

dentes de fructibus prædicationis eorum, arietes ovium *&* *duces animarum*; et valles *atque humiles credentes* abundabunt frumento * *& fruge bonorum operum*: clamabunt *jubilando*, etenim hymnum dicent *gratias agendo.*

ORATIO.

Exaudi nos, Deus salutaris noster, & iniquitatibus nostris propitiare; ut, erepti ab ariditate peccati, flumine misericordiæ tuæ copiosius irrigati, repleamur semper & saturemur in bonis gratiæ tuæ: ut tandem in sorte electorum tuorum hymnum dicamus exsultationis & laudis, per te, JESU CHRISTE salvator mundi, qui es benedictus in sæcula. Amen.

PSALMUS LXV. [*sec. Hebr.* LXVI.].

In finem *&* *in Christum*, canticum *gaudii &* Psalmus *agens de materia* resurrectionis *capitis*, *quæ præcessit*, *& corporis*, *quæ futura est.*

JUbilate Deo *ineffabili lætitia*, omnis *homo habitans in* terra *& Ecclesia sancta*: psalmum dicite *gratias*

agendo nomini ejus, * *quod* JESUS *est, in quo ſalvati eſtis; &* date gloriam, *non nobis, ſed* laudi ejus, *cui debetur omnis laus & gloria.*

Dicite Deo, *ad honorem ejus*: Quàm terribilia *& metuenda* ſunt opera tua *divina*, Domine * Deus, *quòd hunc reprobas, illum eligis*! in *tanta tamen* multitudine virtutis tuæ, *qua cuncta facis, diſponis, & inſtauras*, mentientur tibi, *non credendo potentiam tuam*, inimici tui, *increduli, & impii.*

Omnis terra *puro corde* adoret te, Deus, *tamquam ſuum creatorem*; et pſallat tibi, * *tamquam ſuo redemtori*: pſalmum dicat *in bona operatione* nomini tuo, *ut, quidquid boni fecerit, ad gloriam nominis tui referat.*

Venite *omnes habitatores terræ*, et videte *diligenter conſiderando* opera Dei * *valde metuenda, quòd unus reprobatur, & alter eligitur*: terribilis *eſt* Deus in conſiliis *ſuis, quæ inſcrutabilia ſunt*, ſuper filios hominum; *dum unum ex miſericordia ſalvat, alium ex juſtitia damnat.*

Qui convertit mare *hoc magnum &*

sæculum, *ubi multi submerguntur*, in aridam; *ut sicco pede electi transeant pericula mundi* : in flumine *& fluxibilitate hujus vitæ*, *ipsi* pertransibunt *delectationes rerum sicco* pede, * *sine offensa & periculo* : *& tunc* ibi lætabimur, *quando pervenerimus ad portum felicitatis æternæ*, in ipso *Christo salvatore nostro.*

Qui dominatur *omnibus*, *& hoc* in virtute sua *propria*, in æternum ; *non temporaliter*, *quia potestas ejus est æterna* : oculi ejus *misericordiæ* super gentes *salvandas* respiciunt, * *ut illuminentur* : *sed* qui exasperant *Deum in iram provocando*, non exaltentur, *sed potius deprimentur* in semetipsis, *& semper surdescent magis.*

Benedicite, gentes, *pro magnis beneficiis*, Deum nostrum, * *illi gratias referendo* : et auditam facite *atque palam euangelizate* vocem laudis ejus, *qua gratiam mundo exhibuit.*

Qui posuit *& reduxit*, *per suam gratiam*, animam meam, *quæ in peccatis mortua fuerat*, ad vitam, * *eam justificando* ; et non dedit *neque permisit* in

commotionem *& vacillationem* pedes *& affectus* meos, *sed perseverantiam* dedit *in bonis.*

Quoniam probasti *& exercitasti* nos, Deus, * *per adversitates plurimas, &* igne *tribulationum* nos examinasti, *ut mundares à sordibus concupiscentiæ*: sicut examinatur *& purgatur* argentum *per ignem à scrobibus; sic mortificasti carnem, & purificasti corda.*

Induxisti nos, *non deceptione, sed probatione,* in laqueum *pœnalitatis, quæ sunt infirmitas, paupertas, mortalitas:* posuisti tribulationes *varias* in dorso nostro, * *ut humiliaremur castigati omnibus*: *insuper* imposuisti homines *peccatores* super capita nostra, *ut de nobis sententias capitales ferre possent.*

Transivimus per ignem *adversitatis urentis*, et aquam * *prosperitatis corrumpentis, per varia scilicet mortis & peccatorum pericula*: et *tandem, neque combustos in igne adversitatis, neque submersos in aqua prosperitatis*, eduxisti nos *post angustias* in refrigerium *æternum & beatitudinem cœlestem.*

In-

Introibo *&* *ingrediar* in domum tuam *promtitudine ſpiritus*, in holocauſtis * *bonorum operum* : reddam tibi vota mea, quæ *ſponte* diſtinxerunt *&* *promiſerunt* labia mea *in affectu cordis*.

Et *etiam votum quod* locutum eſt os meum, * *tibi promittendo*, in tribulatione *&* *adverſitate* mea.

Holocauſta medullata, *me ipſum ſcilicet totum in anima & corpore*, offeram tibi *atque devovebo*, cum incenſo arietum * *& deſtructione motuum ſuperbiæ : etiam* offeram tibi *mactando* boves, *quibus terra aratur*, *& ſunt motus avaritiæ*; cum hircis, *fœtidis motibus luxuriæ*; *ſic vitia mactando*.

Venite *per fidem*, audite *per obedientiam* : et narrabo *vobis*, omnes qui timetis Deum, * *quibus prædicandum eſt verbum ejus*, quanta *beneficia* fecit *atque impenderit* animæ meæ, *quantis quoque donis me repleverit*.

Ad ipſum *Deum* ore meo *proprio* clamavi * *ex cordis devotione*, et exaltavi *mentis jubilo* ſub lingua mea *in eo quod protuli : quia non remordet conſcientia*.

Iniquitatem & *peccatum* ſi aſpexi, *per delectationem* in corde meo * *conſentiens*; non exaudiet *certe* Dominus, *qui peccatores non exaudit.*

Propterea, *quia non dilexi iniquitatem*, exaudivit *me orantem* Deus * *in bonis obtinendis*; et attendit *miſericors* voci deprecationis meæ *in malis amovendis.*

Benedictus *ſit* Deus * *pro beneficiis in æternum*, qui non amovit *neque deſpexit* orationem meam (*piæ enim aures ejus ſemper juſtorum precibus patent*); et *etiam* miſericordiam *atque benignitatem* ſuam *non abſtulit* à me *deprecante.*

ORATIO.

Supplices deprecamur, Domine, cui debetur omnis laus, gloria, & jubilatio, ut animas noſtras, peccatis mortuas, per tuam gratiam juſtificare & vivificare digneris; ut tibi efficiantur holocauſtum purum & ſuave; & ſic, mactatis vitiis, poſt hujus ſæculi anguſtias deducere digneris in refrigerium paradiſi, agminibuſque jungere ſanctorum.

PSAL-

PSALMUS LXVI. [*sec. Hebr. LXVII.*]

In finem *mittens nos & in Christum*, in hymnis *& laudibus Deo exhibendis*, Psalmus *est* cantici *humana voce modulandi*, *qui convenit* David *& cuilibet pœnitenti.*

DEus misereatur nostri, *peccata nobis remittendo*; et *postea* benedicat nobis, * *gratiam conferendo* : illuminet *atque manifestet* vultum suum, *ut fulgeat imago ejus & lumen rationis*, *secundum quam creati sumus ad imaginem Dei*, super nos *peccatores*; et misereatur nostri, *qui maledicti sumus per peccatum primorum parentum.*

Ut cognoscamus *hìc* in terra *peregrinationis nostræ* viam tuam, * *per quam eundum est ad te* ; in omnibus gentibus, *ut totus mundus agnoscat*, salutare tuum, *filium Jesum Christum, qui est salus omnium.*

Confiteantur tibi, *confessione peccatorum*, populi *ipsi*, Deus * *noster*, *se primò accusantes* : *deinde* confiteantur tibi, *confessione laudis*, populi *& na-*

tiones omnes, *te glorificantes.*

Lætentur *in anima*, et exultent *in corpore* gentes * *jam illuminatæ per Christum*; quoniam judicas, *sine acceptione personarum*, populos *atque nationes omnes* in æquitate, *reddendo unicuique secundum opera sua*; et gentes *in te credentes* in *hac* terra *peregrinationis* dirigis, *ut rectè vivant.*

Confiteantur tibi populi, Deus, *beneficium salutis à te recognoscendo*: confiteantur tibi populi omnes, * *laudando tuam divinitatem*: *quia* terra dedit *&* *produxit* fructum *&* *germen* suum, *florem de radice Jesse*, *&* *primogenitum omnis creaturæ.*

Benedicat nos, *gratiam conferendo in præsenti*, *&* *gloriam in futuro*, Deus *Pater*, *&* Deus noster *Filius*: benedicat nos Deus * *Spiritus Sanctus*: et metuant eum *qui est Unus in tribus Personis* omnes fines terræ, *fide sincera.*

ORATIO.

Illumina, quæsumus, Domine, vultum tuum super nos, & benedictionem perpetuam nobis largire: ut, confitentes te Trinum

num & Unum, in timore sancto lætemur, & exsultemus in salvatore nostro JESU CHRISTO; &, quem in humilitate carnis venisse cognovimus, ipsum venturum judicem super nos clementem sentiamus. Amen.

PSALMUS LXVII. [*sec. Hebr. LXVIII.*]

In finem *Christum* Psalmus *iste, qui est* cantici *& exsultationis, quia proponit nobis mysterium nostræ reparationis, est* David *Prophetæ.*

EXurgat *Christus* Deus *à mortuis, & glorificetur*: et dissipentur *per orbem terrarum* inimici ejus * *Judæi*; et fugiant *adversarii veritatis*, qui oderunt eum, *pertinaces in malitia*, à facie ejus, *cùm non possint sustinere impetum spiritus ejus.*

Sicut deficit *& evanescit* fumus, *ita à potestate & gloria sua* deficiant * *Judæi*: sicut fluit cera à facie ignis *quo dissolvitur & consumitur*, sic pereant peccatores *impii* à facie Dei *in judicio extremo.*

Et *è contra* justi epulentur *in æterno*

con-

convivio, et exultent *deliciis divinitatis* in conſpectu Dei, * *videndo ipſum facie ad faciem* ; et delectentur *in ſalvatore Chriſto*, in lætitia *magna*.

Cantate Deo, *vivendo ſecundum ejus mandata* ; & pſalmum dicite *puro animo* nomini ejus, * *opera omnia in gloriam ejus referendo* : iter facite ei, *corda veſtra purificando*, qui aſcendit *reſurgendo à mortuis* ſuper occaſum, *ut captivam ducat captivitatem* : Dominus *Deus, qui eſt idem cum Patre* ; nomen illi *JESUS eſt*.

Exultate *in interiori homine* in conſpectu ejus, * *conſiderando præmium futurum* : *impii* turbabuntur *in judicio extremo* à facie ejus *Chriſti*, patris *videlicet* orphanorum *innocentum*, et judicis *deſolatarum* viduarum.

Deus *eſt* in loco & *habitaculo* ſancto ſuo, * *quæ eſt anima fidelis, quam præparat ſibi per gratiam* : Deus *eſt* qui inhabitare facit *plures homines* unius moris & *voluntatis, quorum eſt cor unum & anima una*, in domo & *una Eccleſia militante*.

Qui educit *ad ſtatum gratiæ* vinctos

ctos *à diabolo in peccatis*, in fortitudine * *justificationis suæ*; similiter & eos *suscipit* qui exasperant, *provocando Deum ad iram, resistendo justitiæ; & etiam eos* qui habitant, *tamquam obstinati*, in sepulcris & *in fœda consuetudine peccandi, ceu sepulti in peccatis.*

Deus, cùm *olim* egredereris *ex Ægypto, domo servitutis*, in conspectu populi tui, * *in columna nubis per diem, & in columna ignis per noctem*; cùm pertransires *ducendo eos* in deserto, *usque ad montem Sinai*;

Terra mota est, *Deo descendente in monte Sinai*: etenim cœli *ipsi* distillaverunt *guttatim pluviam vel manna*, à facie & *præsentia* Dei, *qui in* Sinai * *dedit legem*; à facie, *inquam*, Dei Israël, *cujus erat populus Israël.*

Pluviam *doctrinæ & gratiæ tuæ* voluntariam, *gratis donatam, non meritis*, segregabis, Deus, *à Judæis, & dabis* hereditati & *Ecclesiæ* tuæ * *catholicæ, quam proprio sanguine acquisivisti*: et infirmata est *Ecclesia tua plerumque*, tu verò perfecisti & *consolidasti*

eam

eam *verbo tuo & ſpiritu. Infirmata eſt in ſe, ut perficiatur per te.*

Animalia tua & *oves paſcuæ tuæ* habitabunt *perſeveranter* in ea * *ſancta Eccleſia*: paraſti *gratiam tuam*, in dulcedine tua *caritatis*, pauperi & *humili ſpiritu*, Deus, *de ſe non præſumenti; ut eſt populus catholicus, qui delectatur ſolùm in dulcedine caritatis tuæ.*

Dominus *Deus noſter* dabit verbum *pacis & ſalutis* euangelizantibus * & *prædicantibus*, *in* virtute *miraculorum* multa, *quibus convertet gentes.*

Rex virtutum & *Angelorum ipſe & pater eſt* dilecti *filii ſui ſuper omnia, ſemperque* dilecti * *filii*: et *ipſe dilectus Chriſtus, ad decorem* ſpeciei domus *ſuæ Eccleſiæ militantis, diſpoſuit* dividere ſpolia, *populos ſcilicet à captivitate diaboli ereptos; ordinando in opus miniſterii, alios Apoſtolos, alios Prophetas, alios Doctores.*

Si *à ſtrepitu ſæculi* dormiatis *atque requieſcatis in præceptis Domini* inter medios cleros, *inter duo teſtamenta, animam paſcendo doctrinis; tunc* pennæ & *virtuoſæ operationes, quæ ſublevant*

ad

ad cœlos, *ipsius* columbæ *atque Ecclesiæ innocentis & simplicis sunt* deargentatæ, * *resplendentes divinis eloquiis*; et posteriora dorsi ejus, *ubi opera caritatis exercentur*, *sunt* in pallore auri *relucentia*.

Dum discernit *& ordinat* cœlestis *agricola Christus* reges, *doctores*, *rectores*, *prælatos* super eam *Ecclesiam*; *tunc* nive *in candore mentis* dealbabuntur *per remissionem peccatorum*, *& non meritis suis*, *sed* in Selmon * *monte*, *quod est in umbra gratiæ refrigerante ab æstu vitiorum*: *quippe* mons Dei, *quæ est Ecclesia*, *est* mons pinguis *& fertilis propter abundantiam gratiæ divinæ*.

Mons coagulatus *& congregatus ex simplicibus & humilibus*, *qui teneriori lacte doctrinæ foventur*, *est* mons pinguis * *propter gratiam*: ut quid *ergo vos* suspicamini *invidiosè in* montes coagulatos, *deridendo simplices*?

Mons *ille est* in quo *desideravit &* beneplacitum est Deo *nostro* habitare in eo, * *secundum gratiam suam*: etenim Dominus *Deus* habitabit *in suis electis usque* in finem *sæculi*.

Cur-

Currus Dei, *quem ille velut auriga moderatur & regit*, *est* decem millibus *ministrorum* multiplex, *quia ex infinita numerositate omnium credentium* millia *sunt* lætantium * *in spe & dulcedine donorum Dei*: *quia* Dominus *est* in eis *per gratiam*, *quia observant præcepta data* in Sina, in *monte* sancto.

Ascendisti, *Christe*, in altum, *super omnes cœlos, ad dexteram Patris*: cepisti *è manibus diaboli* captivitatem * *patrum, qui in limbo detinebantur*: accepisti *à Patre* dona *Spiritus Sancti, ad distribuendum illa* in hominibus, *illos docendo omnem veritatem*. [*Ephes*.4. 8.]

Etenim *gentes* non credentes * *in Christum docebit Spiritus* inhabitare *per caritatem* Dominum Deum, *ut Deus in ipsis, & ipsi in Deum vivant*.

Benedictus *sit à fidelibus* Dominus *creator*, die quotidie, * *per singulos dies & assiduè*: prosperum iter *atque salutiferum vitæ cursum* faciet nobis, *quia ipse est* Deus salutarium nostrorum: *ab ipso enim salvamur, hìc per gratiam, in futuro per gloriam*.

Deus, *inquam*, noster *Jesus Christus*

ſtus eſt Deus *verus habens poteſtatem* ſalvos faciendi * *nos, ex eo enim eſt ſalus hominum* : et Domini *noſtri*, Domini *Jeſu Chriſti, non alius fuit* exitus *ab hac vita quàm* mortis. *Ergo & nos mortem æquanimiter toleremus.*

Verumtamen Deus, *ſecundum ordinem ſuæ juſtitiæ*, confringet *& ad nihilum rediget* capita inimicorum ſuorum * *extollentium ſe adverſus doctrinam ejus : ſimiliter confringet atque evellet* verticem capilli *hominum* perambulantium *& obſtinatorum* in delictis *& peccatis* ſuis, *negligentium pœnitentiam.*

Dixit *& diſpoſuit* Dominus *ab æterno* : Ex Baſan, *de turpitudine hujus ſæculi*, convertam * *peccatores ad me, & etiam obſtinatos* : convertam *illos, inquam, qui demerſi ſunt* in profundum maris *& fluctibus vitiorum hujus ſæculi.*

Ut intingatur (*ita converſi proficient in tua gratia*) *ut, inquam, fiant* pes tuus, *volentes pro nomine tuo* in ſanguine * *martyrium pati* : *&* lingua canum *atque prædicatorum* tuorum, *qui*

la-

latratibus contra hostes vigilabunt, *prodibit* ex inimicis & *gentibus conversis ad fidem* : & *hoc erit* ab ipso *Deo* & *ejus gratia*, *non à se ipsis.*

Viderunt & *agnoverunt* ingressus tuos *quibus venisti in mundum*, Deus, * *qualiter incarnatus*, *qualiter occisus*, & *glorificatus* : ingressus, *inquam*, Dei mei *creatione*, & regis mei *gubernatione*, qui est & *manifestatur* in *Christo*, sancto *sanctorum.*

Prævenerunt *alios*, *in convertendo ad fidem*, principes *viri*, *Apostoli*, *quibus super Ecclesiam datus est principatus*; conjuncti *ipsis minoribus* psallentibus * *per omnia ad gloriam Dei*; in medio *virginum* juvencularum *prima ætate florentium*, *Deo consecratarum*, tympanistriarum, *Deum laudantium carne macerata* & *extensa instar tympani.*

In Ecclesiis & *magna frequentia vestra*, benedicite Deo *creatori* & Domino * *redemtori*, *omnes qui electi estis* de fontibus Israël, *videntes Deum in claritate perfecta.*

Ibi *inter principes Ecclesiæ est* Benjamin, *Paulus*, *qui fuit de tribu Benjamin*,

min adolescentulus, * *tamquam primipilaris*, *raptus* in *extasi &* mentis excessu *ad tertium cœlum.*

Principes *de tribu* Juda, *videlicet Apostoli*, *regis Christi*, *qui secundum carnem ex Juda processit*, *sunt* duces eorum * *populorum conversorum ad fidem*: principes *tribus* Zabulon *sunt antesignani in Ecclesia*: *etiam &* principes Nephthali: *quia eæ tribus in Galilæa sortes suas acceperunt*, *unde oriundi sunt Apostoli*, *& Galilæi vocati.*

Manda *& præcipe*, Deus *noster*, virtuti tuæ, * *Spiritui Sancto*, *ut nos per prædicationes doceat*: confirma hoc *opus fidei*, Deus *noster*, quod operatus es *per tuam gratiam* in nobis; *ut stabile fixumque maneat in Ecclesia.*

A templo *sancto* tuo, *quod est* in Jerusalem, * *ubi fides originem habuit*, tibi *Deo nostro* offerent reges *conversi ad fidem* munera, *in eleemosynas pauperum & ædificationem ecclesiarum.*

Increpa *& compesce* feras arundinis, *qui sunt hæretici*, *ut feræ dilaniantes animas simplicium*, *instabiles ac mobiles*, *instar arundinis*, *omni vento do-*

ctrinæ : *quia* congregatio taurorum *&* *hæreticorum indomitæ cervicis est* in vaccis *& lascivis animis* populorum * *simplicium*, *qui facilè seducuntur* ; ut excludant *& avertant à veritate fidei* eos *bonos* qui probati *& purificati* sunt *in divinis eloquiis*, *plus ipso* argento *quod in fornace purgatur*.

Dissipa gentes *infideles atque alios hæreticos*, quæ bella volunt, *& seditiones commovent adversus Ecclesiam*: *quod fiet*, *quia* venient legati *Christum prædicantes*, ex Ægypto, * *gentilitate magna* : *&* Æthiopia, *prius denigrata peccatis*, præveniet manus *& vindictam* ejus *Dei*, *reconciliata* Deo *per fidem*, *quia ipsi subjicietur*.

Regna terræ *de omni natione sub sole*, cantate Deo * *voce & corde*, *ipsum devotè laudando* : psallite Domino, *bene operando ad honorem ejus*.

Psallite, *inquam*, Deo *Christo*, qui ascendit *in excelsis* super cœlum cœli, * *& super omnes choros Angelorum*, *sedens* ad orientem, *ad dexteram Dei Patris*.

Ecce, *qui ascendit*, dabit *in extremo judicio* voci suæ *humanæ* vocem

vir-

virtutis *cœlestis*, *&* *efficaciam resuscitandi omnes mortuos* : *& ideo* date gloriam Deo, *serviendo illi ad honorem ipsius*, super Israël * *& populum Christianum*, *qui Deum videt per fidem.* Magnificentia *&* *majestas* ejus *Christi* et virtus ejus *divina erit* in nubibus *in quibus descendet ad judicium*, *quando virtutes cœlorum movebuntur.*

Mirabilis *est* Deus *noster* in sanctis suis, *per quos fecit mirabilia*, *cæcos illuminando*, *leprosos mundando*, *mortuos suscitando* : Deus, *inquam*, Israël *& populi Christiani videntis eum per fidem*, ipse, *& non alius*, dabit virtutem *bonorum operum*, et fortitudinem *patientiæ in tentationibus*, plebi suæ * *electæ*, *Christianæ*. Benedictus *ergo sit* Deus, *pro tantis donis.*

ORATIO.

Domine JESU CHRISTE, Deus salutarium nostrorum, cujus nomen sit benedictum hodie & quotidie; qui ascendisti super cœlum cœli, ad dexteram Dei Patris, denuò venturus ad judicandum in nubibus, cum potestate magna, & majestate mirabili : educ nos à vinculis peccati, in forti-

tudine justificationis tuæ; ut dealbemur per remissionem peccatorum super nivem, adeò ut beneplacitum sit tibi habitare in nobis & nos in te. Amen.

PSALMUS LXVIII. [*sec. Hebr.* LXIX.]

In finem *& in Christum, hic* Psalmus *agit de passione quam Christus sustinuit* pro iis *electis* qui commutabuntur *de peccato originali ad gratiam, de morte ad vitam, de mundo ad cœlum.*

SAlvum me fac *à pœnis imminentibus*, Deus * *Pater*, quoniam intraverunt aquæ *vehementissimarum persecutionum* usque ad animam meam *tollendam & à corpore separandam.*

Infixus *& immersus* sum *corpore* in limo profundi, * *atque in hoc sæculo turpi ac tenaci*: et non est substantia *neque carnis virtus ut evadam, nisi tu salves.*

Veni *sponte* in altitudinem maris * *& inundationem persecutionum*: et tempestas *atque seditiosa commotio Judæorum* demersit me *in mortem, & exstinxit.*

La-

Laboravi *in cruce*, clamans *ad te Deum Patrem* : raucæ *præ deficcatione* factæ ſunt fauces meæ, * *propter acerbitatem pœnarum* : defecerunt *&* *extincti ſunt* oculi mei *corporales in morte*, dum ſpero *inter anguſtias* in Deum *patrem* meum, *qui dabit gloriam reſurrectionis.*

Multiplicati ſunt *inimici mei Judæi* ſuper capillos capitis mei * *innumerabiliter*, qui oderunt me gratis *& ſine cauſa, cùm profuerim ipſis.*

Confortati ſunt *& animati ad nocendum*, qui perſecuti ſunt me *ut perderent*, inimici mei *Judæi* injuſtè : * *at ego innocens*, quæ non rapui *neque contraxi*, *neque perpetravi*, tunc *in cruce* exſolvebam *pro peccatis primorum parentum.*

Deus *Pater*, tu ſcis *& noſti* inſipientiam meam, * *quod Gentibus & incredulis ſtultitia factus ſum* ; et delicta mea, *quæ ferendo mihi impoſuiſti pro humano genere*, à te *patre meo* non ſunt abſcondita : *quia delictorum fui ſuſceptor*, *non commiſſor.*

Non erubeſcant *neque confundantur*

in me *moriente* qui expectant te, Domine, * *atque in te tota mente confidunt* : ò, *inquam*, Domine *omnipotens* virtutum & *poteſtatum omnium*, *qui imperas omnibus.*

Non confundantur *neque ſcandalizentur* ſuper me * *moriente in cruce, neque cedat eis paſsio mea in ruinam*, qui quærunt *ex toto corde* te, *fide, ſpe, & caritate*, ò Deus Iſraël : *neque evacuetur ſpes credentium de mea paſſione.*

Quoniam *ego*, propter te & *tuam obedientiam*, *non pro mea culpa*, ſuſtinui *patienter* opprobrium * & *convicia Judæorum* : *unde* operuit confuſio & *ignominia* faciem meam, *præ indignatione verborum eorum.*

Extraneus & *abjectus* factus ſum *Judæis* fratribus meis, * *ex quibus ſecundum carnem prodii* : et *etiam ut* peregrinus & *ignoratus reputatus à cognatis* & filiis matris meæ, *qui fuerunt in Nazareth.*

Quoniam zelus & *fervens amor* domus *atque Eccleſiæ* tuæ *catholicæ conſtruendæ* comêdit me * & *abſorbuit, adeò*

adeò ut fuerit causa passionis meæ ; et opprobria *omnium* exprobrantium tibi, *me negando filium tuum* , ceciderunt super me , *& ego sentiebam amarissimo corde.* [*Joan.*2. 17. *Rom.*15. 3.]

Et operui *atque celavi* in jejunio *salutis eorum* animam meam , * *quia esuriebam salutem humani generis* : et *hoc ipsum* factum est *& reputatum* in opprobrium *& derisionem* mihi *atque detractionem.*

Et posui , *præ zelo* , vestimentum meum *in* cilicium * *vel saccum* , *ut pro eis lugerem* : et *ex hoc etiam* factus sum illis *Judæis* in parabolam , *quia omnium ore deridebar.*

Adversum me *innocentem* loquebantur *falsa* , *publicè coram omnibus diffamando* , qui sedebant in porta , * *vel templi* , *vel civitatis* , *& in publicis conventibus* : et in me *etiam* psallebant *derisorias cantilenas illi* qui bibebant vinum , *quia eram illis fabula & ridiculum.*

Ego verò , *omnibus neglectis* , orationem meam *humilem & plenam fiduciæ direxi* ad te , Domine * Deus Pa-

ter, ut ignoſcas illis, qui neſciunt quid faciunt : & tempus *nunc eſt* beneplaciti, *gratiæ*, & *reconciliationis*, Deus *meus, ut per me redimatur genus humanum.*

In multitudine *ergo & abundantia* miſericordiæ *atque benignitatis* tuæ *divinæ*, exaudi me * *deprecantem* : in veritate *firma* ſalutis tuæ *à te promiſſæ, ut verax appareas implendo ſalutem quam promiſiſti.*

Eripe me, *Domine Pater*, de luto *& pulvere mortalitatis*, ut non infigar * *neque inhæream in eo per incinerationem, & ut non putrefiam in ſepulcro*: libera me *per reſurrectionem* ab iis *Judæis* qui oderunt me, *ne tantum noceant quantum cupiunt*; et de profundis aquarum *& perſecutionum, ne ſupergrediantur caput, & obruant me.*

Non me demergat *irrecuperabiliter in mortem* tempeſtas aquæ *& ſeditio Judæorum*, neque abſorbeat *& devoret* me profundum, * *abyſſus infernalis*: neque urgeat *claudendo* ſuper me puteus, *limbus, & aditus inferni*, os ſuum *ad retinendum me, cùm deſcen-*

de-

dero ad ſpoliandum eum.

Exaudi me, Domine, *devotè ſupplicantem*, quoniam benigna *& ſuavis* eſt *ſemper* miſericordia tua, * *& parata cùm piè petitur : & ergo*, ſecundum multitudinem *numeroſiſsimam* miſerationum tuarum *infinitarum*, reſpice in me *& conſolare in tot adverſis.*

Et ne avertas *omnino* faciem tuam *divinam* à puero *filio* tuo * *ſeu à me Chriſto* : quoniam tribulor *& anguſtiæ undique imminent* ; velociter exaudi me, *ut citò reſumam ſpiritum in reſurrectione, quem in tuis manibus commendavi.*

Intende animæ *& vitæ* meæ, *qui vidêris eam deſeruiſſe*, et libera eam, * *reſuſcitando à mortuis* : propter inimicos meos *Judæos* eripe me, *ut per reſurrectionem confundantur.*

Tu ſcis *& noſti* improperium meum, *mihi illatum in verbis injurioſis* ; et confuſionem meam, * *quia captus ſum in modum latronis* ; et reverentiam, *verecundiam, atque ignominiam* meam, *qua Judæi ſubſannant, rident, illudunt.*

In conſpectu tuo *divino* ſunt omnes

Ju-

Judæi qui tribulant me, * *& tantum scelus committunt te præsente & vidente*: improperium *eorum in dictis* exspectavit *voluntariè* cor meum, *quia, post colaphos & sputa, etiam* et *crucis* miseriam *passus sum.*

Et sustinui *solus mortem crucis, exspectando* qui simul contristaretur *& compateretur mecum*, et non fuit * *aliquis*: et *etiam exspectavi* qui consolaretur *me in pœnis*, et non inveni *aliquem. Solus angustias undique tuli.*

Et dederunt *milites crucifigentes*, in escam meam, *ipsum* fel * *amarum*: et, *omnem malitiam exercendo*, in siti mea *valida* potaverunt me *crudelissimi Judæi* aceto, *potu austero.*

Fiat mensa eorum *& convivium Paschale* coram ipsis, *quod celebrabant in Jerusalem*, in laqueum * (*quod factum est dum, à Romanis conclusi vallo, sicut aves illaqueati sunt*): et *hoc* in retributiones *pœnarum propter mortem Christi*, et in scandalum *ruinæ eorum.*

Obscurentur *invidia cæcati* oculi *cordis* eorum *Judæorum*, ne videant * *& intelligant divinitatem sub humani-*

ta-

tate latentem: et dorſum eorum *præ mole peccatorum* ſemper incurva, *ut gentibus ſerviant, & onera legis atque peccatorum portent.*

Effunde *copiosè* ſuper eos *Judæos* iram *& indignationem* tuam * *atque vindictam in præſenti*, et furor iræ *atque justitiæ* tuæ *divinæ* comprehendat eos *in futuro judicio.*

Fiat habitatio eorum *in Jeruſalem* deſerta, * *ut perdant locum & gentem*: et in tabernaculis eorum, *ut in templo, ſynagoga, & palatio*, non ſit *aliquis* qui inhabitet, *neque habeant ſucceſſores, ſed vagabundi agantur per diverſa.* [*Act.* 1. 20.]

Quoniam *illum* quem tu percuſsiſti *& percuti voluiſti propter eos, & pro mundi ſalute*, perſecuti ſunt * *crudeliter, eum occidendo*; et ſuper dolorem vulnerum meorum, *quæ ſuſtinui in cruce*, addiderunt *blaſphemias.*

Appone *& permitte* iniquitatem *obſtinatam*, ſuper iniquitatem eorum, * *ut excæcati ruant de ſcelere in ſcelus*: et non intrent, *revertendo de culpa ad gratiam*, in juſtitiam tuam, *ne tandem*

dem ſalventur, & peccata dimittantur.

Deleantur de libro viventium, * *& non computentur inter electos*: et cum juſtis *ſalvandis* non ſcribantur, *neque fidelibus annumerentur.*

Ego ſum pauper, *humilis*, et dolens * *in paſsione pro omnibus*: ſalus *& benignitas* tua, Deus *Pater*, ſuſcepit me *de omni anguſtia in reſurrectione.*

Laudabo *in me & in membris* nomen Dei *Patris*, cum cantico * *& hymnidica exſultatione*: et magnificabo *atque magnum* eum *prædicabo* in laude, *non ceſſando Deum meum laudare & magnificare.*

Et placebit *ſacrificium laudis* Deo, *atque acceptius erit* ſuper vitulum novellum * *unius anni* cornua producentem et ungulas: *laus enim puri cordis plus placet quàm mactatio pecudis.*

Videant pauperes *ſpiritu*, et lætentur * *humiles corde*: quærite Deum *fide, devotione, & bona operatione*, et vivet *in æternum* anima veſtra, *quia Deus eſt vita animæ, & cibus mentis.*

Quoniam exaudivit *in oratione* pauperes *ſpiritu & de ſe nihil præſumentes*

Do-

Dominus * *Deus*; et vinctos suos, *qui præceptis Domini vinciuntur*, non despexit, *immò gratificavit.*

Laudent illum *congratulantes* cœli et terra, * *cives cœlestes & homines terreni*: mare *etiam*, et omnia reptilia in eis, *atque omnis creatura.*

Quoniam Deus *noster* salvam faciet Sion, * *Ecclesiam militantem, quæ jam in fide speculatur Deum*; et ædificabuntur civitates *atque Ecclesiæ particulares ipsius* Juda, *qui Christus est de tribu Juda.*

Et inhabitabunt *fideles* ibi * *in Sion*, et hereditate *æterna tandem in regno cœlorum* acquirent eam, *quando filii Dei vocabuntur & coheredes Christi.*

Et semen *seu imitatores* servorum *seu discipulorum* ejus *Christi* possidebit eam * *æternaliter*: et *omnes* qui diligunt *in perfecta caritate* nomen ejus, *& non ex timore*, habitabunt in ea *hìc & in futuro, tamquam in hereditate sua.*

ORATIO.

Omnipotens, misericors Deus, qui damnatam naturam humanam beatificasti

per

per mortem tuam, perditam liberasti, mortuam vivificasti: te deprecamur, ut nos servos tuos, quos redemisti per fellis amaritudinem, per aceti asperitatem, per crucis supplicia, per clavorum vulnera; per resurrectionis gloriam custodire digneris in hoc sæculo nequam, ut tandem cum electis tuis hereditemus vitam æternam. Per Christum Dominum nostrum.

PSALMUS LXIX. [*sec. Hebr.LXX.*]

In finem *& in Christum nos dirigens hic* Psalmus *attribuitur* David *& cuilibet justo*, in rememoratione *beneficiorum*, quòd salvum eum fecit Dominus.

DEus, *creator meus*, in adjutorium meum *misericorditer* intende * *& respice, præstando mihi auxilium gratiæ tuæ*: Domine, *qui omnia potes*, ad adjuvandum me *citò* festina: *quia, si tardet misericordia, graviora crescent pericula.*

Confundantur *in se ipsis, & opprobrium ferant*, et revereantur * *formidentque te judicem*, qui quærunt animam *& vitam* meam *perdere.*

Aver-

Avertantur retrorſum *à propoſito ſuo malo*, et erubeſcant * *de peccatis commiſsis*, qui volunt *&* *cogitant* mihi mala *in ſua iniquitate.*

Avertantur *à prava eorum cogitatione* ſtatim *ac velociter*, erubeſcentes * *& confuſi*, qui dicunt mihi *adulando & mendaciter decipiendo*: Euge, *gaude*, euge, *gaude, rideas atque læteris.*

Exultent *corpore*, et lætentur *animo*, in te, *non in ſe neque in alio gloriantes*, omnes *pii* qui *amore ſincero* quærunt te * *atque beneficentiam tuam.* Et dicant ſemper, *non ceſſando*: Magnificetur *præ omnibus* Dominus *Deus, & ad gloriam ejus cuncta referantur*, qui diligunt *& deſiderant* ſalutare tuum *Dominum Jeſum Chriſtum, qui eſt omnium vita & ſalus.*

Ego verò egenus, *circumdatus multis malis*, et pauper ſum * *in virtutibus, nihil boni ex me habens* : *& ergo, Domine* Deus, *in peregrinatione hac mundana* adjuva me *tuæ miſerationis auxilio.*

Adjutor meus *in bonis* et liberator meus *à malis* es tu, * *& non alius* : *&*

er-

ergo, Domine *Deus*, ne morêris *neque differas mihi ſuccúrrere.*

ORATIO.

Adjutor noſter, Deus, libera nos egenos & pauperes ab omnibus coinquinamentis animæ noſtræ: neque differas auxiliari in tempore tribulationis, miſeratione tua ſolita, qui exſultamus in te, & diligimus ſalutare tuum Dominum noſtrum JESUM CHRISTUM, qui eſt unica ſalus & vita noſtra. Amen.

PSALMUS LXX. [*ſec. Hebr. LXXI.* ſine titulo tamen.]

Pſalmus *hic*, *decantatus à* David *Propheta*, *eſt* filiorum Jonadab et *obedientiæ*, *qui Deo voluntariè ſerviunt*: *& etiam eſt* priorum *illorum* captivorum *in peccato originali*, *ob inobedientiam protoplaſti.*

IN te *ſolo*, Domine, *Deus meus*, *non in me*, *vel in alio quocumque*, ſperavi, *& ideo* non confundar in æternum * *in illo finali judicio*: in juſtitia tua, *non in mea*, *quæ nulla eſt*, libera me *à delictis meis*, et eripe me *à po-*

te-

testate diaboli.

Inclina *clementer* ad me, *ægrotum & jacentem*, aurem tuam * *gratiæ*: et ſalva me *ab ægritudine peccatorum*, *qua premor.*

Eſto mihi in Deum *defenſorem &* protectorem *meum contra jacula inimicorum*, et in locum munitum * *quò confugiam tutò*; ut ſalvum me facias *ab omnibus imminentibus malis.*

Quoniam firmamentum meum * *& fortitudo mea in tentatione*, *dum pugno*, et refugium meum *in omni tribulatione* es tu *ſolus*, *& non alius.*

Deus meus, *libera &* eripe me, *te invocantem*, de manu *& poteſtate* peccatoris * *diaboli*, *qui omnis peccati perſuaſor eſt*; et de manu *ac poteſtate* contra legem *tuam* agentis, *& tranſgredientis mandata tua*; et iniqui, *videlicet violenti perſequentis me*:

Quoniam tu es patientia mea, Domine, * *propter te enim omnia ſuſtineo*: Domine, ſpes mea, *qua non fraudabor*, *& fiducia* à juventute mea, *ex quo contra diabolum pugnare cœpi.*

In te confirmatus ſum *& ſuſtenta-*

tus ex utero, *. *cùm tibi ſoli innitar:* de ventre matris meæ *Eccleſiæ*, *in qua fui renatus ex baptiſmo*, tu *etiam* es protector meus *à malis imminentibus.*

In te, *& non in mundanis*, *eſt* cantatio mea, *laus & gaudium*, ſemper * *& in omni tempore* : *idcirco* tamquam prodigium *& portentum* factus ſum multis *mirantibus de me*, *qui inſolita doceo & ago quæ illi damnant* : et tu, *Domine*, *contra omnia opprobria es* adjutor *meus* fortis, *præſtans ſpiritualem fortitudinem.*

Repleatur os meum *tua* laude *divina*, ut cantem gloriam tuam * *pro omnibus beneficiis mihi conceſſis*, tota die, *tam in proſperis*, *quia conſolaris*, *quàm in adverſis*, *quia corrigis*; *etiam* magnitudinem *& majeſtatem* tuam, *in omnibus operibus & beneficiis tuis.*

Ne projicias me *à gratia tua* in tempore ſenectutis, * *cùm vires caritatis & fidei decreſcunt* : *&*, cùm defecerit *atque molleſcat* virtus *& patientia* mea *præ mole tribulationum*, ne derelinquas *nec deſpicias* me *miſerum.*

Quia dixerunt *contemtores veritatis,*

inimici mei, *impii*, *exprobrantes* mihi * *bona*; et qui custodiebant *atque observabant insidiosè* animam *& vitam* meam, consilium fecerunt *suis technis* in unum, *ut me perderent*,

Dicentes *apud se*: Deus dereliquit eum, *subtrahendo auxilium*: persequimini, *quia fugere non potest*; et comprehendite eum * *dolis & injuriis*, quia non est qui eripiat *& liberet eum in iis tribulationibus*.

Deus, ne elongeris, *subtrahendo auxilium defensionis tuæ*, à me: * Deus meus, *quia tribulationum fasce prægravor*, in auxilium *atque adjutorium* meum respice, *cohibendo hostes à crudelitate*.

Confundantur *mali*, *cognoscentes eorum peccata*, et deficiant *qui de se præsumunt*, detrahentes *per infamiam* animæ meæ, * *fatigando & denigrando eam injuste*: operiantur confusione, *opprobrio*, et pudore, *atque ignominia*, qui quærunt *insidiando* mala mihi *in perditionem*.

Ego autem semper *ac jugiter* sperabo * *in auxilium gratiæ tuæ*; et adji-

ciam *hoc* ſuper omnem laudem tuam, *quòd incarnatus es pro ſalute omnium.*

Os meum annuntiabit, *prædicando aliis*, juſtitiam tuam * *& filium tuum, per quem impleta eſt juſtitia* : tota die *atque aſsiduè* ſalutare tuum, *videlicet Filium, per quem ſalutem dediſti mundo.*

Quoniam *ego* non cognovi litteraturam *& ſcientiam inflantem quæ ſuperbire facit*, introibo in potentias, *cognoſcendo Euangelium* Domini * *ſanctum, & virtutes ſpiritus ejus* : Domine *Deus*; *tunc* memorabor juſtitiæ tuæ ſolius, *nullam humanam prædicando inventionem aut prudentiam.*

Deus *meus*, *tu* docuiſti me, *non caro aut ſanguis aut litteræ*, à juventute mea, * *ex quo cœpi ad tuam gratiam pervenire* : et uſque nunc *non abſcondam talentum*, *ſed* pronuntiabo *aliis* mirabilia tua *quæ operatus es pro ſalute generis humani.*

Et uſque in ſenectam, *inquit Eccleſia*, et ſenium * *atque finem mundi.* Deus *meus*, ne derelinquas me *ſine tua gratia & miſericordia*, *ſed cooperare mecum, ne deficiat verbum veritatis*;

Do-

Donec annuntiem *& prædicem* brachium tuum * *& Euangelium veritatis tuæ*, generationi omni *humanæ* quæ ventura eſt *uſque in finem ſæculi.*

Potentiam *inſuper* tuam *qua ſalvas homines*, et juſtitiam tuam *qua judicas ſecundum meritum uniuſcujuſque*, Deus, uſque in altiſsima *myſteria* quæ feciſti, *&* magnalia, * *opera providentiæ & gratiæ.* Deus, quis *eſt* ſimilis tibi, *omnipotens*, *optimus*, *maximus*?

Quantas oſtendiſti mihi *adverſitates*, tribulationes, *& tentationes*, *ut erudires me in via virtutum*? multas *certè*, et malas: *unde* et, converſus *ad me oculis gratiæ*, vivificaſti me * *per internam conſolationem*; et de abyſsis terræ, *de negotiis ſæculi*, *& profunditate peccati*, iterum (*quia multoties corrui in peccatum*) reduxiſti me, *ab illis liberando.*

Multiplicaſti *per diverſas afflictiones* magnificentiam tuam, * *faciens me proficere de bono ad melius*: et, converſus *ad me pœnitentem*, conſolatus es me *alloquio divinarum Scripturarum*, *per internam dulcedinem.*

Nam et ego *modis omnibus* confitebor tibi, *& celebrabo bonitatem tuam*, in vasis psalmi *& instrumentis musicis* veritatem tuam, * Deus, *cujus promissa vera sunt & complenda*: psallam tibi in cithara, *quia corde, voce, & opere laudabo te*, *qui es Deus* sanctus *ipsius* Israël, *populi videlicet Christiani videntis te per fidem.*

Exultabunt *opere & sermone, corde & ore*, labia mea, *in oratione*, cùm cantavero tibi * *in psalmodia*: et anima mea *etiam psallet spiritu*, quam redemisti *pretio sanguinis tui.*

Sed et lingua mea *assiduè*, tota die, *indesinenter*, meditabitur *divinam* justitiam tuam, * *qui sola tua gratuita misericordia redemtus sum: & hoc* cùm confusi *erubescendo* et reveriti fuerint *impii*, qui quærunt *invidiosè* mala *plurima* mihi, *tum corporaliter, tum spiritualiter persequendo.*

ORATIO.

Deus, qui sperantes in te damnari æternis confusionibus non pateris: sis protector noster, & contra omnia diaboli machinamenta firmamentum & refugium nostrum.

ſtrum. Et gratia tua ſic nos præveniat, & ſequatur; ut illa ſemper meditemur in corde, atque compleamus opere, quæ beneplacita ſunt tuæ divinæ voluntati, cui eſt juſtitia, potentia, virtus, & imperium in ſæcula. Amen.

PSALMUS LXXI. [*ſec. Hebr.* LXXII.]

Pſalmus *iſte dirigitur* in Salomonem; *& in Chriſtum, qui eſt verus & pacificus Salomon, & mediator Dei & hominum.*

DEus *Pater*, judicium tuum *& poteſtatem judiciariam* regi da * *Chriſto, filio tuo, qui eſt rex regum*: et juſtitiam tuam, *in poteſtatis executione,* filio regis *Chriſto, qui filius eſt regis æterni Patris ſecundum deitatem, & filius regis David ſecundum humanitatem.*

Judicare *da illi* populum tuum *Chriſtianum* (*qui & ejus eſt*) in juſtitia, * *reddendo unicuique ſecundum opera*, et pauperes tuos *ſpiritu* (*qui verè pauperes Dei ſunt*) in judicio, *ut, poſt mundi ærumnas, regnum habeant cælorum.*

Suſcipiant *ipſi* montes *Dei*, *qui ſunt Apoſtolici viri*, pacem *& Chriſtum*, *qui eſt vera pax*, populo * *prædicandum*: et colles *atque viri minores annuntiabunt* juſtitiam *Chriſti & Euangelium ejus.*

Judicabit *rex* pauperes populi *mortificatos verbo crucis*, et ſalvos faciet *etiam* filios *& imitatores* pauperum * *Apoſtolorum*, *quos verbo euangelico genuerunt*: et humiliabit, *conteret*, *atque damnabit* calumniatorem, *diabolum*, *qui eſt injuſtus accuſator fratrum.*

Et, *illis ſic damnatis atque devictis*, permanebit *Chriſtus* cum ſole, *patre ſuo*, *cujus ipſe ſplendor eſt*, et ante lunam * *& Eccleſiam ejus* (*quia Eccleſia militans hìc ceu luna creſcit & deficit*), in generatione *mortalium* et generationem *perpetuam.*

Deſcendet *Chriſtus in uterum virginis imperceptibiliter*, ſicut pluvia *cadens* in vellus * *ſine ſtrepitu*; et ſicut ſtillicidia *aquæ* ſtillantia *in modum roris ſumma levitate* ſuper terram, *ut eam fecundent.*

Orietur *& florebit* in diebus ejus, *cùm*

tùm ſcilicet naſcetur Chriſtus & faciet opera Patris, juſtitia *& fides catholica, quæ perfectam continet juſtitiam*; et abundantia pacis, * *quia pax inter Deum & hominem facta erit*; donec auferatur luna, *uſque ad conſummationem ſæculi.*

Et dominabitur *Chriſtus* à mari *orientali* uſque ad mare * *occidentale*: et à flumine *Jordanis, in quo baptiſma cœpit*, uſque ad terminos orbis terrarum *propagabitur Chriſti fides & Euangelium.*

Coram illo *Chriſto* prócident *atque humiliabuntur* Æthiopes * *peccatis denigrati, qui dealbabuntur candore virtutum*: et inimici ejus, *veritati reſiſtentes*, terram lingent, *quia ſubjugabuntur.*

Reges Tharſis *etiam* et inſulæ *maris* munera *ſua* offerent * *Chriſto nato*: reges Arabum *aurum pretioſiſſimum*, et Saba *thus & myrrham, quæ* dona *ſunt divina*, adducent *ſecum.*

Et *etiam* adorabunt eum *Chriſtum* omnes reges terræ, * *converſi ad Deum verum*: omnes gentes, *olim colentes ido-*

idola, servient *fide & opere* ei *cœlesti regi*.

Quia liberabit *& salvum faciet* pauperem *spiritu, nihil de se præsumentem*, à potente * *diabolo*; et pauperem *populum Christianum, tam desolatum ac miserum*, cui non erat adjutor, *nisi tantum Leo de tribu Juda, rex noster Christus*.

Parcet, *peccata dimittendo*, pauperi *spiritu* et inopi, * *non de se, sed gratia confidenti*: et animas pauperum *implorantium peccati remissionem* salvas faciet *in vitam æternam*.

Ex usuris *succrescentibus in malis*, et *ex* iniquitate, *fraude, ac violentia*, redimet *pretio sanguinis sui* animas eorum * *fidelium*: et honorabile *erit* nomen eorum *qui à Christo Christiani nuncupantur*, coram illo, *in laude & merito*.

Et vivet *rex immortalis*, et dabitur ei *Christo* de auro Arabiæ, *quia optima quæque illi grata afferent*: et adorabunt *summa veneratione, non vacui, sed* de ipso *munere virtutum pleni* semper: * *&* tota die *vitæ præsentis* benedicent ei, *re-*

referendo gratias de ſuis beneficiis.

Et erit *ipſe Chriſtus* firmamentum in terra *quo ſuſtinebuntur animæ fideles*, in ſummis *& vertice* montium, *in Apoſtolis & aliis ſanctis*: ſuperextolletur *& augmentabitur* ſuper Libanum *montem* fructus ejus * *& ſemen verbi divini* : et florebunt *abundanter* de civitate *& Eccleſia ſancta*, ſicut fœnum terræ, *virtutibus, exemplis, & bonis operibus.*

Sit nomen ejus, *quod JESUS eſt*, benedictum *& glorificatum* in ſæcula, * *ſemper magis ac magis*: *quoniam* ante ſolem *& omnia tempora* permanet *ab æterno* nomen ejus, *quia in principio erat Verbum.*

Et benedicentur in ipſo *Chriſto* omnes tribus terræ, * *cùm erit exſpectatio, ſalus, & legiſer gentium* : *unde &* omnes gentes *converſæ ad fidem* magnificabunt *& laudabunt* eum, *tamquam ſalvatorem & dominum.*

Benedictus *ſit* Dominus, *qui eſt* Deus Iſraël, * *videntium eum per fidem*: qui facit *ſua auctoritate & poteſtate* mirabilia *magna* ſolus, *& nemo alius.*

Et benedictum *ſit* nomen *gloriæ* maje-

jestatis ejus *Christi* in æternum, * *quia sanctificatum in cœlo & in terra*: et replebitur majestate ejus omnis terra, *quia ubique in tota Ecclesia magnificabitur. Et hoc, quod jussisti*, fiat, fiat.

ORATIO.

Domine JESU CHRISTE, qui invisibilis deitate, factus es in humanitate visibilis; qui, sicut pluvia in vellus, ita in uterum virginalem descendisti: te humiliter deprecamur ut salvum facias populum tuum Christianum in abundantia pacis, nihil de se præsumentem, sed tuam gratiam implorantem per nomen tuum benedictum, quod replesti majestate in æternum.

PSALMUS LXXII. [*sec. Hebr.*LXXIII.]

Defecerunt *à Judæis* laudes *ipsius* David *Prophetæ* filii Jesse, *quas faciebat vetus populus Judæorum pro bonis temporalibus; quia amiserunt locum & gentem.* Psalmus *est* Asaph *cantoris David, ut amplectamur æterna, & pro illis Deum laudemus.*

QUàm bonus *placidusque est* Israël, *id est fidelibus*, Deus! * *Quàm, inquam, suavis & jucundus* his qui recto sunt corde, *non curvato ad terrena.*

Mei autem penè, *sed non omnino*, moti sunt *& ad errandum inclinati* pedes * *& animæ affectiones*: penè effusi sunt *& ad lapsum præcipitati* gressus mei, *opera & actus.*

Quia zelavi, *indignatione motus*, super iniquos * *in prosperitate eorum*; pacem *temporalemque prosperitatem* peccatorum *iniquorum* videns, *& causam non intelligens.*

Quia non est respectus morti eorum * (*cùm non recogitent de morte sua*); et firmamentum *etiam est* in plaga *& adversitate* eorum, *quia semper feliciter subsistunt, nec quidquam eis nocet.*

In labore *& afflictione* hominum *justorum* non sunt, * *nec tribulantur, sed in deliciis vivunt*: et cum hominibus *piis* non flagellabuntur *in hoc sæculo ad correctionem.*

Ideo,

Ideo, *propter temporalem prosperitatem*, tenuit *&* *alligavit* eos superbia,* *alios contemnentes*: operti sunt *undique* iniquitate *contra proximum*, et impietate sua *contra Deum*.

Prodiit, quasi ex adipe *& abundantia divitiarum*, iniquitas *& malitia* eorum, * *quia divitiæ præstant fomentum vitiis*: transierunt, *de vitio in vitium ruentes*, in affectum cordis *implendum & desideria mala*.

Cogitaverunt *prius intra se*, et *deinde* loquuti sunt *aliis persuadendo* nequitiam * *suam, quia ex abundantia cordis os loquitur*: iniquitatem in excelso *& contra excelsum Deum* loquuti sunt, *blasphemantes*.

Posuerunt, *per superbiam*, in cœlum *& cœlestia* os suum, * *blasphemantes*: et lingua eorum *nequam* transivit in terra, *felicitatem in eis asserendo*.

Ideo, *hoc considerato*, convertetur *ad me* populus meus *fidelis* hic * *in hoc sæculo, dum tempus est acceptabile*; et dies *salutis*, pleni *misericordia & gratia*, invenientur in eis *sic conversis de iniquitate*.

Et

Et dixerunt *impii*: Quomodo ſcit Deus * *ſcelera noſtra*? et ſi eſt ſcientia *atque providentia* in excelſo *Deo*, *ut curet terrena*?

Ecce *enim* ipſi peccatores *impii* et abundantes, *tranquilli ac fortunati* in *hoc* ſæculo * *&* *mundo*, obtinuerunt divitias: *quia filiæ eorum compoſitæ, oves fœtoſæ, boves craſsi.*

Et dixi, *animo vacillans*: Ergo *inaniter*, ſine cauſa, *immò fruſtra*, juſtificavi cor meum * *coram Deo*, et lavi *in vanum* inter innocentes *nihil ſibi conſcios* manus meas, *abſtinendo à pravis operibus.*

Et fui *ſine cauſa* flagellatus, *portando crucem, & afflictus* tota die, * *Deo ſerviendo*; et caſtigatio mea *de perpetratis malis ſemper fuit* in matutinis: *quia, ſi quando cécidi, caſtigabar citò & indilatè.*

Si dicebam *mecum*: Narrabo ſic, * *& tenebo hanc opinionem, appetendo cum peccatoribus proſperitatem*; ecce *tunc* nationem *& conditionem* filiorum tuorum *juſtorum, qui filii Dei ſunt per gratiam*, reprobavi *& contemſi*

gran-

grandi temeritate.

Exiſtimabam *mecum atque cogitabam*, ut cognoſcerem *inveſtigando cauſam providentiæ & judiciorum tuorum; ſed* hoc * *ſcire* labor eſt ante me, *& impoſsibile viribus intellectus mei,*

Donec intrem in *penetralia divinarum Scripturarum, quod eſt* ſanctuarium Dei, * *ubi divinitus reſponſa dantur*; et *tunc* intelligam, *illuminatione divina*, in noviſsimis eorum, *quid bonis vel malis ſervetur in fine.*

Verumtamen, *licèt ad tempus floreant*, propter dolos *quibus defraudaverunt innocentes & afflixerunt juſtos*; poſuiſti eis * *finem proſperitatis temporalis*, & dejeciſti eos *in ruinas mortis*, dum allevarentur & *augmentarentur in proſperitate.*

Quomodo facti ſunt in *ſubitaneam* deſolationem, *cùm ſe florere putarent!* ſubitò & *repente* defecerunt * *de præſenti vita*: perierunt *æternaliter* propter iniquitatem ſuam, *quia mortui ſunt in finali impœnitentia.*

Velut ſomnium ſurgentium & *expergiſcentium eſt felicitas eorum, quæ citò*

citò evanescit, Domine* *Deus*: in civitate tua *cœlesti*, imaginem & *animam* ipsorum, *secundum quam ad similitudinem tuam creati sunt*, ad nihilum rediges, *excludendo eos à beatitudine æterna.*

Quia inflammatum & *accensum* est cor meum *amore Dei & æternorum*, et renes mei *atque carnales affectus* commutati sunt * *in spirituales*: et ego *compunctus* ad nihilum redactus sum *in mea reputatione*; et nescivi, *immò stultum & inutilem me reputavi.*

Ut jumentum *mansuetum* factus sum *ad obediendum* apud te, * *nihil sapiens præter te*: et ego semper tecum *ero ac firmiter perseverabo.*

Tenuisti, *per gratiam tuam cooperantem*, manum dexteram meam *ad opera bona, ne vacillarem*; et in voluntate tua *divina* deduxisti me * *de virtute in virtutem*: et cum gloria *gratis* suscepisti me, *per gratiam consummantem.*

Quid enim & *quantum præmium* mihi est *paratum* in cœlo * & *promissum*? et à te quid volui *aut desideravi*

ſuper terram? *cùm nihil, præter te Deum meum, habere quæro.*

Defecit & *conſumta eſt* caro mea *humana*, et cor meum * *ſpirituale, in conſideratione bonitatis tuæ.* Deus cordis mei *beatificator*, et pars mea Deus: *quia, præter te, nihil cupio, ſed* in æternum *adhærebo tibi.*

Quia ecce *impii*, qui elongant ſe *per peccatum mortale* à te *fonte vivo*, peribunt * *in gehennam*: perdidiſti *æternaliter* omnes *homines* qui fornicantur abs te, *ſeparando ſe à te, diligendo creaturam pro creatore.*

Mihi autem adhærere & *conjungi* Deo *fide, ſpe, & caritate*, bonum eſt, * *immò optimum*; & ponere in Domino Deo *tantùm* ſpem & *fiduciam* meam, *non in juſtitiis meis, viribus, opinionibus, aut verbis.*

Ut *interim* annuntiem *fidelibus* omnes prædicationes tuas * & *verborum tuorum divinorum*; & *hoc* in portis & Eccleſiis, *quæ ſunt* filiæ Sion *ſpeculantis Deum per fidem.*

ORATIO.

Dirige, Domine, egressus, opera, & actus nostros; ne fornicemur à te, ne præcipitemur à voluntate tua divina ad lapsum, ne transeamus in affectum cordis illicitum, & obruamur iniquitate & impietate nostra, & pereamus in ea: sed concede nos tibi jugiter adhærere, in te totam virtutem spei nostræ defigere, ut mereamur tandem laudes tuas in portis æternalibus decantare. Amen.

PSALMUS LXXIII. [*sec. Hebr. LXXIV.*]

Intellectus *&* *eruditio ipsius* Asaph *cantoris David Prophetæ, deplorantis clades futuræ captivitatis Jerusalem.*

UT quid, Deus *noster*, repulisti *populum tibi familiarem & electum*, *usque* in finem, * *interitum, & captivitatem*? iratus est furor tuus, *rigore ultionis tuæ*, super *populum Israël, qui sunt* oves pascuæ tuæ, *siquidem pavisti illos manna in deserto*?

Memor esto *&* *recordare* congregationis tuæ * *electæ*, quam *præ aliis* possedisti ab initio *legis datæ per Moysen.*

Unde beneficia potius quàm errata considera.

Redemisti *atque liberasti à manu Pharaonis* virgam, *sceptrum & dominationem* hereditatis tuæ, * *populi Israël, quem ceu hereditatem tibi vendicas*: mons Sion, *civitas Jerusalem, ille est* in quo habitasti *corporaliter* in eo *populo Judæorum.*

Leva *& exerce* manus, *virtutes* tuas *& potestates*, in superbias eorum *Gentilium* (*à quibus eversa est Jerusalem*) in finem, * *ut tandem opprimantur*: quanta malignatus est, *cùm omnia profanaverit*, inimicus *exercitus* in sancto *monte & templo civitatis Jerusalem*!

Et gloriati sunt, *in malitia, de tanta victoria* qui oderunt te * *idololatræ servi dæmonum*, in medio solemnitatis tuæ *omnia in suam libidinem & avaritiam profanando.*

Posuerunt *& erexerunt Romani imperatores* signa sua, *vexilla, & aquilas suas, in templo Deo consecrato*, signa * *inquam sua* (et non cognoverunt *neque intellexerunt divina id dispensatione permissum, cùm attribuebant suæ poten-*

tiæ)

tia); ſicut in exitu *belli*, *in ſignum victoriæ*, ſuper ſummum *faſtigium expanduntur ſigna militaria.*

Quaſi in ſilva lignorum, *ita irreverenter* ſecuribus exciderunt & *deſtruxerunt* januas ejus *civitatis Jeruſalem*, in idipſum * *conſentientes*: in ſecuri, *qua trabes exciduntur*, et aſcia *ac bipenni* dejecerunt *funditus* & *devaſtaverunt* eam *civitatem.*

Incenderunt igni, *quod non poterat excidi ferro*, ſanctuarium & *templum* tuum * *nomini tuo dicatum*: in terra *ſeu uſque ad terram dejicientes*, polluerunt *ſacrilegio* tabernaculum nominis tui, *in quo invocatur nomen tuum divinum.* [4. Regum 25. 9.]

Dixerunt *conſilium* in corde ſuo *maligno tota* cognatio eorum *Romanorum* ſimul * *in unum*: Quieſcere faciamus & *diſperdamus* omnes dies feſtos *atque ſolemnitates* Dei, *illas auferendo* à terra *Judæorum.*

Signa noſtra *in liberatione* non vidimus, *qualia data ſunt patribus noſtris in exitu de Ægypto*: jam non eſt propheta * *aliquis*, *qui bona nobis prænun-*

 tiet:

tiet : et *Deus noster* nos non cognoscet amplius *ut liberet & à malis reducat, sed in miseriis dimittet.*

Usquequo, *Domine* Deus *noster*, improperabit *populo Judæorum* inimicus * *Gentilis, gloriando de subversione civitatis*? irritat *& exasperat* adversarius *noster* nomen tuum, *blasphemando usque* in finem *& perpetuo*?

Ut quid avertis *à nobis Judæis* manum tuam, *potentiam* et dexteram tuam? * *quare non juvas nos? tandem extrahe* de medio sinu tuo *manum adjutricem, & prohibe ne lædant* in finem *semper.*

Deus autem *Jesus Christus*, rex noster, *homo factus, qui est* ante *omnia* sæcula * (*quia in principio erat Verbum*); *hic, inquam, rex* operatus est salutem *humani generis* in medio *climate* terræ *habitabilis, videlicet in Jerusalem.*

Tu confirmasti *quasi intra muros,* in virtute *& potentia* tua *divina*, mare * *Rubrum* : *tu* contribulasti *& contrivisti* capita draconum *atque demersisti principes Pharaonis* in aquis *maris Rubri.*

Tu

Tu confregiſti *penitus in nihilum* capita, *poteſtates*, *&* *ſuggeſtiones* draconis, * *principis dæmoniorum* : dediſti eum *diabolum in* eſcam, *prædam*, *&* *deriſionem* populis Æthiopum, *primò nigris per peccatum*, *poſtea dealbatis per baptiſmum.*

Tu dirupiſti *&* *aperuiſti* fontes et torrentes * *veritatis*, *ſcripturas videlicet Novi & Veteris Teſtamenti*, *ut emanarent liquorem ſapientiæ* : tu ſiccaſti fluvios Ethan, *doctrinas*, *verboſitates*, *vanitates Philoſophorum*, *Judæorum*, *&* *Hæreticorum.*

Tuus eſt dies, *qui omnia creaſti*, et tua eſt nox, * *cùm tibi obediant omnia:* tu fabricatus es *atque diſpoſuiſti in ſuo ordine* auroram et ſolem, *lunam & ſtellas.*

Tu feciſti *atque diſtinxiſti* omnes terminos terræ, * *climata mundi*, *&* *diviſiones provinciarum*: æſtatem et ver *atque hyemem*, tu plaſmaſti ea, *& in manibus tuis ſunt tempora noſtra.*

Memor eſto hujus *congregationis:quia* inimicus improperavit *per contumeliam* Domino * *Deo*, et populus inſipiens *ac*

stultus incitavit *ad iracundiam* nomen tuum *multis blasphemiis atque injuriis.*

Ne tradas bestiis *&* *malignis spiritibus* animas *filiorum Ecclesiæ*, confitentes tibi * *confessione fidei ac laudis*: et animas pauperum *atque humilium* tuorum *de se nihil præsumentium* ne obliviscaris in finem, *estò ad horam tribulationibus probentur.*

Respice *oculis gratiæ* in testamentum tuum * *& promissiones quas in utroque Testamento fecisti, quod sperantibus in te esses auxilio*: quia repleti sunt *improbi illi* qui, *lumine sapientiæ amisso*, obscurati sunt, *immò obcæcati*, terræ *& desideriis terrenis*; *repleti, inquam, sunt* domibus iniquitatum, *in quibus perseverant tamquam habitantes in propria domo.*

Ne avertatur *à tua misericordia* humilis factus confusus, * *qui in tribulationibus multis ac improperiis atteritur & confunditur*: pauper *spiritu*, et inops, *nihil de meritis suis præsumens*, laudabunt nomen tuum *in bonis*, *& se accusabunt in malis.*

Exurge, Deus, *in vindictam*, *&* judi-

dica causam tuam, * *justis dando coronam, hostibus pœnam:* memor esto improperiorum tuorum *quæ nunc Ecclesia sustinet, præsertim* eorum quæ ab insipiente *populo* sunt *facta & fiunt* tota die, *qui te tuaque omnia nihili facit, immò contemnit & improbat.*

Ne obliviscaris *omnino* voces *blasphemas* inimicorum tuorum, * *immò vindica gloriam nominis tui:* superbia eorum *impiorum*, qui te oderunt & *nomen tuum benedictum*, ascendit & *multiplicatur* semper, *quia peccatis peccata accumulant.*

ORATIO.

Domine JESU CHRISTE, rex noster, ante omnia sæcula genitus, & in tempore homo factus, qui operatus es salutem humani generis in medio terræ: te supplices deprecamur ne repellas nos in finem, qui sumus oves pascuæ tuæ, quas effusione sanguinis tui redemisti: sed humiles te quærentium voces propitiatus exaudi. Amen.

PSAL-

PSALMUS LXXIV. [*sec. Hebr. LXXV.*]

In finem *& Christi conformitatem*, ne corrumpas *te per superbiam*, *monet hic* Psalmus; *qui est nobis causa* cantici *& jucunditatis*, *estque ipsius* Asaph *admonentis ne quis superbus de se præsumat*, *ne item humilis de Deo desperet.*

COnfitebimur *de peccatis præteritis* tibi *pio indultori*, Deus, * *quia tibi soli peccavimus*: confitebimur *etiam confessione laudis pro beneficio nostræ justificationis*, et invocabimus nomen tuum *pro aliis beneficiis obtinendis.*

Narrabimus *toto orbe terrarum* mirabilia tua, * *quæ pro redemtione humani generis fecisti* : cùm accepero (*inquit Christus*) tempus *præfinitum judicandi*, *tunc* ego *Christus* justitias judicabo, *reddendo unicuique secundum merita sua.*

Liquefacta est terra, *& defluxit in varias vitiorum concupiscentias* : et omnes *mundi amatores*, qui habitant in ea, * *non suspirant ad cœlestia*, *sed in terrenis volutantur* : *unde* ego (*inquit Dominus*) *in remedium* confirmavi *per*

meam

meam incarnationem columnas ejus, & *emisi Apostolos, qui prædicatione sustentent simpliciores in fide.*

Dixi iniquis & *insanis peccatoribus:* Nolite iniquè agere, * & *in peccatis perseverare* : et delinquentibus *atque peccata defendentibus dixi* : Nolite *præsumere de viribus vestris*, & exaltare cornu *vestrum superbiæ contra Deum.*

Nolite extollere *per superbiam* in altum *cœlum* cornu vestrum * & *proprium sensum, repugnando verbo Dei:* nolite loqui *nec corde nec lingua* adversus Deum *murmurantes*, *vestram excusando* iniquitatem, & *Deum vel fatum accusando.*

Quia neque ab oriente *erit refugium peccatoribus*; neque ab occidente & *angulis mundi*, neque à desertis & *extremis* montibus, * *quispiam evadet manus Domini* : quoniam Deus *ubique præsens* judex est, *omnia cernens, omnia dijudicans.*

Hunc *superbum* humiliat *dejiciendo*, et hunc *humilem* exaltat * *sublimando:* quia calix *continens mensuram justæ retributionis est* in manu & *potestate* Domi-

mini, *secundum ejus divinam voluntatem: calix, inquam*, vini meri *& puri absque fæculentia alicujus tristitiæ, sed etiam* plenus misto *vino. Aliis enim dabitur vita per misericordiam, aliis mors per justitiam.*

Et inclinavit *calicem, effundendo* ex hoc, *per mixturam quam continet*, in hoc; *temperando misericordiam & judicium*: verumtamen fæx ejus *calicis & pœna & vindicta* non est exinanita * *& evacuata, sed eam* bibent *in inferno* omnes peccatores terræ. *Quippe merum datur sanctis in patria, mistum justis in via: nil ergo restat malis, nisi fæx æternæ damnationis.*

Ego autem annuntiabo *Dei virtutem* in sæculum * *vitæ præsentis; &* cantabo *in lætitia cordis* Deo Jacob, *populi Christiani qui vitia supplantat.*

Et omnia (*inquit Christus*) cornua peccatorum, *quæ sunt dignitates, potestates, honores, divitiæ, superbia*, confringam * *in finali judicio, ad nihilum redigendo*: et exaltabuntur *tunc* cornua justi, *scilicet fides, caritas, ceteræque virtutes, quæ sunt munera Christi.*

ORA-

ORATIO.

Deus, qui justitias judicabis, redditurus unicuique secundum opera sua: miserere nobis peccatoribus tibi confitentibus, & divinum nomen tuum invocantibus. Conserva nos, ne delinquamus, ne iniquè agamus, ne exaltemus in superbia cornu nostrum, de nobis ipsis præsumendo: ut sic tandem de calice vini meri & gaudii pleni bibere valeamus in beatitudine æterna. Amen.

PSALMUS LXXV. [*sec. Hebr. LXXVI.*]

In finem *& Christum* in carminibus *& laudibus est* Psalmus *ipsius* Asaph, *&* canticum *in organis*, ad Assyrios *& ad omnes rectè vivere volentes.*

NOtus *est* in Judæa *vera, spiritali, & Ecclesia catholica* Deus, * *quæ confitetur Christum venisse de tribu Juda: etiam* in *unoquoque* Israël *fideli* magnum nomen ejus, *quia Christum confitetur regem regum & dominum dominantium.*

Et *sic* factus est in pace *& corde* *tran-*

tranquillo cum Deo locus ejus * *Dei, qui est amator pacis* : et habitatio ejus *est* in Sion, *in eis qui jam divina speculantur.*

Ibi, *in illa pace*, confregit & *ad nihilum redegit* potentias arcuum, * *videlicet delectationem in peccatis*; scutum, *malam voluntatem*; gladium, *actum peccandi*; et bellum, *consuetudinem peccandi* : *quibus Deus continuè impugnatur. Hæc enim sunt armatura diaboli.*

Illuminans *es* tu, *Christe*, *corda gentium & peccatorum* mirabiliter *per prædicationem prolatam* à montibus æternis, * *ab Apostolis & prædicatoribus sanctis* : turbati *inde* sunt omnes *recedentes à vero &* insipientes corde, *sequentes desideria mundi.*

Dormierunt *amatores sæculi hujus* somnium suum * *deliciosum & fallax*; et nihil invenerunt, *postquam expergefacti sunt*, omnes viri & *servi* divitiarum & *potentes hujus sæculi* in manibus suis : *quia evanuerunt cuncta, tamquam umbra & fumus.*

Ab increpatione & *objurgatione* tua, *Christe, qui es* Deus Jacob, * *populi Chri-*

Christiani supplantantis vitia, dormitaverunt, *excæcati sunt & obdurati*, qui ascenderunt equos *superbiæ*, *jactantes se in dignitatibus*, *divitiis*, *& potestatibus.*

Tu, *Domine*, *qui modò increpas in misericordia*, terribilis *in judicio futurus* es : et *tunc* quis resistet tibi, * *cùm infinita sit tua virtus*? ex tunc, *cùm veneris judicare*, *apparebit* ira tua *magna nimis.*

De cœlo, *tonante tuba angelica*, auditum fecisti *adventum tuum ad* judicium : * *Surgite vos*, *mortui.* Terra tremuit *à voce judicis*, et quievit (*quia amplius non erit locus meriti*);

Cùm exurgeret in *extremum* judicium *Christus* Deus, * *venturus non solum ad vindicandum impios*, *sed etiam* ut salvos faceret omnes *humiles & mansuetos* terræ, *simplices ac mites*, *pacem mentis habentes.*

Quoniam cogitatio *prima* hominis *mansueti* confitebitur tibi, * *ut dimittas illi peccata*; et reliquiæ cogitationis *hujus quod Deus ipsos sanaverit*, *& peccata dimiserit*, diem festum *solemnem*

agent

agent tibi, *& gratias referent pro beneficiis.*

Vovete *liberè : vota tamen, quæ fecistis, persolvite* et reddite Domino Deo vestro, * *qui non irridetur*, omnes qui in circuitu ejus, *cùm ipse sit in medio*, affertis munera, *videlicet vos ipsos, aut alia bona.*

Terribili, *inquam, Deo reddite vota*, et ei qui aufert, *quando vult*, spiritum *ipsorum* principum * *atque audaciam superborum* : terribili, *inquam*, apud *omnes* reges terræ; *qui, velint, nolint, judicium ejus sustinebunt.*

ORATIO.

Terribilis Deus, cui resistere nemo potest, cùm sis rex regum & dominus dominantium : fac tranquillum cor nostrum & pacatum coram te, ut sit habitatio tua in nobis : atque illuminare digneris nos insipientes, ut votis ac muneribus te terribilem Deum placare studeamus, &, præsentia contemnentes, futuram gloriam inquiramus. Amen.

PSALMUS LXXVI. [*sec.Hebr.LXXVII.*]

In finem *Christum, qui est præmium* no-

nostri laboris, pro Idithun *transiliente atque contemnente omnia terrena atque carnalia*, *est hic* Psalmus *ipsius* Asaph *cantoris David.*

VOce mea *ab affectu cordis* ad Dominum *Deum* clamavi,* *ut exaudiat*: voce mea *supplici* ad Deum *pervéni*; et intendit mihi, *quia benignè me respexit.*

In die tribulationis meæ, *atque in hac præsenti vita*, *quæ est tentatio super terram*, Deum exquisivi, *auxilium & consolationem postulans*, *etiam cum* manibus *atque operibus* meis *bonis*, *quæ divinis conveniunt mandatis*: *exquisivi, inquam*, *in* nocte *hujus sæculi* contra eum * *& coram ipso*, *& non coram hominibus in vana gloria*: et non sum deceptus, *quia assequutus sum Dominum, quem quærebam.*

Renuit *in deliciis hujus sæculi* consolari anima mea, * *quæ semper ad Dominum suspirabat* : *unde* memor fui Dei, *considerando ejus mansuetudinem & pietatem*; et delectatus sum *in ipsius misericordia*, et *inde* exercitatus sum *in divinis laudibus* : et defecit, *ex devotione*,

ſpiritus meus *in Deum.*

Anticipaverunt, *præ formidine peccatorum*, vigilias *nocturnas* oculi mei, * *ante tempus ſurgendo ad orandum*: turbatus ſum *de humana miſeria*, et non ſum locutus *contra Deum murmurando.*

Cogitavi *ac ſollicitè ruminavi* dies antiquos, * *præteritos in perditione temporis*: et annos æternos *futuros, quibus vel gaudia vel ſupplicia æterna erunt*, in mente *ſemper* habui.

Et meditatus ſum nocte *in oratione ſecreta*, cum corde meo * *& cum ratione, de benignitate Dei*: et exercitabar, *jam peccata arguens, jam Dei miſericordiam requirens*: et *ſic* ſcopebam *atque purgabam* ſpiritum meum *ab omnibus culpis, & Dei offenſis.*

Numquid in æternum *ſine remedio* projiciet *& damnabit* Deus * *hominem, quem creavit & redemit*? aut non apponet *adjicietque* ut complacitior ſit *miſerendo, qui iratus fuit puniendo* adhuc? *immò apponet miſericordiam iræ.*

Aut in finem *totaliter* miſericordiam ſuam abſcindet * *à nobis, ut nolit poſthac miſereri*, à generatione *hac* in

ge-

generationem *ſubſequentem*?

Aut obliviſcetur miſereri *nobis* Deus, * *qui totus benignus eſt*, *&* *præſtabilis ſuper malitia*? aut continebit in ira ſua miſericordias ſuas, *ut judicium ſeveritatis ſupergrediatur miſericordias ſuas infinitas*? *certè non.*

Et *poſt hæc*, *redeundo ad rationem*, dixi *in corde meo*: Nunc *primum* cœpi * *intelligere quod* hæc *eſt* mutatio *in me* dexteræ excelſi, *atque effectus divinæ miſericordiæ & pietatis*, *qui poſt iram dat gratiam.*

Memor fui operum Domini, * *quia hujus mutationis obliviſcor*: quia memor ero ab initio *mundi* mirabilium tuorum, *quod hominem creaſti*, *&* *per miſericordiam reparaſti.*

Et meditabor *mecum* in omnibus operibus tuis, * *quæ ſunt miſericordia & juſtitia*, *pietas & ſeveritas*: et in adinventionibus tuis *ad noſtram ſalutem pertinentibus* exercebor, *agnoſcendo opera gratiæ & potentiæ tuæ.*

Deus *Pater*, in ſancto *filio tuo eſt* via tua, *qua itur ad te*: *quia nemo venit ad Patrem niſi per Filium.* Quis

Deus magnus *virtute*, ſicut *Dominus* Deus noſter * *Jeſus Chriſtus*? tu es Deus *bonus & omnipotens*, qui facis mirabilia, *ſanans corpora à languoribus, & animas à peccatis.*

Notam feciſti, *Domine*, in populis *totius orbis* virtutem tuam, * *quando in mundum miſiſti filium tuum Chriſtum*: redemiſti in brachio & *filio* tuo populum tuum, *ipſos* filios Jacob *electos de Judæis*, et *filios* Joſeph *electos de Gentibus.*

Viderunt & *cognoverunt* te aquæ & *generationes populorum*, Deus, (*quia, ſicut aqua labitur, ita generatio præterit, generatio ádvenit*). Viderunt te aquæ, * *populi de Judæis & de Gentibus*: et timuerunt *omnipotentiam tuam* et turbatæ ſunt abyſsi, *ſeu conſcientiæ motæ ad pœnitentiam.*

Multitudo *eorum eſt velut* ſonitus aquarum * *multarum, in confeſsionibus peccatorum, in gemitibus, in hymnis, & canticis*: vocem dederunt *ſuis prædicationibus* nubes, *ipſi Apoſtoli, prædicando Chriſtum per orbem terrarum.*

Etenim ſagittæ tuæ & *verba ſacræ*

Scri-

Scripturæ transſeunt * *& diſcurrunt ab ore prædicatorum ad corda audientium, unde punguntur ad pœnitentiam* : vox tonitrui tui, *terribilis peccatoribus*, *circulariter* in rota *facta eſt*, *quia in omnem terram exivit ſonus eorum.*

Illuxerunt *& notæ ſunt* coruſcationes tuæ, *virtutes & miracula*, orbi terræ : * *ex quibus* commota eſt *ad pœnitentiam & fidem* et contremuit terra, *in timore Dei.*

In mari, *apud Gentiles*, *prædicata eſt* via tua *& obſervatio mandatorum tuorum* : et ſemitæ tuæ, *quibus ſecurè pertranſitur mare hujus ſæculi*, *ſunt* in aquis multis * *& populis diverſarum gentium* : et veſtigia tua non cognoſcentur, *quia ratio humana non aſſequitur judicia tua in pios & impios.*

Deduxiſti *fideliſsimus paſtor*, ſicut oves *in caulas*, populum tuum * *electum*, in manu Moyſi et Aaron ; *dando eis doctores & duces*, *juxta verbum tuum.* [*Exod.* 14. 29.]

ORATIO.

Domine JESU CHRISTE, qui ēs via

in exemplo, veritas in promiſsis, vita in præmio : ne projicias in æternum à tua gratia & conſolatione quos creaſti & redemiſti : ne contineas in ira miſericordias tuas. Sed deduc populum tuum Chriſtianum, ſicut oves in câulas, per ſemitas mandatorum tuorum, ad conſortium beatorum. Qui cum Patre & Spiritu Sancto vivis & regnas &c.

PSALMUS LXXVII. [*ſec.Heb.LXXVIII.*]

Intellectus *& eruditio ipſius* Aſaph. *Fit recordatio beneficiorum Dei & mirabilium operum quondam populo Judaico exhibitorum, monens ne ſimus ingrati divinis beneficiis.*

ATtendite *& corde percipite*, popule meus *Chriſtiane*, *quem meo ſanguine acquiſivi*, legem meam * *euangelicam* : inclinate *humiliter* aurem veſtram, *tam corporis, quàm cordis*, in verba *euangelica* oris mei, *quæ ore proprio prædicavi.*

Aperiam in parabolis *& ſimilitudinibus* os meum, * *ut impii credant, & pii exerceantur* : loquar propoſitiones,

æni-

ænigmata, & obſcuritates, ab initio *legis datæ.* [*Matth.* 13. 34.]

Quanta *Dei beneficia* audivimus *in Veteri Teſtamento*, et cognovimus *tandem* ea * *in Novo Teſtamento*: et patres noſtri, *qui ſunt Apoſtoli & Euangeliſtæ*, narraverunt nobis *præcepta*, *beneficia*, *& mirabilia tua.*

Non ſunt occultata *neque abſcondita* à filiis *ſpiritualibus & imitatoribus* eorum * *Apoſtolorum*, in generatione *noſtra hac*: *quæ eſt* altera *à Judæis*, *cùm apud nos ſit regeneratio.*

Narrantes *ſcilicet* laudes Domini, *& facta Jeſu Chriſti*, et virtutes ejus, * *videlicet humilitatem*, *paupertatem*, *caritatem*; et mirabilia *opera* ejus quæ fecit *in Jeruſalem & Judæa.*

Et ſuſcitavit *atque in lucem produxit* teſtimonium *reſurrectionis ejus* in Jacob, * *& populum Chriſtianum qui luctatur contra vitia*: et legem *euangelicam*, *conſtitutam in caritate*, poſuit in Iſraël, *quæ eſt ſancta Eccleſia catholica*, *videns Deum per fidem.*

Quanta *& quàm magna* mandavit *Deus* patribus noſtris, *Apoſtolis aliiſque*

discipulis, nota facere ea *atque docere* filiis suis * *quos in Christo generarent per Euangelium*; ut cognoscat *atque intelligat* generatio altera *futura*, *ne umquam ignorent posteri legem Dei.*

Filii *scilicet* qui nascentur *in baptismo ex aqua & Spiritu Sancto*, et exurgent * *à carnalium affectu*, *sursum cor habentes*, *qui* et narrabunt *Dei legem* filiis, *successoribus* suis *Christianis*,

Ut *ipsi filii* ponant *solùm* in Deo spem *& fiduciam* suam, *nihil de se ipsis præsumentes*; et non obliviscantur operum Dei, * *videlicet creationis*, *recreationis*, *& extremi judicii*; et mandata ejus exquirant *impleantque*, *ut fides per dilectionem operetur.*

Ne fiant *aut sint*, sicut patres eorum * *carnales*, generatio *dura*, prava, *rebellis*, et *Deum* exasperans *irritansque in iracundiam.*

Generatio *perversa*, quæ non direxit cor suum * *ad sequendum Christum*; et non est creditus cum Deo, *quia non adhæret illi*, spiritus ejus *sincerè*, *fideliter*, *ac piè.*

Filii Ephrem, *increduli Israëlitæ*,

in-

intendentes *armati* et mittentes arcum * *contra verbum Dei*, conversi sunt, *& in Ægyptum redire deliberaverunt*, in die belli *& tempore adversitatis.*

Non custodierunt *fœdus &* testamentum Dei * *vivi quod pepigerunt in deserto*: et in lege ejus noluerunt ambulare *perficiendo & perseverando.*

Et obliti sunt *omnino* benefactorum ejus * *& beneficiorum Dei*, et mirabilium *operum* ejus quæ *multis vicibus* ostendit eis: *quia ingrati fuerunt de omnibus.*

Coram patribus eorum, *Moyse & Aaron*, fecit mirabilia, *immittendo decem plagas* in terra Ægypti: * *& præcipuè* in campo *& planitie* Taneos *civitatis regiæ.*

Interrupit *atque divisit* mare Rubrum, et perduxit eos, * *ut transirent sicco pede*: et statuit *utrimque* aquas *elevatas instar parietum*, *&* quasi in utre *de corio clausæ continebantur aquæ.* [*Exod.* 14. 22.]

Et deduxit eos *Israëlitas* in nube diei, * *pro refrigerio ab ardore solis*; et tota

tota nocte in illuminatione *& columna* ignis, *ut viam in tenebris viderent.* [*Exod.* 13. 21.]

Interrupit *sciditque* petram *durissimam* in eremo, * *& inde fluxit aqua:* et adaquavit eos *largissimè*, velut in abysso multa, *quamdiu erant in itinere.* [*Psalm.* 104. 41. *Exod.* 17. 6.]

Et eduxit aquam *dulcem* de petra * *illa dura*, et deduxit tamquam flumina *magna* aquas *multas.*

Et *tamen ingrati* apposuerunt adhuc *murmurando* peccare ei, * *per incredulitatem*: *unde* in iram excitaverunt excelsum *Deum*, in inaquoso *& sicco deserto.*

Et tentaverunt *ex certa malitia* Deum *cœli* in cordibus suis, * *Dei providentiæ non credentes*, ut peterent escas *& carnem* animabus suis *ad sustentationem vitæ.*

Et *tunc* malè locuti sunt de Deo, * *diffidentes de ejus omnipotentia*: dixerunt, *jam saturi manna*: Numquid poterit Deus *noster* parare mensam *& refectionem splendidam carnium* in *hoc* deserto, *sicut habuimus in Ægypto?* [*Num.*

[*Num.* 11. 4.]

Quoniam *ecce* percuſsit *per Moyſen* petram *in deſerto Sin*, et fluxerunt aquæ * *abundanter*, et torrentes *aquarum* inundaverunt *in magna copia.* [*Num.* 20. 11.]

Numquid et panem *de frugibus* poterit dare * (*quia* jam *faſtidimus manna*), aut parare menſam *&* *refectionem* populo ſuo? (*Eſt dubitativa locutio.*)

Ideo audivit Dominus *eorum petitionem*, et diſtulit * *pœnam & vindictam infligere eis*: *ſed*, *poſtquam dedit*; et ignis *& furor Dei* accenſus eſt in Jacob *ad punitionem*, et ira *Dei* aſcendit in Iſraël *populum illum*. [*Num.* 11. 1.]

Quia non crediderunt in Deo * *quod duceret eos in terram promiſsionis*, nec ſperaverunt in ſalutari ejus, *qui eos de Ægypto redemtos ſalvare promiſerat.*

Et mandavit nubibus deſuper, * *unde manna datum eis pro pane*; et januas *atque vias* cœli *ætherei* aperuit, *ut plueret manna.*

Et pluit illis, *in modum roris*, manna,

na, *cibus admirabilis*, ad manducandum * *in escam*: et panem *suavissimum* cœli *aërei* dedit eis *affluenter*. [*Exod.* 16. 4. *Num.* 11. 6. & *seqq.*]

Panem, *ministerio* Angelorum *formatum*, manducavit homo * *in alimoniam*: cibaria *etiam alia* misit eis, *non tantùm manna*, in abundantia, *adeò ut fastidirent*. [*Joan.* 6. 31. 1.*Corinth.* 10.3.]

Transtulit Austrum, *ne flaret* de cœlo * *aëreo*; et induxit in virtute & *fortitudine* sua *ventum* Africum, *qui arreptas coturnices deferret trans mare.* [*Num.* 11. 31.]

Et pluit super eos *in deserto*, sicut pulverem, *valde abundanter* carnes * *vivas*: et sicut arenam maris, *quæ numerari non potest*, volatilia pennata & *suavissimas coturnices.*

Et ceciderunt in medio castrorum eorum * (*quia duobus cubitis super terram volitabant*) circa tabernacula eorum, *ut ab omnibus possent capi.*

Et manducaverunt *sine gratitudine*, et saturati sunt nimis *usque ad nauseam*, et desiderium eorum attulit eis * *abundan-*

dantiam : non ſunt fraudati à deſiderio ſuo. *Satisfactum eſt gulæ eorum*, *ne murmurarent increduli.*

Adhuc eſcæ eorum, *ſcilicet coturnices*, erant in ore ipſorum, * *nondum trajecerant in ſtomachum* ; et *ecce* ira & *furor* Dei aſcendit ſuper eos, *ob murmur & ingratitudinem.*

Et occîdit pingues eorum, * *repletos divitiis* ; et electos *in* Iſraël, *principales & magnos*, impedivit *ne ingrederentur terram promiſsionis.*

In omnibus his *non correcti*, *ſed obſtinati*, peccaverunt adhuc * *ex nimia ingratitudine* ; et non crediderunt *promiſsionibus ejus*, in *omnibus* mirabilibus *factis* ejus.

Et *ideo* defecerunt & *conſumebantur* in vanitate-*ſpei* dies *vitæ* eorum * *murmurantium* ; et anni eorum *perierunt* cum feſtinatione : *quia omnes mortui ſunt in deſerto*, *exceptis duobus.*

Cùm *Deus* occideret eos *murmurantes* ; *tunc alii* quærebant eum * *implorando auxilium*, et revertebantur *ad pœnitentiam*, et diluculo *atque feſtinanter* veniebant ad eum, *miſericor-*

diam

diam petendo.

Et rememorati ſunt *atque recordati* quia Deus adjutor eſt *& cooperator* eorum * *in bonis*, et Deus excelſus redemtor *& liberator* eorum eſt *à malis.*

Et dilexerunt eum *tantùm* in ore ſuo, * *verbo & non corde*: et linguâ ſuâ, *qua dixerunt præcepta ejus velle ſervare*, mentiti ſunt ei, *quia ſtatim relapſi ſunt.*

Cor autem eorum *intrinſecùs* non erat rectum cum eo, * *quia idola colere deſiderabant*: nec fideles habiti ſunt *& conſtantes* in teſtamento ejus *& præceptis faciendis.*

Ipſe autem *Deus* eſt miſericors, *quia ejus proprium eſt miſereri & parcere*; et propitius fiet peccatis eorum, * *exſpectando pœnitentiam*, et non diſperdet *neque delebit* eos *omnino.*

Et abundavit *patientia ejus, in tantum* ut averteret iram *& vindictam* ſuam * *ab eis*; et non accendit omnem iram ſuam: *quia citra condignum punivit eos.*

Et recordatus eſt *Deus* quia caro ſunt, * *fragiles, & proni ad lapſum*:

ſpi-

ſpiritus *hominis eſt* vadens *per ſe in peccatum*, et non rediens *neque reſurgens à peccato niſi gratia adjutus divina.*

Quoties (*ſine numero*) exacerbaverunt *&* *provocaverunt* eum in deſerto * *ad vindictam? &* in iram concitaverunt eum *ut mala eis faceret*, in inaquoſo, *ubi aqua non erat?*

Et *poſt fictam eorum pœnitentiam* converſi ſunt *ad idololatriam*: et tentaverunt Deum, * *de beneficiis ejus ingrati*, et ſanctum *Deum* Iſraël *ſanctificantem* exacerbaverunt *verbis & factis.*

Non ſunt recordati, *immemores beneficiorum*, manus *&* *poteſtatis* ejus * *Dei*, *in* die qua redemit *atque liberavit* eos de manu *& tyrannide* tribulantis *Pharaonis.*

Sicut *& qualiter* poſuit in Ægypto ſigna ſua, * *& decem plagas quibus percuſsit Ægyptum*; et *etiam* prodigia ſua *ſtupenda* in campo Taneos, *coram rege & primoribus regni.*

Et convertit in ſanguinem flumina eorum * *Ægyptiorum*, et imbres *atque aquas pluviales* eorum, ne biberent.

[Ex-

[*Exod.* 7. 20.]

Misit in eos *Ægyptios* cœnomyïam, *muscam caninam*, et comêdit eos * *mordendo atque pungendo*: et *etiam* ranam *immisit*, et disperdidit eos, *quia ranæ erant in penetralibus ipsorum.* [*Exod.*8. 24. & 6.]

Et dedit ærugini, *vento urenti qui corrumpit segetes*, fructus eorum, * *qui sponte nascebantur*: et labores *agriculturæ* eorum *comederunt* locustæ. [*Exod.* 10. 15.]

Et occîdit *mortificando* in grandine vineas eorum, * *vites destruendo*: et moros eorum in pruina & *nocturno frigore congelante.* [*Exod.*9. 25.]

Et tradidit grandini *interficienda* jumenta eorum * *quæ erant in campis*, et possessionem eorum igni & *fulgoribus: unde depauperavit eos.* [*Exod.*9. 6.]

Misit in eos *Ægyptios* iram indignationis suæ * *per plagas dictas*: indignationem, & *punitionem*, et iram, et tribulationem, & *angustiam*: immissiones per angelos malos, *occultè & in tenebris eos vexantes & terrentes.*

Viam fecit, *puniendo Ægyptios*, semi-

mitæ iræ ſuæ, *declinando ab Hebræis*: & non pepercit à morte animabus eorum, * *immò interfecit primogenitos*; et jumenta eorum *Ægyptiorum* in morte concluſit *occidendo*.

Et percuſsit *una nocte* omne primogenitum, *tam de hominibus, quàm de animalibus*, in terra Ægypti * (*& hæc fuit decima plaga*): primitias *etiam vaſtavit* omnis laboris eorum, *quæ vel ad victum, vel ad ſolatium habebant*: & *hoc* in tabernaculis & *domibus Ægyptiorum*, *de* Cham *deſcendentium*. [*Exod.* 12.29.]

Et abſtulit, *liberando de domo ſervitutis*, ſicut oves *tranquillas, ſine tumultu pugnæ*, populum ſuum * *Iſraël*: et perduxit eos, tamquam *paſtor* gregem *ſuum*, in deſerto.

Et deduxit eos *per deſertum* in ſpe *perveniendi in terram promiſsionis*, et non timuerunt * *exercitum Pharaonis*: et inimicos eorum *inſequentes eos* operuit mare, *ſumergendo in mediis fluctibus*. [*Exod.* 14. 27.]

Et induxit eos *Hebræos* in montem ſanctificationis ſuæ, * *in Jeruſalem*,

ubi templum ſuo nomini ſanctificari voluit : montem *Moria* , quem acquiſivit, *non gladius eorum* , *ſed* dextera ejus *&* *divina virtus.*

Et ejecit *de terra promiſsionis* , à facie *& præſentia* eorum *Judæorum* gentes *Chananæas*: * et ſorte diviſit eis terram *illam* in funiculo diſtributionis, *ſecundum menſuram diviſionis quam ipſe ordinaverat.* [*Joſue* 13. 6. *&* 7.]

Et habitare fecit *confidenter* , in *domibus* , tabernaculis , *& villis* eorum* *ſeptem populorum* , tribus Iſraël *& filios Abrahæ.*

Et *tamen poſt tanta beneficia* tentaverunt , *adhuc diffidentes de divina virtute* , et exacerbaverunt Deum excelſum , * *cujus potentiam ſenſerant* ; et teſtimonia *atque mandata* ejus non cuſtodierunt , *ſicut promiſerant.*

Et averterunt ſe *à Deo* , et non ſervaverunt pactum * *& legem quam pepigerant obſervare* : *ſed* , quemadmodum patres eorum *adoraverunt vitulum* , *itidem & ipſi* converſi ſunt *ad idololatriam* , in arcum pravum , *ob promtitudinem ad male agendum.*

In iram *&* *vindictam* concitaverunt *atque provocaverunt* eum *Deum ſuum; cùm* in collibus *&* *locis* ſuis * *excelſis, ritu Gentilium*, *immolarunt*: et, in ſculptilibus ſuis *idola colentes*, ad æmulationem, *zelum*, *&* *indignationem*, eum provocaverunt.

Audivit *&* *advertit* Deus *populi nequitiam*, et ſprevit * *atque contemſit*: et ad nihilum redegit valde Iſraël, *tradens eam in captivitatem Gentium.*

Et repulit, *pro idololatria eorum*, tabernaculum *quod habebant in* Silo, * *ubi arca Domini capta fuerat*: tabernaculum ſuum *electum*, ubi habitavit in hominibus, *quia ibi reſponſa dabat.* [1. Reg. 4. 4.]

Et tradidit *permittendo* in captivitatem *Philiſthinorum* virtutem eorum, * *videlicet arcam teſtamenti*; et pulcritudinem eorum (*quia per arcam videbantur fortes*, *&* *reddebantur honorati ab omnibus*) in manus inimici *Philiſthæi.*

Et concluſit *permittendo* in gladio *Philiſthæorum* populum ſuum * *Judaicum*: et hereditatem ſuam, *quam elegerat*, ſprevit, *quia ſpreverunt eum.*

Juvenes eorum *bellatores* comedit, *vastavit*, ignis * *& ferrum* : et virgines eorum non sunt lamentatæ, *quia quivis quærebat locum fugiendi.*

Sacerdotes eorum *Ophni & Phinees* in gladio ceciderunt, * *propter abusum divini cultus* : et viduæ eorum non plorabantur, *propter perturbationem.*

Et, *post has afflictiones*, excitatus est tamquam dormiens Dominus * (*quia cœpit misereri tribulatis*, *& auxilium præstare*), *&* tamquam potens *& fortis* crapulatus à vino; *dum*, *pœnâ erudiente*, *suam culpam agnoscebant.*

Et percussit *postea* inimicos suos *Philisthæos* in posteriora * *natium*, *ubi computrescebant* : opprobrium sempiternum dedit illis, *quia est in sempiterna memoria eorum pœna probrosa.*

Et repulit *atque abominatus est* tabernaculum *& familiam* Joseph, * *ne inde esset rex* : et tribum Ephraim *similiter* non elegit *ut inde nasceretur rex.*

Sed elegit, *propter David*, tribum Juda * *pro regia dignitate*; *&* montem Sion *pro sede regni*, quem dilexit

xit *ad cultum ſuum.*

Et ædificavit *ipſe Deus*, ſicut unicornium, *ſcilicet Judæorum Deum unum colentium*, ſanctificium *& templum* ſuum *toto orbe ſpectabile*, in terra * *Judæa*, quam fundavit *pro ſede regali* in ſæcula *& in æternum.*

Et elegit David *in regem* ſervum ſuum *de tribu Juda*: et ſuſtulit *& exaltavit* eum de gregibus *& caulis* ovium, * *quia de paſtorali officio: &* de *eo ubi erat ſequens* poſt fœtantes *oves* accepit eum, *quia paſcebat oves quando vocatus fuit ut ungeretur in regem,* [1. Reg. 16. 12.]

Páſcere *& dignè régere* Jacob ſervum ſuum, * *populum videlicet qui de Jacob ſervo deſcendit*, et Iſraël hereditatem ſuam *ſibi peculiariter electam.*

Et pavit, *educavit* eos, *& rexit* in innocentia cordis ſui, * *in puritate conſcientiæ*: et in intellectibus manuum ſuarum, *prudenter agens in operibus ſuis*, deduxit eos *per vias juſtitiæ & veritatis.*

ORATIO.

Deus, qui mirabilia opera & beneficia multa olim Judaico populo exhibuisti, in quibus semper ingrati, rebelles, & increduli exstiterunt: fac nos populum tuum, ex aqua & Spiritu renatos, dirigere cor nostrum ad mandata tua, & exquirere ea, & adhærere sincerè ac piè Spiritui tuo; ut tandem, vitiis supplantatis, in cœlesti Jerusalem commutemur.

PSALMUS LXXVIII. [*sec.Heb.LXXIX.*]

Psalmus *iste est ipsius* Asaph, *deplorantis Jerusalem vel Ecclesiæ devastationem.*

DEus *omnipotens*, venerunt Gentes *infideles non timentes te* in hereditatem tuam, *& in terram promissionis*: polluerunt *immunditiis* templum sanctum tuum, * *adorando in eis idola sua*: posuerunt Jerusalem *quasi tugurium vile* in pomorum custodiam, *quod hortulani de frondibus componunt.*

Posuerunt morticina *& cadavera* oc-

occiſorum ſervorum tuorum *in* eſcas volatilibus cœli, * *relinquendo ea inſepulta* : *&* carnes ſanctorum tuorum *dederunt* beſtiis terræ *ad devorandum.*

Effuderunt ſanguinem *innocentem* eorum *ſanctorum*, tamquam aquam, *ita abundanter & viliter*, in circuitu Jeruſalem, * *circumquaque* : et non erat qui ſepeliret, *præ multitudine occiſorum.*

Facti ſumus *in deſpectum &* opprobrium *magnum* vicinis noſtris * *Philiſthæis* : ſubſannatio, et illuſio, *& deriſio* his *inimicis* qui in circuitu noſtro ſunt.

Uſquequo *tu*, Domine *Deus*, iraſcêris, *nos puniendo*? *ne ſit uſque* in finem * *& perpetuò*: *uſquequo* accendetur *& ardebit*, velut ignis *omnia conſumens*, zelus tuus *& indignatio tua*?

Effunde *& retorque* iram *atque vindictam* tuam *divinam* in gentes *idololatras*, quæ te non noverunt, * *neque credunt te eſſe Deum*; et in regna *diverſa* quæ nomen tuum *divinum* non invocaverunt, *ſed tantùm nomina idolorum & dæmoniorum ſuorum.* [*Jerem.* 10. 25.]

Quia *crudeliter* comederunt, *& sicut cibum consumserunt, captivando & occidendo, populum de* Jacob * *descendentem*; et locum ejus, *civitatem & templum*, desolaverunt *vastando*.

Ne memineris *ad puniendum* iniquitatum nostrarum antiquarum, *quia sæpius peccavimus*: citò anticipent *& præveniant* nos misericordiæ tuæ, * *ut liberemur ante mortem*, quia pauperes, *miseri, & indigentes* facti sumus nimis, *& impotentes ad satisfaciendum pro peccatis*.

Adjuva nos, *quia sine te nihil possumus*, Deus salutaris *& salvator* noster, *qui non in nostris sed in tuis virtutibus confidimus*: et propter gloriam nominis tui *amplificandam*, Domine Deus, libera nos * *à malis omnibus*: et propitius esto peccatis nostris, *sine quibus in hac vita non sumus*, propter nomen tuum, *non propter meritum nostrum*.

Ne fortè *impii* dicant in gentibus *& inter Gentiles*: Ubi est Deus eorum? * (*quasi dicerent: vel non est, vel, si est, adjuvare non potest*); et innotescat

vin-

vindicta tua in nationibus *perfidis*, & coram oculis noſtris *de tua majeſtate gratulantibus*.

Ultio ſanguinis *piorum* ſervorum tuorum, qui *abundanter* effuſus eſt, * *clarè appareat*: *etiam* introëat in conſpectu tuo *divino* gemitus & *afflictio* compeditorum *qui captivi tenentur, ut liberentur tandem*.

Secundum magnitudinem & *potentiam* brachii tui * & *fortitudinis tuæ*, poſside, & *defende*, & *relinque* filios *poſteriores*, & *imitatores* mortificatorum, *qui pro veritatis defenſione occiſi ſunt*.

Et redde vicinis noſtris *Philiſthæis & aliis gentibus* ſeptuplum, *in vindictam perfectam*, in ſinu & *ſecreto pectoris* eorum, * *ut recognoſcant ſe peccaſſe*: improperium ipſorum *ſit* quod *falsò* exprobraverunt *ſuis blaſphemiis* tibi, Domine; *ut diſcant ceteri te cólere & laudare*.

Nos autem populus tuus, *quem tibi peculiariter elegiſti*, et oves paſcuæ tuæ, * *quos docuiſti, rexiſti, & cuſtodiſti*, confitebimur tibi *gratias agen-*

do

do in ſæculum *ſempiternum.*

In generationem *præſentem* et generationem * *ſuccedentem , quamdiu ſæculum durabit*, annuntiabimus *aliis* laudem tuam , *prædicando beneficia clementiæ & gratiæ tuæ.*

ORATIO.

Ne reminiſcaris, Domine, noſtrarum iniquitatum priorum , dum peccavimus tibi. Præveniant celeriter nos miſerationes tuæ, cùm impotentes ſimus ad ſatiſfaciendum pro peccatis noſtris. Quocirca adjuva nos, Deus, ſalvator noſter, & propitius eſto, non propter nos & merita noſtra, ſed propter nomen tuum, quod eſt JESUS, invocatum ſuper populum tuum Chriſtianum , qui ſumus oves paſcuæ tuæ. Amen.

PSALMUS LXXIX. [*ſec. Hebr. LXXX.*]

In finem *& in Chriſtum* Pſalmus *iſte nos dirigens*, *eſt* pro iis *ſeu ad utilitatem eorum* qui commutabuntur *de infidelitate ad fidem , de peccato ad pænitentiam* : *& eſt* teſtimonium Aſaph, *qui credit & confitetur Chriſtum in carne venturum* : *& cantatur* pro Aſſyriis *dirigentibus ſe ad Chriſtum.*

Qui

QUi *maximè* regis, *curas*, *&* *defendis* Iſraël, *populum Chriſtianum te videntem per fidem*, intende, * *& lumen pietatis ſuper nos infunde*: qui deducis *per doctrinam Apoſtolorum*, velut ovem, *in ſimplicitate cordis*, *ipſum* Joſeph *fidelem populum de Gentibus adauctum*.

Qui ſedes *in ſecreto majeſtatis tuæ* ſuper Cherubim * *& virtutes cœleſtes*, manifeſtare *in carne*, *& huic mundo te videndum præbe*, coram Ephraim, Benjamin, et Manaſſe, *& omnibus fidelibus in te credituris*.

Excita *&* *oſtende* potentiam *& fortitudinem* tuam, et *tandem* veni * *in carne*, ut ſalvos facias nos *de poteſtate diaboli*.

Deus, *à culpa ad gratiam* converte nos * *& ad amorem juſtitiæ tuæ*, et oſtende faciem tuam *& filium tuum*, *per quem cognoſcêris*: et *ita* ſalvi erimus *credentes in ipſum fide formata*.

Domine Deus virtutum * *humanarum & angelicarum*, quouſque iraſcêris *& iratum te oſtendes* ſuper orationem

nem ſervi tui, *differendo mittere Filium, pro quo toties rogavi?*

Cibabis nos *in hac vita* pane lacrimarum, * *flagellis, & ærumnis, affligendo ut erudiamur*: et potum dabis nobis *in tribulationibus*, in lacrimis, *& tentationibus*: *ſed hoc* in menſura, *pro viribus, ut ferre poſsimus*: *ut erudiamur, non ut opprimamur.*

Poſuiſti nos *electos tuos* in contradictionem *Gentibus* vicinis noſtris, * *quia ſcilicet te Deum verum colentibus contradicebant*: et inimici noſtri *atque hoſtes fidei* ſubſannaverunt *atque irriſerunt* nos, *quaſi colentes mortuum, adorantes crucifixum.*

Deus virtutum, *præveniente gratia* converte nos * *ad tuam legem explendam*, et oſtende faciem tuam, *& mitte Chriſtum promiſſum ſalvatorem*; et ſalvi erimus *per eumdem.*

Vineam, *populum videlicet Judaicum, quem plantaſti tibi electam vineam*, de Ægypto tranſtuliſti * *in terram promiſsionis*: ejeciſti gentes *Chananæorum*, et plantaſti, *ut agricola*, eam *vineam in quiete.*

Dux

Dux itineris fuisti *in columna nubis per diem*, in conspectu ejus, * *& in columna ignis per noctem*: plantasti radices ejus, *Patres videlicet & Prophetas, qui in cultu Dei & fide erant radicati*: et *populus ille* implevit terram *promissionis, multiplicatione prolis.*

Operuit montes *in magnâ gloriâ* umbra ejus * *vineæ, quia exaltati sunt in fama nominis*: et arbusta ejus, *id est excrementa*, cedros Dei *operuerunt, quia inde propagatæ sunt cognationes eximiæ sicut elegantissimæ cedri.*

Extendit *vinea & habitatio Judæorum* palmites suos *& comas* usque ad mare * *mediterraneum, ab occidente*; et usque ad flumen *Euphratem*, *ab oriente*, propagines *& generationes* ejus.

Ut quid *ergo* destruxisti maceriam *& sepem* ejus, * *subtrahendo protectionem ejus*; et vindemiant eam, *conculcant, atque devastant* omnes *populi* qui prætergrediuntur viam *legis & mandatorum Dei*?

Exterminavit *& devastavit* eam *vineam* aper *immundus, egressus* de silva *

in-

infidelitatis: et ſingularis ferus *atque crudelis idololatra* depaſtus eſt eam, *totaliter devaſtando.*

Deus virtutum *cœleſtium & terreſtrium*, convértere * *ab ira ad miſericordiam*, *&* reſpice *oculis clementiæ* de cœlo *cœlorum*, et vide *miſericorditer ad nos*, et viſita vineam iſtam, *ſcilicet Eccleſiam catholicam; gratiam præſtando & auxilium.*

Et perfice eam *in fide*, quam plantavit, *inchoavit*, *& ornavit* dextera *atque potentia* tua * *& propitiatio*: et *hoc* ſuper filium hominis, *Chriſtum incarnatum*, quem confirmaſti tibi *in obedientia tua pro ſalute noſtra.*

Incenſa igni *peccata provenientia ex concupiſcentia inordinata*, et *etiam* ſuffoſſa * *peccata ex timore ſervili*, ab increpatione vultus *& filii* tui, *qui imago tui dicitur*, peribunt *& delebuntur.*

Fiat manus *& operatio* tua, *ut oſtendatur potentia* ſuper virum *Chriſtum* dexteræ tuæ, * *qui coæqualis tibi eſt per divinitatem*; et ſuper filium hominis, *virginis per aſſumtionem carnis*, quem con-

confirmasti tibi, *ab æterno prædestinando pro salute nostra venturum.*

Et, *si Filium miseris*, non discedimus *ultrà* à te, *sed per fidem semper adhærebimus*: vivificabis nos * *vitâ gratiæ, qui mortui eramus peccatis*; et nomen tuum *divinum* invocabimus, *in quo solo speramus salutem.*

Domine, Deus virtutum, *qui solus potes à morte liberare*, converte nos * *ad te perfectè diligendum*: et ostende *nobis* faciem tuam, *& Verbum tuum mitte, Christum promissum redde*, et salvi erimus *per ipsum à malis omnibus.*

ORATIO.

Deus Pater omnipotens, te supplices deprecamur ut Dominum nostrum JESUM CHRISTUM, qui est imago tui, facies tua, & illuminatio vultus tui, in quo manes, & qui manet in te, osténdere nobis digneris, ut purificatis mentibus nostris dignetur illabi salvator mundi. Cui gloria & imperium tecum cum Spiritu Sancto in sæcula sæculorum. Amen.

PSALMUS LXXX. [*sec. Hebr.* LXXXI.]

In finem *& in Christum Dominum,*

pro

pro torcularibus *ſpiritualibus & preſſuris tribulationum*, *habitus* quinta *die* Sabbati, Pſalmus *iſte cantetur pro gratiarum actione* ipſi Aſaph, *fidelibus Chriſtianis, & dominicæ congregationi.*

EXultate *corde & ore* Deo adjutori noſtro, * *in bonis agendis, & malis tolerandis*: jubilate *cum gratiarum actione* Deo Jacob, *& attribuite omne bonum veſtrum illi, non vobis.*

Sumite *ſequentia inſtrumenta muſicalia*: pſalmum *& devotam orationem*, et date *atque offerte ultro* tympanum * *Deo & carnis mortificationem atque caſtitatem*: pſalterium jucundum *in verbo Dei*, cum cithara *bonarum operationum.*

Buccinate *& clangite* in Neomenia, *ſeu in novilunio*, tuba * (*Judæis dictum ad litteram, nobis ad ſpiritum*) in inſigni *& præclaro* die ſolemnitatis veſtræ, *in feſto tabernaculorum*: *hortamini mutuo ad cultum Dei verum.*

Quia *hoc* præceptum *à Deo* in Iſraël eſt * *ut gratias exhibeamus*, et judicium *contra negligentes eſt* Deo Jacob:

cob: *quia, si non feceris, morieris jam judicatus.*

In Testimonium *rei futuræ* in Joseph *seu populo Israël*, posuit illud *præceptum sub attestatione*, cùm exiret *idem populus* de terra Ægypti * *per mare Rubrum in deserto*: linguam quam non noverat, *videlicet legem per Moysen datam*, audivit, *& præcepta accepit.* [*Genes.*41. 29.]

Divertit *ac liberavit* ab oneribus, *quibus exercebat eum Pharao in luto & latere*, dorsum ejus * *populi Judaici*: manus ejus in cophino, *ubi portabant fimum & fæces*, servierunt.

In tribulatione, *dum premebaris labore & servitute*, invocasti me, et liberavi te * *in signis & prodigiis*: exaudivi *& eripui* te *de fornace & olla Ægypti*, in abscondito tempestatis, *cùm versabaris in malorum tumultibus*: probavi *& examinavi* te *utrum esses gratus & fidelis*, apud aquam contradictionis, *ubi de mea potentia desperabas.* [*Exod.*17. 5.]

Audi *atque intellige* populus meus, *cui specialem legem dedi*, et contesta-

bor te * *in conſcientia tua*: Iſraël, ſi audieris me, *obtemperando præceptis meis*; non erit in te deus recens, *neminem alium credes, amabis, aut timebis*, neque adorabis deum alienum, *alteri honorem mihi debitum impendens.* [*Exod.*20. 3.]

Ego enim, *& non alius*, ſum Dominus *& rector*, Deus *& creator* tuus, *quem ſolum debes diligere, colere, & adorare*, qui eduxi te de terra Ægypti * *& de domo graviſsimæ ſervitutis*: dilata os tuum *& deſiderium ad bonum*, et implebo illud *gratia mea, ut habeas bonum deſideratum.*

Et non audivit, *immò neglexit*, populus meus, *cui legem dedi & magna feci*, vocem *& monitionem* meam * *& verba legis meæ*: et Iſraël non intendit *neque obedivit* mihi, *immò ingratus fuit de tantis beneficiis.*

Et *idcirco* dimiſi eos *errare, ſubtrahendo gratiam meam*, ſecundum deſideria *vana* cordis eorum; * *ut agerent, non quæ mihi, ſed quæ ſibi ipſis placerent*: ibunt *& progredientur* in adinventionibus ſuis, *& affectionibus qui-*

bus-

buslibet, in propriis justitiis & dogmatibus suis. [*Actuum* 14. 15.]

Si populus meus, *cui tanta feci*, audisset me, * *obtemperando præceptis*; Israël si in viis meis ambulasset *perseveranter*, *quibus itur ad beatitudinem*: [*Baruc.* 3. 13.]

Pro nihilo & *gratis* forsitan *hostes* & inimicos eorum humiliassem, * *ad nihilum redigendo*; et super tribulantes eos *oneribus importabilibus* misissem manum *ultricem & vindictam* meam.

Inimici Domini, *Judæi*, *qui debuissent esse amici*, mentiti sunt ei, * *non reddentes promissa quibus se obligarunt in præceptis implendis*: et *ideo* erit tempus *pœnæ & punitionis* eorum, *durans* in sæcula, *in æternum*.

Et *tamen* cibavit eos *Israëlitas* ex adipe & *intima medulla* frumenti, * *ad refectionem*; et de petra melle, *videlicet de melle fluente ex petra* (*in rupibus enim terræ illius erat mel in copia*), saturavit eos, *in abundantia rerum omnium*.

ORATIO.

Domine Deus noster, qui per baptismi

gratiam liberaſti nos à ſarcina peccatorum, & deduxiſti à tenebris ignorantiæ ad mellifluam caritatem petræ qui CHRISTUS eſt: dilata ſupplicum ora ad annuntiandum gloriam tuam, neque dimittas nos ſecundum deſideria cordis noſtri: ſed, Ægyptiis operibus relictis, nominis tui confeſſione lætemur.

PSALMUS LXXXI. [*ſec.Hebr.LXXXII.*]

Pſalmus *ipſius* Aſaph *contra iniquos judices, poſtulans ſuper hoc divinam juſtitiam.*

DEus ſtetit, *qui ubique eſt*, in ſynagoga *&* *congregatione* deorum, * *principum terræ, qui ratione officii locum Dei tenent*: in medio autem, *æqualiter ſe habens ad omnes*, deos dijudicat, *diſcernens bonos à malis, & juſtos ab injuſtis.*

Uſquequo *vos, judices perverſi*, judicatis iniquitatem, * *falſam ferendo ſententiam propter munera vel favorem?* et facies *atque perſonas* peccatorum *propter eorum potentias* ſumitis, *perſonas hominum attendendo?*

Ju-

Judicate, *justitiam ferendo*, egeno et pupillo * *destitutis omni auxilio*: humilem et pauperem, *non spe munerum, sed pietatis gratia*, justificate *sine personarum acceptione.*

Eripite pauperem * *à calumniatore & oppressore*: et egenum de manu *& potestate* peccatoris *impii* liberate, *qui injurias infert.* [*Proverb.* 24. 11.]

Nescierunt, *non cognoverunt*, neque intellexerunt, *quia excæcavit eos malitia ipsorum*; *&* in tenebris *ignorantiæ & peccati* ambulant: * *unde* movebunturt*in extremo judicio* omnia fundamenta erræ, *cùm vos simile judicium à Domino sustinebitis.*

Ego *Deus deorum* dixi *ad vos judices*: Dii estis * *participatione, quia divinæ justitiæ executores*; et filii excelsi omnes: *& hocut sitis justi, æqui, perfecti, sicut pater vester qui in cœlis est.*[*Joan.* 10. 34.]

Vos autem, *qui aliter agitis*, sicut homines *peccatores* moriemini, * *& non computabimini inter filios Dei*: et, sicut unus de principibus *& angelis superbientibus*, cadetis *in profundum inferni.*

Surge *tu*, Deus *noster*, *qui vides ini-*

quos judices, judica terram, * *instrue, consolare, & redime nos Verbo tuo*: quoniam tu hereditabis *& dominaberis* in omnibus gentibus, *cùm tu solus sis rex & redemtor noster.*

ORATIO.

Præsta, quæsumus, Domine, secundum præceptum tuum ab iniquitatis judicio declinare, pauperumque necessitatibus subvenire, egenum & pupillum à calumniatore & violentia impiorum liberare, ut tandem mereamur filiorum tuorum numero in cœlis copulari: quoniam tibi potestas & imperium in sæcula. Amen.

PSALMUS LXXXII. [*sec.Heb.LXXXIII.*]

Canticum Psalmi *in jucunditate mentis est ipsius* Asaph, *populi Dei, qui hìc loquitur. Agitur de secundo Christi adventu ad judicium.*

DEus *Christe*, quis similis *in virtute & potentia* erit tibi, * *cùm judex apparebis in majestate magna*? ne taceas *dare in impios sententiam*, neque *aliqua miseratione* compescaris, Deus,

Deus, *à vindicta eorum.*

Quoniam ecce inimici tui *tumultuosis seditionibus* sonuerunt,* *contradicendo doctrinæ tuæ* : et qui oderunt te, *ut sunt membra Antichristi,* extulerunt caput, *superbiendo contra te & tuos.*

Super populum tuum *electum* malignaverunt consilium, * *ad decipiendum & opprimendum* : et cogitaverunt *astutè* adversus *justos* sanctos tuos *& bonos.*

Dixerunt, *invicem se exhortantes:* Venite, et disperdamus *atque interficiamus* eos de gente, * *& tollamus eos de mundo* : et non memoretur nomen *viri* Israël *fidelis* ultrà, *sed sic deleamus ut non remaneat hujus gentis memoria.*

Quoniam cogitaverunt, *concordantes* unanimiter, * *atque deliberaverunt:* simul *omnes* adversum te *& tuos* testamentum *& pactum firmum* disposuerunt, *ad destruendum cultum Dei.* Tabernacula *scilicet & congregationes* Idumæorum *perfidorum*, et Ismahelitæ *adversarii populi tui,*

Moab *abutens lege*, et Agareni *ad-*

venæ superbi, Gebal *hypocritæ*, et Ammon *iracundi*, et Amalec * *avari amantes terrena*, alienigenæ *ebrii deliciis mundanis*, cum *omnibus impiis* habitantibus Tyrum & *impugnantibus ſanctos.*

Etenim Aſſur *rex Aſſyriorum* venit cum illis * *perſequentibus & infeſtantibus: at hi* facti ſunt in adjutorium, *una gens alteri auxilio*, filiis Lot, *Moabitis, & Ammonitis.*

Fac illis, *puniendo eos*, ſicut *feciſti olim* Madian, et Siſaræ, * *quos miraculosè debellaſti*: ſicut Jabin, *qui fuit rex Chanaan*, in torrente Ciſſon, *ubi devictus eſt.* [*Judic.* 7. 22. *Judic.* 4. 15. & 24.]

Diſperierunt & *occiſi ſunt* in *fonte* Endor: * & facti ſunt ut ſtercus terræ, *quia cadavera eorum inſepulta computruerunt.*

Pone & *proſterne* principes eorum *perſecutorum*, ſicut Oreb, et *ſicut* Zeb, * et *ſicut* Zebee, et *ſicut* Salmana. (*Hos quatuor reges Madianitarum Dominus vicit miraculoſe per Gedeonem & trecentos viros.*) [*Judic.* 7. 25. & 8. 21.]

O-

Omnes principes eorum * *populorum*, qui dixerunt, *sed non perfecerunt*: Hereditate *nostra* possideamus *invadendo* sanctuarium Dei, *terram sanctam, & promissionis loca.*

Deus meus, *cui ego credo*, pone illos *inimicos* ut rotam, * *agantur spiritu vertiginis præcipites & instabiles*; et sicut stipulam *fragilem* ante faciem venti, *ut non subsistant in malitia sua, ne prævaleant piis.*

Sicut ignis qui *ex magna potentia* comburit silvam, * *consumendo eam*; et sicut flamma *ex ardoris vehementia* comburens montes, *destruendo eos*:

Ita persequêris illos, *qui silva sunt propter sterilitatem boni, & montes quia superbia pleni*, in tempestate tua, * *in judicii tempore, quod venturum est ut tempestas repentina* : et in ira tua, *quæ est justitia vindictæ*, turbabis eos *in gehennam.*

Imple, *ut confundantur*, facies eorum, *aliquorum qui prædestinati sunt*, ignominia, * *ut erubescant de peccatis*: et *sic pœnitendo* quærent nomen tuum, Domine, *in subsidium.*

Eru-

Erubeſcant *obſtinati* et conturbentur *in conſcientia* in ſæculum ſæculi, * *quia æterna ultione damnandi ſunt* : et confundantur, *intus in anima*, *foris in corpore*, et pereant *cum reprobis in gehennam.*

Et *tunc vel ſerò* cognoſcant, *per pœnam inflictam*, quia nomen tibi *ſoli eſt* Dominus * *eſſentialiter*; & *quia* tu ſolus altiſsimus & *potentiſsimus es*, in omni terra, *tam morientium quàm viventium.*

ORATIO.

Deus, qui omnia creaſti, noſti, ac moderaris; qui ſolus altiſsimus es in omni terra, & tandem terribilis judex apparebis in majeſtate horrenda: fac nos hìc quærere nomen tuum divinum, & erubeſcere de peccatis commiſsis; & ſic pœnitere, ut in timore Dei adventum judicis exſpectemus Domini noſtri JESU CHRISTI, qui eſt benedictus in ſæcula. Amen.

PSALMUS LXXXIII. [*ſec.Heb.LXXXIV.*]

In finem *Chriſtum* Pſalmus *iſte nos dirigens proponitur* filiis Core *imitatoribus Chriſti*, pro torcularibus & *preſſu-*

ris hujus ſæculi ; ne deficiant , ſed per eas confident ſe venturos in æterna tabernacula.

QUàm dilecta *& expetenda ſunt* tabernacula tua *cæleſtia & æterna* , Domine virtutum * *cæleſtium & angelorum* ! concupiſcit , *& conficitur deſiderio* , et deficit , *ac languet* anima mea , *tendens* in atria Domini *æterna.*

Cor meum , *homo interior* , et caro mea , * *homo exterior* , exultaverunt, *non in divitiis , deliciis , aut vanitatibus, ſed* in Deum vivum : *quia cupio diſſolvi , & eſſe cum Chriſto.*

Etenim , *ſi* paſſer invênit ſibi domum , * *in qua ſine anguſtia requieſcat;* et turtur nidum ſibi *ædificat* , ubi ponat pullos ſuos : *quanto magis homo debet quærere locum ubi perpetuò requieſcat?*

Altaria *cæleſtia* tua , *ubi tibi offertur ſacrificium laudis,* Domine virtutum, * *ſunt illa in quibus quieſcit appetitus hominis* , rex meus , et Deus meus , *qui me ad hoc creaſti.*

Bea-

Beati *ſunt illi* qui habitant in domo tua *cœleſti, non manufacta*, Domine: * *quia* in ſæcula ſæculorum *æternaliter* laudabunt te, *& gratias agent bonitati tuæ, qua ſalvati ſunt.*

Beatus *eſt* vir *ille* cujus eſt auxilium *gratiæ* abs te, * *qui nulli fidit niſi Deo:* aſcenſiones *& gradus virtutum, quibus in cœlum conſcenditur*, in corde ſuo diſpoſuit *Deus*, in *hac* valle lacrimarum *& ſtatu præſentis miſeriæ*, in loco quem poſuit *& ordinavit Deus hominibus ad deſtruendum peccata & pugnandum contra vitia.*

Etenim benedictionem *ſuam atque gratiæ infuſionem* dabit *Chriſtus*, legis*euangelicæ*-lator; *& iſti* ibunt de virtute in virtutem, * *ſemper proficiendo in augmento gratiæ, donec* videbitur Deus deorum *& Chriſtus rex ſanctorum omnium* in Sion *cœleſti.*

Domine *à quo regimur*, Deus *à quo creati ſumus*, virtutum *dator omnium*, exaudi orationem meam, * *perducendo nos ad æternam beatitudinem*: auribus percipe *deſiderium*, Deus Jacob, *ſupplantantium vitia.*

Pro-

Protector noster, *à quo solo pendemus*, aspice, Deus, * *acceptando preces nostras*: et respice *nos*, *haud nostris meritis*, *sed* in faciem Christi *filii* tui, *cujus meritis salvari confidimus*:

Quia melior *& plenior vero gaudio* est dies *illa*, *quæ* una *est*, *continua*, *& æterna* in atriis *& cœlestibus* tuis * *mansionibus*, super millia *annorum transeuntium*.

Elegi *in humilitate* abjectus esse, *vilis ac contemtibilis haberi*, in domo Dei mei * *& Ecclesia militante atque in consortio bonorum*, magis quàm habitare, *divitiis & honoribus affluere*, in tabernaculis peccatorum, *inter potentes & superbos*.

Quia misericordiam *peccata condonando*, et veritatem *promissa adimplendo* diligit Deus * *omnipotens*: gratiam *in præsenti*, et gloriam *in futuro* dabit Dominus *verè humilibus*.

Non privabit bonis *gratiæ & gloriæ* eos qui ambulant in innocentia, * *viventes immaculatè*, *innocenter*, *& piè*: Domine virtutum *& Deus misericordiarum*, beatus *est* homo *ille* qui sperat in te, *& non in externis bonis*.

ORA-

ORATIO.

Protector noster, Deus, tabernaculorum cœlestium fundator : da nobis procedere de virtute in virtutem in hac valle lacrimarum, quia auxilium nostrum omne ex te est. Dispone etiam ascensiones in cordibus nostris, quibus ad tabernacula illa perveniamus. Per faciem CHRISTI filii tui, cujus meritis salvari confidimus. Amen.

PSALMUS LXXXIV. [*sec.Heb.LXXXV.*]

In finem *Christum, per quem fit benedictio*, Psalmus *iste nos dirigens cantatur* filiis Core, *filii passionis Christi. Admonet ut per fidem ad Christum accedamus, ut ejus benedictionem habere mereamur.*

BEnedixisti, Domine, *per Christum*, terram tuam, * *quia natus est salvator in mundum* : & avertisti *peccatum originale*, captivitatem Jacob, *quia per hoc tenebamur captivi à diabolo.*

Remisisti *omnem* iniquitatem plebis tuæ * *Christianæ, quæ solvendo non erat:*



& operuisti *per baptismum* omnia peccata eorum, *nihil reservando ad pœnam.*

Mitigasti, *per mansuetudinem*, omnem iram *& vindictam* tuam: * avertisti *te in adventu Filii* ab ira indignationis tuæ, *conciliatus nobis intercessore Christo.*

Converte *per tuam gratiam* nos, *à malis culpæ, ad te bonum incommutabile*, Deus *per creationem*, salutaris *& salvator* noster * *per redemtionem & justificationem*: et averte *atque dissolve* iram tuam, *ex prævaricatione Adam contractam*, à nobis: *quod factum est per Christi satisfactionem.*

Numquid in æternum *& semper* irascêris nobis, * *& non simul gratiam effundes, nostri miserendo*? aut extendes *in longum* iram tuam, *sæviendo* à generatione in generationem? *certe non, quia placabilis eris in adventu filii tui.*

Deus, tu conversus *ab ira tua in adventu filii tui* vivificabis nos * *per tuam gratiam*: et *tunc* plebs tua, *nihil de se præsumens*, lætabitur in te, *gratulando de tuis beneficiis.*

Osten-

Oſtende nobis, Domine *Deus Pater*, miſericordiam tuam, * *mittendo filium tuum ad liberationem noſtram*: et ſalutare tuum, *ſalvatorem noſtrum*, da nobis *poſsidendum.*

Audiam *attentè in corde* quid loquatur in me *per internam revelationem* Dominus Deus * *Spiritus Sanctus*: quoniam loquetur pacem *& Euangelium gratiæ* in plebem ſuam *electam, Chriſtianam*;

Et ſuper ſanctos ſuos, * *fideles nempe ſuos electos qui in ipſum credituri ſunt*; et in eos qui convertuntur ad cor, *qui ad ſe redeunt, atque emendare vitam & veram inſtituere pœnitentiam proponunt.*

Verumtamen *ſpecialiter* prope timentes eum *timore filiali eſt* ſalutare ipſius * *Dei, ſcilicet Chriſtus*; ut inhabitet *idem Chriſtus, qui eſt* gloria *Patris*, in terra *& conſcientia* noſtra *in pace.*

Miſericordia *exhibita in Novo Teſtamento*, et veritas *ſeu impletio promiſsionum Veteris Teſtamenti* obviaverunt ſibi * *in perſona Chriſti, quia ex miſeri-*

cor-

cordia carnem assumsit, & ex veritate promissum adimplevit: quia justitia *quæ satisfecit pro culpa Adæ*, et pax *qua reconciliavit Patri genus humanum*, osculatæ sunt *& convenerunt in unum.*

Veritas *Christus* de terra orta est; * *& ex Maria virgine Verbum caro factum:* et justitia *divina* de cœlo *cœlorum* prospexit, *quia ad hoc veritas orta est ut justificarentur homines.*

Etenim Dominus *Deus Pater* dabit benignitatem * *gratiæ suæ per Christum:* et *sic* terra nostra *facta fœcunda* dabit fructum suum, *quia bonis operibus abundabit.*

Justitia *tamen divina* ante eum ambulabit, * *parans ei viam*: et *visitans* ponet in via *sic parata* gressus suos, *ut informet præceptis suis.*

ORATIO.

Deus, salutaris noster, & redemtor, & justificator, remitte iniquitatem plebis tuæ. Ne in æternum irascaris: sed placabilis esto, ostendendo nobis misericordiam tuam, vivificando nos per gratiam. Atque converte nos à malis culpæ ad te bonum incommutabile; ut tandem in viam pacis, justitia præcedente, perducamur. Amen.

PSALMUS LXXXV. [*sec.Heb.LXXXVI.*]

Oratio *quæ attribuitur* ipsi David *Prophetæ & cuilibet fideli existenti in tribulatione. Monemur in omni adversitate ad Deum per orationem recurrere.*

INclina, *qui excelsus es*, Domine, *ad me* aurem *& clementiam* tuam; et exaudi me, * *ne frustra orem*: quoniam inops, *à nullo habens opem*, et pauper, *nil de me præsumens*, sum ego.

Custodi animam *& vitam* meam, *ne deficiat*, quoniam sanctus sum; * *non per me, sed per te sanctificatus in baptismo: accepi, non habui: dedisti, non merui*: salvum fac servum tuum *tibi obedientem*, Deus meus, *qui me creasti*, sperantem in te, *quia ab homine non est salus.*

Miserere mei, Domine, *& gratiosè mecum agas*, quoniam ad te clamavi *perseveranter* tota die * *vitæ meæ*: lætifica animam *mæstam* servi tui *ex præsenti afflictione*, quoniam ad te, Domine, *apud quem solum est jucunditas,* ani-

animam meam *de terrenis* levavi *ad cœlestia.*

Quoniam tu, Domine, *ad gustandum* suavis *es, etiam non affectis tædio mundanæ amaritudinis*; et mitis, * *quia diu sustines peccatores*; et multæ misericordiæ *contra abundantem iniquitatem*; omnibus, *nullo excepto*, invocantibus *puro corde* te, *& non alium.* [*Joel.* 2. 13.]

Auribus percipe *& ausculta*, Domine *Deus*, orationem meam * *& vota cordis mei*: et intende voci deprecationis meæ, *qua ex fervore spiritus sincerè precor gratiam.*

In die tribulationis *& angustiæ* meæ, *atque in tempore vitæ hujus, quæ plena est miseriis*, clamavi *enixiùs* ad te * *refugium habens*: quia *aliàs* exaudisti me, *& ideo spero denuò exaudiri.*

Non est similis tui *in potentia, clementia, & sapientia*, in diis *& simulacris Gentium*, Domine * *Deus*: et non est *aliquis* secundum *admirabilia* opera tua, *qui posset dare vitam, justitiam, & beatitudinem.*

Omnes gentes *antea ignorantes*

Deum, quaſcumque feciſti *in tua electione*, venient *in tuo Euangelio per Chriſtum convertendæ*, et adorabunt coram te, Domine, * *agnoſcendo te ſuum redemtorem*; et glorificabunt *prædicando* nomen tuum, *quod JESUS eſt.*

Quoniam magnus es tu, *creator cœli & terræ*, et faciens mirabilia, * *cui nihil impoſſibile*: tu es Deus ſolus, *quem Gentes adorabunt relictis idolis.*

Deduc me, Domine, *tua inſpiratione*, in via tua *fidei & mandatorum tuorum*; et ingrediar in veritate tua, * *proficiendo ulterius de virtute in virtutem*: *& inde* lætetur cor meum *de ſpe remunerationis*, *ſic tamen* ut timeat *ſemper ac veneretur* nomen tuum *timore caſto.*

Confitebor tibi *devotiſsima fide & mente*, Domine *qui me regis*, Deus meus *qui me creaſti*, in toto corde & *affectu* meo, * *omnem videlicet ſpem in te reponendo*; et glorificabo *cum ſanctis* nomen tuum *divinum* in æternum, *hic & in patria*:

Quia miſericordia & *benignitas* tua magna eſt, *qua major dici non poteſt*,

ſu-

ſuper me * *peccatore*; et eruiſti *atque liberaſti* animam meam *& deſperatiſsimam conſcientiam* ex inferno inferiori, *à peccatis quidem quæ poſſent deducere ad tormenta inferni.*

Deus, iniqui *& maligni* inſurrexerunt ſuper me, *adverſum me perſequendo*;et ſynagoga *atque congregatio* potentium, *ſuperborum*, *filii hujus ſæculi* quæſierunt animam meam, * *ut perderent*: et non propoſuerunt te *Deum præ oculis &* in conſpectu ſuo, *ſed tantùm ſequebantur impetum voluntatis.*

Et tu, Domine Deus, *creator noſter*, miſerator *in actu*, et miſericors * *in natura*, *quia miſericordiam naturaliter poſsides*, patiens *& ſuſtinens peccatores*, et multæ miſericordiæ *erga converſos*, et verax *in promiſsis*,

Reſpice in me, *& viſita præveniente tua gratia*, et miſerere mei * *liberando à malis*: da imperium tuum *& fortitudinem ſuperandi inimicos* puero *& ſervo* tuo *tibi obedienti*: et ſalvum fac *æternaliter* filium ancillæ tuæ, *Eccleſiæ matris meæ*, *ſponſæ tuæ*, *& familiæ Chriſtianæ.*

Fac, *Domine*, mecum signum *liberationis à malo* in bonum, *ostendendo quod me diligas*; ut videant *maligni*, qui oderunt me *propter te*, *hoc signum*, et confundantur, * *atque innotescat eis*, quoniam tu, Domine *Deus*, adjuvisti me *contra eorum violentiam*, et consolatus es me *in miseria hujus sæculi*.

ORATIO.

Domine Deus, miserator, misericors, suavis & mitis omnibus invocantibus te puro corde, & timentibus nomen tuum timore casto: respice in nos, & miserere nobis, atque salva animas nostras ex inferno inferiori; quoniam magnus es tu, creator cœli & terræ, & nullus similis tui. Tu es Deus solus in quem speramus: exaudi deprecationes nostras, adjuva, & consolare, qui es benedictus in sæcula. Amen.

PSALMUS LXXXVI. [*sec.Heb.LXXXVII.*]

Filiis Core *ac imitatoribus Christi proponitur hic* Psalmus cantici, *qui luditur instrumento, & canitur humana voce. Commendatio est Ecclesiæ militantis & triumphantis, sub typo civitatis.*

Fun-

FUndamenta ejus *Ecclesiæ collocata sunt* in montibus sanctis, * *in Prophetis & Apostolis, qui montes dicuntur propter sublimitatem fidei*: diligit Dominus portas Sion, *& Ecclesiæ militantis sacramenta, per quæ fit ingressus in eam*, super omnia tabernacula *cæremonialia ipsius* Jacob, *Veteris populi & Testamenti.*

Gloriosa *per Prophetas* dicta *& prædicata* sunt de te, * civitas Dei, *ubi uniuntur omnes per fidem & caritatem Christi.*

Memor ero *ad miserendum, inquit Deus*, Rahab, *populi Gentilis*, et Babylonis, * *peccatorum confusè viventium & inordinatè*, scientium me *per fidem: quia Ægyptios & Babylonios computabo inter electos.*

Ecce alienigenæ *à cultu Dei*, et Tyrus *qui sunt in angustia pœnitentiæ*, et populus Æthiopum * *peccatis denigrati*, hi *omnes* fuerunt illic *in Ecclesia Dei.*

Numquid *ipsi* Sion *& Ecclesiæ* dicet: Homo *aliquis, quòd* et homo

Christus, natus est in ea * *Ecclesia*? et ipse *Christus* fundavit eam *Ecclesiam in Apostolis*, *qui est* altissimus *Deus*?

Dominus narrabit, *docebit*, *& prædicabit*, in scripturis populorum *& Euangeliis ad omnes populos prædicatis*, et principum, * *Apostolorum scilicet & Euangelistarum*, horum *populorum credentium* qui fuerunt in ea *Ecclesia*: *quia scripserunt Christi & Ecclesiæ mysterium*.

Sicut lætantium omnium * *& exsultantium perfecta felicitate*, habitatio est in te, *cœlestis Dei civitas*.

ORATIO.

Fundamentum fidei nostræ, Deus, qui nasci dignatus es homo in mundum de virgine Maria, & docuisti salutem nostram in scripturis Euangelistarum; qui in Sion cœlesti resides: præsta nobis ut, quod hìc verbis de gloria tantæ felicitatis explicare non possumus, ibi in æterna beatitudine, te donante, cernamus. Amen.

PSALM. LXXXVII. [*sec.Heb.LXXXVIII.*]

In finem *& in Christum* Canticum Psalmi, *hortans nos ad operandum in læ*-

ti-

titia spirituali : & cantatur filiis Core *imitatoribus passionis Christi* , pro Maheleth *& concordia caritatis.* Intellectus *seu eruditio ipsius* Eman Ezrahitæ *videntis Deum in fide.*

DOmine Deus, *pater* salutis meæ * *& immunitatis meæ , à peccato salvari* in die clamavi et nocte , *continuè & assiduè* ; coram te *invocando misericordiam tuam.*

Intret in conspectu tuo *tamquam nuntius gratus* oratio mea : * inclina aurem tuam ad precem meam , *concedendo quod peto.*

Quia repleta est malis , *doloribus, & anxietatibus* anima mea ; * *quæ carni compatitur* ; et vita mea inferno appropinquavit , *quia jam morti crucis expositus sum & vicinus.*

Æstimatus sum *ab impiis Judæis* cum *peccatoribus* descendentibus in lacum * *& profundum inferni* : factus sum *& reputatus ab eis* sicut homo *simplex* , sine adjutorio *divino* , *qui tamen fui* inter mortuos *solus* liber *à peccatis.*

Sicut vulnerati *flagitiosi* , *qui suis*

cri-

criminibus occiduntur, dormientes in ſepulcris, *qui à nemine curantur*, quorum non es memor amplius, * *quia tempus reſurgendi nondum venit* : et *propter hoc* ipſi *Judæi* de manu *ac protectione* tua repulſi ſunt, *& à cœtu electorum abſciſsi.*

Poſuerunt me *reputatione ſua* in lacu inferiori, * *quaſi à te omnino derelictum* : in tenebroſis *& obſcuratis peccatis*, et in umbra mortis, *quæ eſt mors carnis* : *quia cruci me affixerunt.*

Super me *& contra me* confirmatus *& implacabilis* eſt *viſus* furor tuus * *juſtitiæ*, *quem in Gentibus effuſurus eras, & in me venire feciſti* : et omnes fluctus tuos *tribulationum atque impetus tempeſtatum* induxiſti ſuper me, *cùm me pertuleris crucifigi.*

Longe feciſti notos *& diſcipulos* meos à me, * *qui, relicto me, fugerunt*: poſuerunt me *Judæi* abominationem ſibi, *ita ut deteſtarentur nomen meum.*

Traditus ſum *à Juda in mortem*, et non egrediebar * *ab eis fugiendo* : *&* oculi mei, *Apoſtoli*, *qui ſunt lumen Eccleſiæ*, languerunt *& infirmati ſunt*

præ

præ inopia *conſtantiæ & fidei.*

Clamavi *ferventer* ad te, Domine *Pater, cùm penderem in cruce*, tota die * *atque aſsidue*: expandi ad te *Patrem* manus meas *& opera mea, quia obediens fui uſque ad mortem crucis.*

Numquid mortuis *corde & obſtinatis in malo* facies mirabilia? * *certe non, quia credere nolunt*: aut medici *animarum* ſuſcitabunt *tales mortuos in peccatis*, et confitebuntur tibi? *certe non, quia deficiet gratia qua trahantur.*

Numquid narrabit aliquis *poſitus* in ſepulcro *peccati, & mortuus in anima, oppreſſuſque pondere malorum*, miſericordiam tuam, * *qua relaxantur peccata? certe non*: et veritatem tuam *juſtitiæ dicet aliquis obſtinatus &* in perditione *animæ poſitus*?

Numquid cognoſcentur, in tenebris *ignorantiæ & errorum*, mirabilia tua * *in me & per me facta*? et juſtitia *etiam* tua, in terra oblivionis *atque in corde peccatoris qui obliviſcitur tui*?

Et ego ad te, Domine *Pater*, clamavi, * *ut ſalvus eſſem*: et mane oratio mea præveniet te, *quia matutina*

re-

resurrectione me clarificabis.

Ut quid, Domine *Pater*, repellis orationem meam, * *non exaudiendo? & quare* avertis faciem tuam *divinam, quando oro ut transeat* à me *calix iste?*

Pauper sum ego, *esuriens, & sitiens in hac peregrinatione*, et in laboribus *salutis humanæ*, à juventute mea: * exaltatus autem *in cruce*, humiliatus sum *in sepulcro*, et conturbatus *in morte.*

In me transierunt, *sed non perstiterunt*, iræ *& afflictiones* tuæ, * *quas tua voluntate, non mea culpa, patior*: et terrores tui *contra genus humanum* conturbaverunt *& oppresserunt* me, *quia languores eorum ego tuli.*

Circumdederunt me *Judæi*, sicut aqua *cingit circumquaque*, tota die, * *sine cessatione*: circumdederunt me simul *Pharisæi cum principibus*, *ut me morti traderent.*

Elongasti à me amicum *cœtum Apostolorum*, et proximum, * *ut non esset consolatio in adversis*; et notos meos, *qui me amabant*, à miseria *mea*, *ne compaterentur.*

ORA-

ORATIO.

Redemtor noſter, Deus, qui, pro nobis homo factus, languores noſtros portaſti, exaltatus tandem in cruce, humiliatus in ſepulcro, conturbatus in morte, atque inferna penetrans, factus inter mortuos liber: exaudi nos, quæſumus, ne maneamus in tenebris ignorantiæ & oblivionis, ſed eruamur ab inimici inſidiantis peſsima ſervitute. Qui vivis &c.

PSALM. LXXXVIII. [*ſec.Heb.LXXXIX.*]

Intellectus *& eruditio* Ethan *robuſti* Ezrahitæ, *qui verè Deum videt.*

MIſericordias Domini * *Dei Patris, quas per Filium Eccleſiæ ſuæ contulit*, in æternum, *hìc cum juſtis, & in futuro cum Angelis*, cantabo *magna mentis jucunditate.*

In generationem *Judæorum* et generationem * *Gentium*, annuntiabo *omnibus* veritatem tuam *& Chriſtum filium tuum* in ore meo, *in quo ſit confeſsio ad ſalutem.*

Quoniam *tu* dixiſti *mihi per Spiritum Sanctum*: In æternum *manſura* miſe-

ſericordia, *humano generi impendenda*, ædificabitur *&* *firmabitur* in cœlis, * *atque Apoſtolis, qui cœli appellantur*: *&* *ſic* præparabitur *&* *nota erit hominibus* veritas tua *euangelica* in eis *&* *per eos cœlos*.

Diſpoſui *atque ordinavi* teſtamentum *&* *pactum meum* electis meis *fidelibus Chriſtianis*: juravi *ſtabiliter*, *promiſi* David ſervo meo, * *Chriſto*, *qui ex genere David carnem aſſumſit*: Uſque in æternum præparabo *&* *firmabo* ſemen tuum *patribus promiſſum* (*regnabit enim æternaliter Chriſtus*), [2.*Regum* 7. 12.]

Et ædificabo *atque continuabo* in generationem *mortalem* et generationem* *immortalem*, *quod in æternum eſt*, ſedem tuam *&* *thronum regni tui in Chriſto ſemine tuo*.

Confitebuntur *&* *prædicabunt* cœli, *ipſi Apoſtoli*, mirabilia tua, Domine, * *quæ præparaſti in redemtione generis humani*: etenim *dicent* veritatem tuam *&* *præcepta tua* in Eccleſia *atque congregatione* ſanctorum *fidelium*.

Quoniam quis in nubibus *&* *Prophetis*, *qui nubes dicuntur propter plu-*

viam

viam doctrinæ, æquabitur *in potentia* Domino * *Christo* ? *aut quis* ſimilis *in eſſentia* erit Deo *Christo* in filiis Dei & *ſanctis viris*, *qui ſunt filii Dei per adoptionem*?

Deus, qui glorificatur & *colitur* in conſilio ſanctorum * *electorum*, magnus *eſt potentiâ*, et terribilis *in reverentia*, ſuper omnes qui in circuitu ejus ſunt, *quem tremunt Angeli*, & *Poteſtates*, & *omnis creatura*.

Domine Deus virtutum, *tam Angelicarum quàm humanarum*, quis ſimilis tibi ? * *certe nullus*: potens es, Domine, *potentiâ infinitâ*: et veritas tua *divina eſt* in circuitu tuo, *quia numquam oblivíſceris gratiam promiſsionum*.

Tu dominaris poteſtati maris * & *ſuperbiæ hujus ſæculi*: motum autem fluctuum ejus & *procellas ſeditionum atque perſecutionum* tu mitigas, *ne tantum graſſentur quantum velint*.

Tu humiliaſti & *dejeciſti*, ſicut vulneratum, ſuperbum * *diabolum*: & in brachio & *fortitudine* virtutis tuæ *divinæ* diſperſiſti & *exterminaſti omnes* inimicos tuos, *qui de cœlo corruerunt*.

Tui

Tui ſunt cœli, *qui pluunt juſtitiam*, et tua eſt terra, *Eccleſia videlicet catholica, quæ per* orbem terræ *diffuſa eſt*; et plenitudinem ejus *in fide* tu fundaſti * *firmiter*: aquilonem, *diabolum aquiloni præſidentem*, et mare, *elatos & malos hujus ſæculi*, tu creaſti *in flagellum electorum.* [*Gen.* 2. 2.]

Thabor et Hermon, *Judæi & Gentiles conjuncti in Chriſto*, in nomine tuo, *quòd Chriſtiani vocabuntur*, exultabunt, * *per quod & ſalvabuntur: quia* tuum brachium, *quo redemiſti mundum*, *ſemper eſt & erit* cum potentia, *cùm egregiè liberare poſsis & ſalvare.*

Firmetur manus *& potentia* tua *contra ſuperbos ut humilientur*, et exaltetur dextera tua * *contra adverſarios veritatis*: juſtitia et judicium *ſunt* præparatio ſedis tuæ, *quia ad juſtè judicandum ſedes, ac poteſtas tua judiciaria parata eſt.*

Miſericordia, *qua deles peccata*, et veritas, *qua imples promiſſa*, præcedent faciem tuam * *iratam in judicio: & ergo* beatus *eſt* populus *fidelis* qui ſcit *& experitur* jubilationem, *ac ſentit* gau-

gaudium conſcientiæ in Deo.

Domine *Deus*, in lumine vultus tui, *in agnitione fidei & illuminatione Spiritus Sancti*, ambulabunt *bene vivendo, proficientes*: et in nomine tuo *Chriſtiano* exultabunt tota die * *vitæ eorum*: et in juſtitia tua, *quam tu eis dediſti*, exaltabuntur, *quando obtinebunt regnum cœleſte.*

Quoniam gloria virtutis eorum tu es: * *non in ſe ipſis, ſed in te gloriantur, nil ſibi tribuentes, ſed totum ad tuam gloriam referentes*: et in *gratuita miſericordia tua atque* beneplacito tuo, *non quia digni ſumus, ſed quia tibi ſic placuit*, exaltabitur & *excreſcet* cornu noſtrum, *dignitas ac poteſtas noſtra quam habebimus in futuro.*

Quia Domini eſt aſſumtio noſtra, * *qui nos ſuſcepit, illuminavit, & juſtificavit*; et ſancti *Dei* Iſraël, *à quo ſanctificamur*, regis noſtri, *qui regnat in Eccleſia, ac regit nos & omnia.*

Tunc locutus es in *occulta* viſione *atque revelatione* ſanctis & *electis* tuis *Prophetis*, et dixiſti * *eis per Spiritum Sanctum*: Poſui adjutorium *liberatio-*

 nis

nis humani generis in potente *Christo, proprio filio*; et exaltavi, *super omne nomen*, electum *Christum* de plebe mea *Judaica, ex qua carnem sumsit.*

Invéni *& elegi Christum de semine* David, *natum* servum meum * *quia formam servi accepit*: oleo sancto meo *& plenitudine gratiarum* unxi eum, *ceu pugilem contra Satanam.* [1. *Reg.* 16. 1. *&* 12. *Actuum* 13. 22.]

Manus enim mea, *qui est filius meus in divinis*, auxiliabitur ei * *Christo homini*; et brachium meum, *idem filius in divinitate*, confortabit eum *Christum in humanitate*: *quia erit Deus & homo, & divinitas humanitati conjuncta.*

Nihil proficiet *aut prævalebit* inimicus *diabolus* in eo, * *tentando, vel sæviendo*: et filius iniquitatis, *populus Judaicus*, non apponet nocere ei, *sed omnia illi cooperabuntur & cedent in bonum.*

Et concîdam *convertendo*, à facie *& præsentia* ipsius, inimicos ejus * *Judæos* (*qui sæpe confusi discedebant à conspectu illius*): et odientes eum, *dæmones*, in fugam convertam. (*quia &*

ipsi

ipsi coram eo sæpe fugerunt.)

Et veritas mea, *quia obtinebit quæ promisi bona*, et misericordia mea, *quia invitis omnibus gratiâ meâ fruetur, semper erit* cum ipso * *Christo*: et in nomine meo, *quod est Deus*, exaltabitur cornu ejus, *potestas*, *& imperium, & gloria.*

Et ponam in mari manum *& potentiam* ejus, * *quia dominabitur gentibus, per mare designatis*: et in fluminibus *atque insulis ponam* dexteram *atque operationem* ejus.

Ipse *Christus* invocabit me, *dicens*: Pater meus es tu * *secundum quod Deus sum*, *&* Deus meus *secundum quod homo sum*, et susceptor *auctorque* salutis meæ, *adeo ut perire non possim.*

Et ego *Deus* primogenitum *omnis creaturæ* ponam illum, * *qui est imago Dei invisibilis*; *&* excelsum *super omnes tenens primatum*, præ regibus terræ, *quia ipse rex regum*, *& dominus dominantium.*

In æternum *& semper* servabo illi *Christo* misericordiam meam, * *quantum ad ipsum & membra ejus*: et testa-

mentum *atque fœdus* meum *ſervabo* fidele ipſi *inviolabiliter.*

Et ponam *atque firmabo* in ſæculum ſæculi *ſpirituale* ſemen ejus, * *qui doctrinam ejus imitantur* : et thronum ejus, *videlicet Eccleſiam, cui præſidet, ponam* ſicut dies cœli *& æternitatis, quia ſemper durabit regnum ejus.*

Si autem dereliquerint, *malè agendo*, filii ejus *Chriſtiani* legem meam * *decalogi & Euangelii*; et in judiciis meis non ambulaverint, *proficiendo de virtute in virtutem*;

Si juſtitias *ac cæremonias* meas *polluerint &* profanaverint, * *malè vivendo & operando*; et mandata mea non cuſtodierint, *decalogi legem tranſgrediendo*:

Viſitabo, *ut medicus & pater*, in virga *& levi correctione* iniquitates eorum * *minores*, et in verberibus *ac graviori correctione* peccata eorum *majora.*

Miſericordiam autem meam, *quæ infinita eſt*, non diſpergam *neque totaliter auferam* ab eo * *populo Chriſtiano*, neque nocebo *illi* in veritate mea. *Pœniteant ergo peccatores, & nullus deſperet.*

Ne-

Neque profanabo *ſeu violabo* teſtamentum *&* *pactum* meum : * *quæ promiſi, faciam* : et quæ procedunt de labiis *& Prophetis* meis, *per quos loquor*, non faciam irrita, *caſſa*, *& vana*.

Semel juravi *immutabiliter* in ſancto meo, *per me ipſum* : ſi David, *Chriſto*, mentiar : * *id eſt, an illi mentiri poſſum? Juravi autem quod* ſemen ejus *ſpirituale*, *populus Chriſtianus*, in æternum manebit *in regno Dei*. [2.*Reg*.7. 15.]

Et thronus ejus, *anima ſcilicet juſti, in qua Chriſtus reſidet*, *erit* ſicut ſol in conſpectu meo, * *qui amore ardebit* ; et *corpus* ſicut luna perfecta, *nullam obſcuritatem habens*, in æternum *in patria* : et *hujus rei* teſtis *eſt* in cœlo fidelis *ipſe Chriſtus*, *cujus caro reſurrexit glorioſa*.

Tu verò, *ne putentur hæc in David rege temporali adimpleri*, repuliſti *& projeciſti ipſum à regno per Abſalonem*; et deſpexiſti * *per Semei*, *qui projiciebat lutum contra eum* ; *&* diſtuliſti Chriſtum *filium* tuum *mittere*, *in quo promiſſa erant adimplenda*.

Evertiſti *& tranſtuliſti in alteram partem* Teſtamentum *Vetus* ſervi tui, * *datum per Moyſen famulum tuum* : profanaſti *& polluiſti* in terra *ubique terrarum* ſanctuarium ejus, *quia jam ubique ſynagoga abominabilis eſt.*

Deſtruxiſti *& diſſipaſti* omnes ſepes *& munitiones* ejus : * *&* poſuiſti firmamentum ejus, *quod Deus erat*, *in* formidinem, *ut Judæi pro ſua culpa Dominum formident.*

Diripuerunt eum *populum Judaicum* omnes *gentes* tranſeuntes *atque tranſgredientes* viam * *legis* : factus eſt opprobrium *gentibus* vicinis ſuis *in circuitu commorantibus.*

Exaltaſti *in victoria* dexteram *& potentiam* deprimentium eum * *populum*: lætificaſti *in dominatione* omnes inimicos ejus, *cùm ſubdiderint tam nobile regnum.*

Avertiſti *& retudiſti* adjutorium *& aciem* gladii ejus * *in pugna contra hoſtes*, et non es auxiliatus ei *populo* in bello : *immò occiſi ſunt.*

Deſtruxiſti *& retrocedere feciſti* eum *populum* ab emundatione, * *non credendo*

do in Christum, qui solus mundat corda: et sedem ejus, *regnum ac dominationem*, in terram collisisti, *deducendo ad nihilum.*

Minorasti *abbreviando* dies *felices* temporis ejus, * *quibus se regnaturos putabant*: perfudisti *undique* eum *populum* confusione *temporali & æterna, quia gestant opprobrium infidelitatis suæ.*

Usquequo, Domine *Deus*, avertis *Israël à fide & salute? erit hoc usque* in finem * *mundi, donec plenitudo Gentium intret? numquid* exardescet *interea*, sicut ignis *devastans*, ira *& vindicta* tua? *absit, Domine, cùm parcere & misereri sit tibi proprium.*

Memorare quæ *est* mea substantia, * *& quàm fragilis sit humana natura ad casum*: numquid enim vanè *& frustra* constituisti *& creasti* omnes filios hominum, *quasi nullus salvaretur? certè non.*

Quis est *ex nobis* homo qui vivet *semper*, et non videbit mortem? * *certè nullus: statutum est omnibus semel mori. Et quis* eruet *& salvabit* animam suam *propriam* de manu *& potestate* in-

ſeri? *certè nullus, niſi tu, Domine, liberaveris.*

Ubi ſunt *ergo* miſericordiæ tuæ antiquæ *priores*, Domine, * *Patribus olim factæ*, ſicut juraſti David *ab æterno* in veritate tua, *quæ nec falli nec fallere poteſt*? [2. *Reg.* 7. 15.]

Memor eſto & *recordare*, Domine, opprobrii ſervorum tuorum, * *videlicet blaſphemantium ſanctos tuos*, quod continui & *portavi* in ſinu meo, *in ſecreto mentis patienter ſuſtinendo: quod quidem opprobrium fuit* multarum gentium & *iniquorum blaſphemantium Chriſtum.*

Quod exprobraverunt *Chriſtianis* inimici tui, Domine, * *Judæi & Pagani:* quod exprobraverunt, *blaſphemando* commutationem & *mortem* Chriſti *filii* tui *crucifixi.*

Benedictus *ſit Jeſus Chriſtus* Dominus *noſter* in æternum * *de ſua morte, quòd nos redemit à peccatis, & gratis ſalvos fecit: & hoc* fiat *hìc in tempore gratiæ, & etiam* fiat *in tempore gloriæ.*

ORA-

ORATIO.

Domine, Deus virtutum, tui sunt cœli, & tua est terra, Deus magnus potentia, & terribilis reverentia, quem tremunt Angeli, & omnis creatura adorat. Erue animas nostras de manu inferi, ut tuas misericordias decantemus, & à confusione criminum & à morte perpetua liberemur. Per nomen tuum benedictum in æternum. Amen.

PSALMUS LXXXIX. [*sec. Hebr.* XC.]

Oratio *ipsius* Moysi, *pro bonis obtinendis & malis removendis* hominis Dei.

DOmine *Deus immensæ clementiæ*, refugium *& solatium unicum* factus es, *per fidem tuæ incarnationis*, nobis, * *inter miserias & angustias hujus sæculi*, à generatione *ista* in generationem *futuram semper*.

Priusquam montes *& cœlorum potestates* fierent *de nihilo*, aut *priusquam* formaretur *& crearetur* terra *ipsa*, et orbis, * *ipsumque firmamentum cum omnibus quæ continet*; à sæculo et usque in sæculum, *æternaliter*, *sine principio &*

& ſine fine, tu es Deus *optimus maximus.*

Ne avertas *& projicias* hominem *à bonis æternis* in humilitatem,* *ſeu in concupiſcentiam & ambitionem terrenorum: quia* et *tu* dixiſti *per ora Prophetarum:* Convertimini *ab amore mundi ad me*, filii hominum, *& ego ſanabo contritiones veſtras.*

Quoniam mille anni, *quantumlibet ſit longa vita iſta*, ante oculos tuos * *æternitatis ſunt* tamquam dies heſterna *breviſsima*, quæ præteriit *& non eſt.*

Et *tamquam* cuſtodia *& vigilia* in nocte, * *quæ eſt quatuor horarum*, quæ pro nihilo *atque pro nullo pretio* habentur *ſeu æſtimantur*, *ſic* eorum anni erunt, *quia cum ſomno evaneſcent.*

Mane, *in pueritia*, ſicut herba *viridis* tranſeat *homo*, mane floreat *pulcritudo ejus*, et *citò* tranſeat * *peragatque florem ſuum: &* veſpere, *in ſenio*, décidat *in mortem*, induret *in cadaver*, et areſcat *in pulvere.*

Quia *ab immortali ſtatu* defecimus *in ſtatum mortalem*, in ira *& vindicta* tua, * *quam humano generi intuliſti* pro-

propter peccata primorum parentum; et in furore tuo *atque executione illius ſententiæ* turbati ſumus, *extra in corpore, intus in conſcientia.*

Poſuiſti iniquitates noſtras *& peccata* in conſpectu tuo * *ad puniendum, ſicut judex ponit coram ſe reum*: ſæculum noſtrum *& decurſus temporum noſtrorum* in illuminatione vultus tui *eſt, palam coram te, ſicut illud quod eſt in lumine.*

Quoniam omnes dies noſtri *abbreviati ſunt* & defecerunt, * *quia ad paucitatem redacti ſunt*; et in ira tua *paſſibiles & mortales* defecimus *in miſeriis & laboribus.*

Anni noſtri *in vita hac momentanea,* ſicut aranea, *inanes & inutiles* meditabuntur * *ſeu reputabuntur: quia, ſicut aranea, ſic homo huc illuc diſcurrit in occupationibus vanis*: dies annorum noſtrorum *ita breves ſunt, ut* in ipſis *diebus ſint* ſeptuaginta anni *de curſu communi.* [*Eccleſ.* 18. 8.]

Si autem in potentatibus, *qui vires & complexiones habuerint fortes, ſunt* octoginta anni * *completi*; et *ſi* amplius

plius *&* *prolixius vixerint* : *tunc* eorum *anni ſunt* labor et dolor , *cùm ſenectus ipſa non ſit niſi morbus & languor.*

Quoniam ſupervênit *in ſenectute* manſuetudo * *Dei , ut nos manſuetos faciat* ; et *ſic* corripiemur *atque emundabimur ab inſolentiis juventutis & exceſsibus noſtris* : *quia quem diligit Deus corripit & caſtigat.*

Quis novit *aut intelligere potuit* poteſtatem iræ tuæ , * *quam exerces in his quibus hìc parcis*? et *quis* , præ timore tuo , *novit* iram *&* *vindictam* tuam dinumerare , *cogitare* , *aut diſcernere*?

Dexteram tuam , *Chriſtum tuum*, ſic notam fac, * *ut diſcamus bona æterna , non terrena* : et eruditos *redde nos* corde *humano* in ſapientia *cœleſti.*

Convértere , Domine , *reſpiciendo nos oculis tuæ miſericordiæ* : uſquequo * *averſus eris à nobis*? et deprecabilis eſto *atque ſinito te exorari* ſuper ſervos tuos , *quos elegiſti ad ſerviendum tibi.*

Repleti ſumus *&* *ſatiati* mane *in æternitate* miſericordia tua , * *qua à malis omnibus nos liberaſti* : et exultavimus,

mus, *laudes tuas canendo*, et delectati ſumus *in anima*, omnibus diebus noſtris, *cùm in te ſumma ſit dulcedo in æternum.*

Lætati ſumus pro diebus *malignis* quibus nos humiliaſti * *per tribulationem: & hoc in* annis quibus vidimus *& experti ſumus* mala, *tribulationes ſæculi, & anguſtias corporis.*

Reſpice, *Domine*, in ſervos tuos, *ut per tuam miſericordiam protegantur à malis*; et in opera tua * *quæ, te adjuvante, operantur*: et dirige *per rectam intentionem* filios *& imitatores* eorum, *ut proficiant in virtutibus.*

Et ſit ſplendor *gratiæ illuminantis* Domini *Jeſu Chriſti* Dei noſtri ſuper nos, *mentes noſtras vivificans*: et opera manuum noſtrarum dirige ſuper nos: * et opus *bonum* manuum *& voluntatum* noſtrarum dirige *in intentione recta ad unum finem, qui Deus eſt.*

ORATIO.

Omnipotens Deus, unicum refugium noſtrum, ne avertas corda noſtra à bonis æternis ad concupiſcentias terrenorum: ſed convértere & deprecabilis eſto ſuper

nos

nos mortales, ut repleamur ſemper miſericordia tua, & delectemur in ea; adeo ut ſplendor divinæ gratiæ tuæ illuminet mentes noſtras, ejiciendo omnes cogitationes noxias. Per Chriſtum Dominum noſtrum.

PSALMUS XC. [*ſec. Hebr. XCI.*]

Laus *eſt Pſalmus iſte* cantici *&* *jucunditatis ipſius* David.

QUi habitat, *per fiduciam*, in adjutorio, *non ſuo, ſed* altiſsimi * *Dei, totam ſpem in eum reponendo*; in protectione Dei cœli *& terræ* commorabitur, *ut nec capiatur illecebra voluptatis, nec frangatur timore adverſitatis.*

Dicet Domino, *recognoſcens protectionis beneficium*: Suſceptor meus es tu, *qui mei curam geris*, et refugium meum * *in miſeriis & tentationibus hujus ſæculi*, Deus meus *in creatione & redemtione*: ſperabo in eum, *nihil de me præſumendo.*

Quoniam ipſe *Dominus, non ego,* liberavit me *omnino* de laqueo, *fraude, & captione doloſa dæmonum & iniquorum,*

rum, venantium * *ut illaqueent homines ad mala*; et *etiam* à verbo aſpero, *à conviciis & detractionibus*, *quæ divertunt à via Domini.*

Scapulis ſuis *& paterna virtute ſua* obumbrabit tibi, * *ne tentationis æſtus te adurat* : et ſub pennis *ac alis miſericordiæ* ejus ſperabis, *& tutus eris.*

Scuto *miſericordiæ* circumdabit te *& proteget* veritas ejus, * *quia implebit promiſſum de redemtione humana* : non timebis à timore nocturno, *in tenebris ignorantiæ*, *ſi lucernam habueris veritatis.*

A ſagitta volante in die, *à falſitate & malitia*; à negotio perambulante in tenebris, * *ab occulto malo quod conſcientia non ſentit*; ab incurſu et dæmonio meridiano, *qui transfigurat ſe in angelum lucis ut decipiat.*

Cadent à latere tuo *ſiniſtro* mille *de dæmonibus tentantibus*, *divina virtute victi*, et decem millia à dextris tuis * *etiam cadent* : ad te autem, *in divino adjutorio ſperantem*, non appropinquabit *dæmonium vel tentatio per conſenſum.*

Ve-

Verumtamen oculis tuis *interioribus* conſiderabis * *talem protectionem divinam ſuper te* : et retributionem peccatorum *atque pœnam debitam pro peccatis* videbis *in fine, quam retribuet juſtus judex.*

Quoniam tu es, Domine *Deus*, ſpes mea, * *cùm in te ſolo confidam*: altiſſimum *Deum* poſuiſti *& elegiſti* refugium tuum, *& ideo eſto ſecurus.*

Non accedet *neque veniet* ad te, *ſic ſperantem*, malum * *& adverſitas nociva, ſed cooperabitur potius in bonum*: et flagellum *temporalis pœnæ* non appropinquabit tabernaculo *& corpori* tuo, *ſi fiduciam totam in Deum poſueris.*

Quoniam Angelis ſuis *miniſtris* mandavit *Deus* de te * *in ſalutem*, ut cuſtodiant te *ab omni nocumento*, in omnibus viis tuis, *tam in proſperis, quàm adverſis.* [*Matth.* 4. 6. *Luc.* 4. 10.]

In manibus *& virtutibus ſuis* portabunt te, * *ne facile cadas, ſed tutò incedas* : ne fortè offendas *& impingas* ad lapidem *& ad peccatum mortale, ad modum lapidis grave*, pedem *& affectum* tuum, *per conſenſum.*

Su-

Super aſpidem, *diabolum, qui occultè nocet*, et baſiliſcum, *qui palàm flatu venenat*, ambulabis, * *ſuperando omnes potentias dæmoniorum*: et conculcabis *vinceſque* leonem, *manifeſtos inſultus dæmonum*, et draconem, *ſpiritales tentationes eorumdem.*

Quoniam in me *toto corde* ſperavit, *diligendo præ omnibus*; liberabo eum * *ab omnibus anguſtiis*: protegam eum *ab omnibus inſidiis diaboli*, quoniam *verè* cognovit nomen meum, *credendo, laudando, & aliis annuntiando.*

Clamabit *orando* ad me *in neceſſitatibus*, et ego *Dominus* exaudiam eum, * *quæ juſtè ſancta & utilia petierit concedendo*: cum ipſo ſum in tribulatione, *conſolando, ne deficiat*: *& tandem* eripiam eum *à malis ſæculi*, et glorificabo eum *æternis præmiis in cœlo.*

Longitudine dierum *æternorum* replebo eum * *in gloria cœleſti*: et oſtendam illi *per apertam viſionem* ſalutare meum, *Jeſum Chriſtum, in quem credidit.*

ORATIO.

Precamur, Domine, ut in divina protectione tua commoremur ſemper, & ſub alis miſericordiæ tuæ; cùm ſis altiſsimum refugium noſtrum, & unica ac ſecura ſpes noſtra. Præſta, per invocationem nominis tui, aſpidis & baſiliſci venena ſuperare, inſidias ſpiritales leonis atque draconis conculcare; ut tandem, erepti periculis ſæculi, in cœlis glorificemur. Amen.

PSALMUS XCI. [*ſec. Hebr.* XCII.]

Pſalmus *iſte, per quem notatur ſpiritualis operatio, eſt* cantici, *& mentis exſultatio: qui enim cantat in Pſalmo, omnem vitam ſuam in gratiarum actione conſtituit, & hoc* in die Sabbati, *in die feſto, & in quiete mentis, pro æterna requie obtinenda.*

BOnum eſt, *jucundum, utile, & delectabile* confiteri Domino, * *ut mala nobis, & bona Deo tribuamus: etiam* et pſallere *bonum eſt* nomini tuo *divino*, ò altiſsime *Deus, ut quiſque quærat gloriam tuam, non ſuam; nomen tuum, non ſuum.*

Ad

Ad annuntiandum mane, *tempore prosperitatis*, misericordiam tuam * (*quia quidquid boni habemus provenit ex Dei gratia*); et veritatem tuam *atque justitiam* per noctem, *tempore tribulationis: quia quidquid mali contingit, ex veritate justitiæ divinæ procedit.*

In decachordo *& decem chordarum* psalterio * *laudetur Deus*, cum cantico *mentis*, in cithara *jucunditatis, omnibus modis, mente, ore, opere, jubilo cordis & vocis.*

Quia delectasti *& lætificasti* me, Domine *Deus*, in factura tua, * *in eo quod in me facis* (*quia quidquid bene ago tu facis*); et in operibus manuum tuarum, *omnium scilicet rerum quas creasti, pulcritudinem nempe & utilitatem earum admirando*, exultabo *semper.*

Quàm magnificata sunt *& insignia atque laudabilia* opera tua, Domine * *virtutum*! nimis profundæ *& inscrutabiles* factæ sunt *in providentia æterna* cogitationes tuæ, *quæ exsuperant omnem sensum humanum.*

Vir insipiens *ac incredulus, qui Deum*

ignorat, non cognoſcet * *beneficia divina*: et ſtultus *amator mundi & neglector verborum Dei* non intelliget hæc *opera Dei*, *ſed caſu omnia agi æſtimabit*, *non attendens finem bonorum & malorum.*

Cùm exorti fuerint & *cœperint florere* peccatores *in proſperitate mundi* ſicut fœnum, * *quod poſt ortum ſuum citò areſcit*; et apparuerint, *modico tempore florentes*, omnes qui operantur *pertinaciter* iniquitatem, *præponendo terrena cœleſtibus*: *apparebunt*, *inquam*,

Ut intereant, *propter ſuas iniquitates*, in ſæculum ſæculi, * *æternaliter*, *ſine fine*: tu autem altiſsimus & *potentiſsimus permanes* in æternum, Domine *Deus.*

Quoniam ecce inimici tui, Domine, *Judæi*, *Pagani*, *Hæretici*, *Pſeudochriſtiani*, quoniam ecce inimici tui, *qui ſine te vivere & agere præſumunt*, peribunt, * *condemnati in æternum ignem*: et diſpergentur *ac ſeparabuntur à conſortio ſanctorum* omnes *impœnitentes*, qui operantur *inceſſanter* iniqui-

ta-

tatem *mortalem.*

Et exaltabitur *atque ſublimior apparebit*, ſicut unicornis *animalis*, cornu meum, * *fides & fortitudo mea in unitate Eccleſiæ* : et ſenectus mea *noviſſima erit* in miſericordia uberi, *fertili, & abundanti.*

Et *ideo jam nunc* deſpexit oculus meus *interior* inimicos meos * *impios, cognoſcens vitam illorum inutilem & potentiam brevem*; et in inſurgentibus in me *peccatoribus*, malignantibus *& contra me graſſantibus*, audiet auris mea *ſententiam Dei contra blaſphematores, in judicio.*

Juſtus, *non ut fœnum*, *ſed* ut palma florebit * *virore perpetuo virtutum*, *&* ſicut cedrus Libani *procera & imputribilis* multiplicabitur *in operibus bonis.*

Plantati *fide*, *ſpe*, *& caritate* in domo Domini, * *in Eccleſia Dei*, *ut creſcant & fructificent*; in atriis *primis* domus Dei noſtri florebunt, *producendo fructum in populo Dei.*

Adhuc multiplicabuntur, *de bono in melius proficiendo*, in ſenecta *Eccleſiæ* uberi * *ac fertili* (*tunc enim citò im-*

plebitur electorum numerus): et bene patientes *ac tranquilli* erunt, *mala hujus peregrinationis sustinentes*, ut annuntient *aliis quod sequitur*:

Quoniam rectus & *justus est* Dominus Deus noster; * *flagellans hìc filios, ut coronet*; et non est iniquitas in eo, *dum in præsenti parcit malis, ut in futuro condemnet.*

ORATIO.

Peccata nostra damnantes, misericordiam tuam, Domine, jugiter postulamus; & confitemur, beneficia quæ à te suscepimus non meritorum nostrorum esse, sed miseratione tua præstari. Unde, plantatos in fide, spe, & caritate, fac nos fructificare in operibus bonis, ut sic in atriis cœlestibus exsultemus in æternum. Amen.

PSALMUS XCII. [*sec. Hebr.* XCIII.]

Laus cantici *pertinentis ad divinitatem, quæ laus debetur* ipsi David, *Christo, qui est verus David manu fortis & desiderabilis. Et hæc laus facta est* in die ante Sabbatum, *quæ est feria sexta parasceves, in qua moriendo redemit genus hu-*

humanum; quando fundata eſt terra *& Eccleſia, de latere Chriſti currente ſanguine.*

DOminus *Jeſus Chriſtus, verus Deus & homo*, regnavit *& ſe regnantem oſtendit in ſua reſurrectione*: decorem indutus eſt, * *cùm corpus glorioſum in reſurrectione aſſumſit*: indutus eſt Dominus *Jeſus Chriſtus* fortitudinem, *quando captivos ex inferni clauſtris eduxit*: et præcinxit ſe *virtute angelica, quando remeavit ad Patrem.*

Etenim *per hoc* firmavit *in fide militantem Eccleſiam per* orbem terræ * *diffuſam*; qui non commovebitur *à ſoliditate fidei ad errores, licèt interdum concutiatur.*

Parata *eſt* ſedes tua *ad dexteram Patris* ex tunc * *à reſurrectione*: *tamen* à ſæculo *æterno ſine principio temporis* tu es *Deus*, *ſemper idem manens.*

Elevaverunt flumina *& potentes hujus ſæculi*, Domine * *Deus*, elevaverunt (*inquam*) flumina *mundana, quæ volutabantur in deſideriis ſuis*, vocem ſuam *contra Chriſtianos, quando præci-*

piebant illos ubique exterminari.

Elevaverunt *adversus vocem prædicantium* flumina , *persecutores fidei*, fluctus suos * *comminationum* , à vocibus *blasphemis* aquarum multarum *&* *populorum commoventium persecutiones contra Christum.*

Mirabiles *factæ sunt* elationes *& persecutiones* maris, * *videlicet sæcularis potestatis , contra fidem catholicam : mirabiles fuerunt pressuræ , mirabiles minæ: sed etiam* mirabilis *fuit* in altis *& profundis suis consiliis* Dominus *Deus* , *qui Ecclesiam suam crescere fecit in tribulationibus.*

Testimonia tua *euangelica* , *prædicata per Apostolos* , credibilia facta sunt nimis , * *valde firmata per signa & prodigia multa : & ergo* domum tuam, *quæ est Ecclesia catholica* , decet sanctitudo, Domine , *quod sit sancta & munda; quia tu es sanctus sanctorum , qui eam inhabitas* in longitudinem dierum , *usque ad finem mundi.*

ORATIO.

Beneficia tua , Domine , devota consideratione meditantes , humiliter tuam clemen-

mentiam deprecamur, ut mundo nos corde ac corpore in ſancta tua Eccleſia cuſtodire digneris; ut piè ac juſtè vivamus, donec perveniamus ad gloriam cœleſtem in longitudine dierum. Amen.

PSALMUS XCIII. [*ſec. Hebr. XCIV.*]

Pſalmus *iſte eſt* David *Prophetæ, habitus pro his quæ ſignantur per ea quæ facta ſunt* quarta Sabbati, *hoc eſt quarta die creationis mundi.*

DEus *Jeſus Chriſtus eſt* ultionum *& vindictarum* Dominus, * *qui judicaturus eſt mundum, & affligere veniet obſtinatos*: Deus ultionum *in adverſarios veritatis* liberè egit *quidquid voluerit, quia nullo impediente judicabit.*

Exaltare, *oſtendendo tuam potentiam & virtutem*, qui judicas terram * *& omnes habitantes in ea*: *&* redde retributionem *atque viciſsitudinem vindictæ* ſuperbis *bonos opprimentibus, & peccata ſua defendentibus.*

Uſquequo peccatores *impii*, Domine, * *habebunt lætitiam malignandi?*

Uſque-

Usquequo? *quamdiu* peccatores *grassabuntur in pios, &* gloriabuntur *in falsa felicitate de peccatis suis?*

Effabuntur *usquequo arroganter*, et loquentur iniquitatem, * *quia manifestè iniqua opera prædicabunt*; loquentur, *& comminiscentur se verbis tueri*, omnes qui operantur *assiduè* injustitiam *mortalem?*

Populum tuum *justum*, Domine *Deus*, humiliaverunt * *opprimendo*: et hereditatem tuam, *quæ est gens fidelis electa*, vexaverunt *affligendo.*

Viduam *auxilio mariti destitutam*, et advenam *auxilio notorum carentem* interfecerunt, * *quandoquidem te non curant, qui istos tueri soles*: et pupillos *sine misericordia* occiderunt: *ut fuit in persecutionibus martyrum, ubi nulli sexui, nulli ætati pepercerunt.*

Et dixerunt, *quasi blasphemantes*: Non videbit *neque attendet* Dominus * *facta nostra*, nec intelliget *aut curabit* Deus Jacob, *quia ejus providentia non se extendit ad ista inferiora.*

Intelligite *quæ dicam, vos* insipientes in populo, * *& resipiscite ab errore*

re vestro : et *vos*, stulti *corde*, aliquando : sapite *veritatem* , *quod scilicet est Dei providentia.*

Qui plantavit *& formavit* aurem *in te*, non audiet ? * *audiet utique.* Aut qui finxit *& creavit* oculum *in videntibus*, non considerat ? *videbit utique : nulli tantum dedit quantum in se habet.*

Qui corripit *quotidie* gentes *incredulas*, non arguet * *& judicabit vos de impietatibus vestris* ? qui docet hominem scientiam *numquid erit inscius* ? *absit: hoc esse non potest.*

Dominus *Deus* scit cogitationes *interiores* hominum * (*ergo multò fortius opera eorum*) quoniam vanæ , *inutiles, temerariæ* sunt *& invalidæ*, *ad malum pronæ.*

Beatus *& planè felix est* homo , *non qui se ipsum docet*, *sed* quem tu erudieris, Domine, * *in mente illustrando*; et de lege tua *Euangelica* docueris eum , *ut mandata tua intelligat*, *& opere perficiat.*

Ut mitiges ei *tribulationem* à diebus malis, * *ut patienter sustineat mala præsen-*

ſentis vitæ ; donec fodiatur peccatori *obſtinato* fovea *in ſepulcro & in gehenna: tunc enim interibit omnis felicitas malorum.*

Quia non repellet *neque abjiciet* Dominus *Deus* plebem ſuam * *Chriſtianam, quamvis interdum corrigit & flagellat*; et hereditatem ſuam, *ipſam plebem, ſanguine ejus redemtam*, non derelinquet : *quia quos elegit non negliget.*

Quoaduſque juſtitia *divina* convertatur in judicium * *extremum, ubi reddetur unicuique ſecundum opera ſua.* Et qui *ſunt* juxta illam *juſtitiam, ut eam ſecurè exſpectare poſsint*? omnes *certè* qui recto ſunt corde, *conformantes ſe voluntati divinæ.*

Quis *ergo* conſurget mihi *in auxilium*, adverſus malignantes * *& mala mihi ſuadentes*? aut quis ſtabit *perſeveranter* mecum *ut pugil fortis*, adverſus operantes iniquitatem, *ut non vincar ab eis*? *Certè,*

Niſi quia Dominus *ſolus* adjuvit me, * *& niſi mihi affuiſſet* Dei *auxilium ſpeciale*, paulominus *& ferè* habitaſſet in inferno anima mea *decepta.*

Si

Si dicebam *veraciter* : Motus eſt pes *& affectus* meus * *ad peccatum*; miſericordia *tamen* tua, Domine, *mox* adjuvabat me *in tribulationibus animæ & corporis.*

Secundum multitudinem *& magnitudinem* dolorum meorum, *quos patior* in corde meo * *& conſcientia*, *tam pro peccatis*, *quàm de tentationibus*; conſolationes tuæ, *ſuaves ex Scripturis*, lætificaverunt animam meam: *quia quot patimur vulnera, tot meremur & coronas.*

Numquid adhæret *& conſociabitur* tibi, *Domine*, ſedes iniquitatis * (*certè non, quia nemo iniquus ſedebit tecum*), qui fingis, *formas & facis* laborem *& dolorem* in præcepto? *quia labor & dolor eſt pretium regni Dei, in operibus bonis per laborem.*

Captabunt *iniqui cum ſævitia nocendi* in *& contra* animam juſti, * *ut decipiant & ad peccatum inducant*: et, *ſi non poſſunt decipere*; ſanguinem, *licèt* innocentem, *tamen* condemnabunt *ad mortem.*

Et *ſic* factus eſt mihi *afflicto* Dominus

nus *Deus* in refugium, * *ne cedam in tribulationibus*; et Deus meus *factus est* in adjutorium ſpei meæ *mihi ſperanti in ipſo: ſperavi enim, & adjutus ſum.*

Et reddet illis *impiis* iniquitatem ipſorum, *ut in caput recidant eorum mala*; et in malitia eorum, *quam intenderunt*, diſperdet eos * *à ſuo regno cœleſti*: diſperdet (*inquam*) illos, *quem non putabant curare res humanas*, Dominus Deus noſter, *qui juſtitiam exercebit tempore opportuno.*

ORATIO.

Adjutor noſter in tribulationibus, benignè nos conſolari digneris, qui in præſentis vitæ malis multipliciter fatigamur: ut, in hac vita ſalubriter purgati, & in futuro ab iniquorum pœnis miſericorditer erepti; in regno cœleſti, per tuam gratiam, æternæ beatitudinis efficiamur conſortes. Amen.

PSALMUS XCIV. [*ſec. Hebr. XCV.*]

Laus *iſta* cantici *devotionis & humilitatis ſit* ipſi David, *Domino ſalvatori, qui venit redimere genus humanum per mortem ſuam.*

VE-

VEnite *per fidem & devotionem*, exultemus *in* Domino, * *& confiteamur Deo beneficia nostra*, & jubilemus *in lætitia cordis*, *in* Deo salutari nostro *Jesu Christo*, *qui pro nobis moriendo salutem acquisivit.*

* Præoccupemus *& præveniamus* faciem ejus, *ne irascatur nobis in judicio*, in confessione * *peccatorum nostrorum*: et in psalmis *& laudibus devotionis* jubilemus ei, *gratias agendo.*

Quoniam *ipse est* Deus *omnipotens qui cuncta creavit*, & magnus Dominus * *qui omnia gubernat*, et rex magnus *cui nemo similis*, super omnes deos *adorandus.*

Quia in manu *& potestate* ejus, *ordinatione*, *& regimine*, sunt omnes fines terræ, * *qui pugillo continet omnia*: et altitudines montium *etiam* ipsius sunt, *qui omnia creavit*, *novit*, *& regit*, *infima*, *& suprema.*

Quoniam *in potestate* ipsius *etiam* est mare *latissimum*, et ipse fecit illud, * *congregans aquas in unum locum* : et siccam *seu aridam partem terræ* manus

&

& poteſtas ejus *operativa* formaverunt, *ut ſua ſint omnia.*

Venite, *omnes fideles*, adoremus *cum mentis devotione*, et procidamus * *corporis flexione*, et ploremus *pro peccatis noſtris*, ante Dominum *Deum*, qui fecit nos *ad imaginem & ſimilitudinem ſuam.*

Quia ipſe eſt Dominus Deus noſter, * *dans ſe nobis per ſuam incarnationem*: et nos *ſumus* populus paſcuæ ejus, *quem reficit ſpiritualiter & corporaliter*; et oves manus ejus, *per quem defenſamur & manuducimur ne erremus.*

Hodie *in tempore gratiæ*, ſi vocem ejus *Euangelicam* audieritis * *& obediveritis, qui olim locutus eſt Patribus in Prophetis*; nolite obdurare *in malum* corda veſtra, *ſic ut non credatis neque obediatis mandatis ejus*: [*Heb.* 3. 7.]

Sicut *factum eſt* in irritatione *& provocatione ad iram Dei*, ſecundum diem *& tempus* tentationis *factæ* in deſerto * *Sin*; ubi *multoties* tentaverunt me patres veſtri, *dubitando de promiſsis & verbis meis*: probaverunt me *quid facere poſſem*, et viderunt *mirabilia* ope-

ra mea; *nec tamen crediderunt.*

Quadraginta annis, *quibus duxi eos per desertum*, offensus fui *implacabiliter* generationi illi, * *propter incredulitatem & murmurationes eorum.* Et dixi: Semper hi *increduli* errant corde, *ex certa malitia & perversa voluntate.*

Et isti non cognoverunt *nec cognoscere voluerunt* vias meas & *præcepta, in quibus debebant ambulare*, ut juravi & *firmiter diffinivi* in ira & *justitia* mea * *divina, dicens*: Si introibunt (*quia non introibunt*) in requiem meam *æternam, quia non crediderunt nec obedivetunt.* [*Hebr.* 4. 3.]

ORATIO.

Domine JESU CHRISTE, salvator noster, Deus omnipotens qui cuncta creasti, rex magnus super omnes Deos, in cujus potestate, ordine, & gubernatione sunt omnia: tibi Deo nostro confitemur, & gratias agimus, qui fecisti nos ad imaginem & similitudinem tuam. Respice propitius super oves pascuæ tuæ, & introdúcere easdem digneris in requiem sempiternam. Amen.

PSALMUS XCV. [*sec. Hebr. XCVI.* sed sine titulo.]

Canticum *istud est* David *Propheta, agens de eo quod factum est* quando domus Dei, *quæ est Ecclesia catholica*, ædificabatur *toto orbe terrarum à Christo*, post captivitatem *quæ sub diabolo fuit per peccatum.* [1. *Paral.* 16. 15.]

CAntate Domino *Jesu Christo* canticum novum, * *quia novus homo & nova gratia venit in mundum:* cantate Domino, *non solum Judæi, sed* omnis terra *& habitantes in ea, quia adventus Christi omnibus fuit in salutem.*

Cantate Domino *in gloriam ejus*, et benedicite *gratias agendo* nomini ejus,* *quod JESUS est & salvator*: annuntiate *& euangelizate* de die in diem, *assiduè & semper*, salutare ejus, *quòd per Christum salvatus est mundus.*

Annuntiate *& prædicate* inter gentes *inenarrabilem* gloriam *nativitatis* ejus, * *resurrectionis, & ascensionis*: in omnibus populis, *opera* mirabilia ejus, *videlicet gloriam, beneficia & gratiam* Dei.

Quo-

Quoniam *ipſe Chriſtus*, magnus *in potentia*, *eſt* Dominus *omnium*, et laudabilis *in bonitate*; *& hoc* nimis, * *quia magis quàm poſsit dici vel cogitari*; *& etiam* terribilis eſt *ſuis adverſariis* ſuper omnes deos, *pluſquam omnes qui coluntur à Gentibus tamquam dii, & non ſunt*. [Ecclеſ. 43. 31.]

Quoniam omnes dii Gentium *ſunt* dæmonia; * *noſter* Dominus autem, *cui cantandum*, cœlos fecit *& verbo ſuo creavit*.

Confeſsio *laudis divinæ*, et pulcritudo, *celebritas, decor, & majeſtas* in conſpectu ejus * *ſemper*: ſanctimonia *animæ*, et magnificentia *in exercitio virtutum ſunt* in ſanctificatione ejus, *quia ipſo ſanctificante & donante fiunt*.

Afferte Domino, *pro tanto beneficio, vos* patriæ *& familiæ* gentium *ad fidem Chriſti converſarum*; afferte, *inquam*, Domino *Deo* gloriam, *in bonis operibus glorificando*; et honorem, * *omnia illi attribuendo*: afferte Domino *Deo* gloriam nomini ejus, *à quo habetis vires bene agendi*.

Tollite hoſtias, *ſcilicet voſmet ipſos*

corde contritos & humiles, et introite in atria ejus * *Ecclesiæ militantis*: adorate Dominum *Deum* in atrio sancto ejus *& in Ecclesia catholica.*

Commoveatur, *metu timoris & reverentiæ, ad pœnitentiam*, à facie, *cognitione, & præsentia gratiæ* ejus, universa terra * *& omnes habitantes in ea*: dicite *& prædicate* in gentibus *novum Euangelium*, quia Dominus *Jesus Christus, victo diabolo*, regnavit *per lignum crucis.*

Etenim correxit *ab errore idololatriæ & justificavit* orbem terræ *per suum Euangelium*, qui non commovebitur * *à veritate fidei, quæ stabit usque ad finem mundi, & pòst* judicabit populos *omnes* in æquitate, *reddens unicuique secundum opera sua.*

Lætentur cœli *& angelicæ virtutes*, et exultet terra *seu populus terrenus, qui se intelligit à peccatis absolutum*: commoveatur mare, *sæculum hoc*, et plenitudo ejus,* *omnes à maximo usque ad minimum*: gaudebunt campi, *mansueti & humilitate pleni*, et omnia quæ in eis sunt *glorificent creatorem suum.*

Tunc,

Tunc, *post conversionem*, exultabunt omnia ligna silvarum, *pagani scilicet, inculti more silvestri*, à facie Domini, *à cognitione & præsentia ejus*; quia venit * *primò in carne, & postea* quoniam venit judicare terram, *vivos & mortuos*.

Judicabit orbem terræ & *omnes habitantes in ea*, in æquitate, * *singulis reddens pro meritis*; et populos, *tam bonos, quàm malos*, in veritate sua, *sine personarum acceptione*.

ORATIO.

Domine JESU CHRISTE, creator cœli & terræ, magnus Dominus, & laudabilis nimis: beneficia & gratiam tuam agnoscentes, gloriam offerentes nomini tuo, precamur ut, sicut te à ligno regnantem supplices confitemur, ita in sanctimonia vitæ, & exercitio virtutum, te donante, proficiamus.

PSALMUS XCVI. [*sec. Hebr.* XCVII. sed sine titulo.]

Psalmus *iste fit* ipsi David, *Christo, cujus laudes & victoriam continet*; *agens de eo quod factum est* quando terra re-

ſtituta eſt ei, *& quando corpus in ſua reſurrectione reaſſumſit.*

DOminus *Jeſus Chriſtus* regnavit, *quia dominium in ſua reſurrectione accepit: unde* exultet terra,* *quòd Dominum regnare ſciunt fideles; &* lætentur *etiam* inſulæ multæ, *in quibus propagata eſt fides Chriſtiana.*

Nubes, *propter incomprehenſibilitatem*, et caligo *ſeu obſcuritas ſunt* in circuitu ejus, * *quia non comprehenditur tam benignitas quàm terror judicii divini*: juſtitia *divina*, et judicium *rectum*, *&* correctio *malorum*, ſedis *& poteſtatis* ejus *ſunt.*

Ignis *conflagrationis* ante ipſum *judicem* præcedet, * *unde terrebuntur peccatores*: et inflammabit *involvendo* in circuitu, *horrendo judicio, reprobos* inimicos ejus.

Illuxerunt fulgura ejus, *majeſtas & terror potentiæ ejus*, orbi terræ, * *omnibus hominibus*: vidit *hæc miranda* et commota eſt terra, *gloriam Dei non ferens.*

Montes *ſuperbi & altitudo mundana,*

na, ſicut cera *quæ fluit ab igne*, fluxerunt *& liquefacti ſunt* à facie *& præſentia* Domini * *Dei* : à facie Domini, *cui nihil reſiſtere poteſt*, omnis terra *humiliabitur*.

Annuntiaverunt cœli, *Apoſtoli & Prophetæ*, juſtitiam ejus, * *ubique fidem Chriſti euangelizando*: et *ſic* viderunt *ac cognoverunt* omnes populi gloriam *& divinitatem* ejus *Chriſti*.

Confundantur omnes *idololatræ*, qui, *relicto vero Deo*, adorant ſculptilia * *manu artificum facta*; et qui gloriantur *& confidunt* in ſimulacris ſuis *falſis*, *quæ ſpiritu carent*, *& vana ſunt*. [*Exod*.20. 4. *Lev*.26. 1. *Deut*.5. 8.]

Adorate eum *Chriſtum verum Deum* omnes Angeli ejus, * *& annuntiatores regni illius* : audivit *confuſionem idololatrarum* et lætata eſt Sion, *Eccleſia fidelium*. [*Heb*.1. 6.]

Et exultaverunt, *Deum magnificando*, filiæ Judæ, * *animæ fideles*, *electæ*, propter judicia tua *juſta & recta*, Domine, *qui non es perſonarum acceptor*.

Quoniam tu *es* Dominus altiſsimus *& potentiſsimus* ſuper omnem terram,*

ubi glorificatur nomen tuum; *&* nimis exaltatus es, *uſque ad Patris æqualitatem*, ſuper omnes deos, *Angelos & Sanctos*, *qui à te gratia tua deificantur.*

Qui diligitis Dominum, *qui ſolus bonus eſt*, odite malum * *& quodcumque Deo adverſum*: cuſtodit Dominus *à peccatis mortalibus* animas ſanctorum ſuorum, *qui in tribulationibus & tentationibus recurrunt ad ejus auxilium*; *&* de manu peccatoris *ac poteſtate diaboli* liberabit eos *Dominus.* [*Amos* 5. 15. *Rom.* 12. 9.]

Lux *divinæ gratiæ* orta eſt juſto, * *& refulget in corde ejus*: et rectis corde, *quibus placet per omnia Deus*, *orta eſt per ſpem* lætitia *vera & gaudium in Domino.*

Lætamini juſti *ſerena conſcientia* in Domino, * *congratulando beneficiis ejus*: et confitemini *confeſſione laudis* memoriæ ſanctificationis ejus, *quia memor fuit ſanctificare vos donis & gratiis ſuis.*

ORATIO.

Cuſtos animarum ſanctarum, Deus, refulgeat lux divinæ gratiæ tuæ in cordibus noſtris, ut lætemur ſerena conſcientia in te, gratulando beneficiis tuis, quia memor

mor fuisti nos sanctificare donis & gratiis tuis. Et præsta nobis te diligere, malum odire, & exsultare in te summo bono, JESU CHRISTE. Amen.

PSALMUS XCVII. [*sec. Hebr. XCVIII.*]

Psalmus *iste est* ipsi David, *Christo, qui forti manu Goliath, diabolum, superavit.*

CAntate Domino *Jesu Christo* canticum novum, * *tamquam auctori Novi Testamenti*: quia mirabilia, *à sæculo non visa vel audita*, fecit, *salutis videlicet nostræ dispensationem, moriens & resurgens.*

Salvavit *genus humanum, quod perierat*, sibi, *& ad gloriam Dei Patris*, dextera ejus * *& potentia divinitatis*, et brachium sanctum ejus: *quia propria virtute vicit Satanam & mundum.*

Notum fecit Dominus *Deus Pater* salutare suum * *Jesum Christum, pro salute mundi incarnatum*: in conspectu *omnium* gentium *per universum orbem* revelavit *& publicavit* justitiam suam *& fidem catholicam justificantem.* [*Isa.*52. 10.]

Re-

Recordatus est misericordiæ suæ * *qua promisit mittendum Filium*, et veritatis suæ *qua implevit promissum* domui Israël, *patribus nostris*.

Viderunt *& cognoverunt per fidem* omnes termini *& fines* terræ * salutare Dei nostri *Jesu Christi, per quem est salus : quia prædicatum est Euangelium toto orbe terrarum*.

Jubilate *& gratulamini* Deo omnis terra : * *qui peccatis erepti estis per Verbum Dei*, cantate *voce*, et exultate *corde*, et psallite, *gratias agite*.

Psallite Domino *Deo* in cithara, *gestientes* : in cithara, *inquam*, et voce psalmi, * *exsultantes de salute donata vobis à Deo* : in tubis ductilibus, *omnibus modis gaudete*, et voce tubæ corneæ : *quia totius orbis redemtio & salus facta est*.

Jubilate *intus*, in conspectu regis Domini * *Jesu Christi* : moveatur *ad Dei reverentiam & fidem* mare, *hoc sæculum*, et plenitudo ejus, *id est habitantes in insulis maris* : orbis terrarum *etiam convertatur ad pœnitentiam*, et qui habitant in eo, *scilicet*

cet mundi amatores.

Flumina, *ſancti viri pleni aquis gratiarum*, plaudent *&* *gaudebunt* manu, *in exercitio bonorum operum*: ſimul, *in unitate fidei & caritatis, viri ſancti majores, qui* montes *dicuntur*, exultabunt à conſpectu Domini, * *ipſo veniente ad judicium*; quoniam venit judicare terram *& peccatores terrenos, ut diſcernat paleas à frumento.*

Judicabit *enim* orbem terrarum *& habitatores ejus* in juſtitia * *vera*, et populos *omnes* in æquitate: *quia capient æqua pro meritis ſuis.*

ORATIO.

Domine JESU CHRISTE, qui pro ſalute mundi incarnari voluiſti, & revelaſti juſtitiam tuam gentibus univerſis, atque mirabilia feciſti converſatus cum hominibus in carne: præſta nobis pro tantis beneficiis tibi ſemper gratias agere jubilando, cantando, exſultando, & pſallendo totis animæ & corporis viribus, ut tandem in finali examine te judicem propitium habeamus. Amen.

PSALMUS XCVIII. [*ſec. Hebr.* XCIX.]

Pſalmus *iſte eſt* David *Propheta invitans ad laudem & honorem Chriſti, ut eum tamquam Deum & regem adoremus.*

DOminus *Jeſus Chriſtus*, *qui prius humilis inter homines apparuit*, regnavit *reſurgens à mortuis*, *licèt hoc audientes* iraſcantur *increduli* populi * *quantumcumque velint*: *Dominus*, *inquam*, ſedet ſuper Cherubim *ad dexteram Patris*: *unde contremiſcens* moveatur terra *incredula ac vitioſa.*

Dominus *iſte eſt*, in Sion *& Eccleſia catholica Deum ſpeculante per fidem*, magnus, * *& glorioſus*: et excelſus *eſt Deus* ſuper omnes populos, *quia Eccleſia ejus eſt magnificata per orbem*, *ubi omnes populi converſantur.*

Confiteantur *confeſsione laudis* nomini tuo magno *divulgato in omni terra*: quoniam terribile *in potentia qua punit*, et ſanctum *in bonitate qua parcit*, eſt * *nomen ejus*; et honor regis *Chriſti* judicium diligit, *ut reddat unicuique ſecundum opera ſua.*

Tu

Tu parasti & *composuisti* directiones * & *præcepta juxta quæ vivere debemus* : judicium *discernendi inter bonum & malum*, et justitiam *operandi bona*, in Jacob *populo fideli*, *non à nobis est*, *sed* tu fecisti, *qui operaris in nobis & velle & perficere*.

Exaltate & *laudibus extollite* Dominum Deum nostrum *Jesum Christum*, et adorate *reverentia singulari* scabellum pedum ejus * & *venerabile corpus ejus* : quoniam sanctum est *ipsum corpus, nulla peccati macula inquinatum*.

Moyses *legislator* et Aaron *summus sacerdos fuerunt* in sacerdotibus ejus * *Christi*, et Samuel inter eos *fuit* qui invocant nomen ejus *Christi* : *istos ergo audite & imitamini*.

Invocabant Dominum *humiliter & devotè*, et ipse *Deus* exaudiebat eos : * *quia* in columna nubis loquebatur ad eos *verba obscura & occulta*.

Custodiebant *firmiter* testimonia ejus * *judicialia & cæremonialia*, et præceptum *decalogi* quod dedit illis *ut eum dignè colerent*.

Domine, Deus noster, tu exaudiebas

duratura est misericordia ejus * *peccata dimittendo*; et usque in generationem et generationem *semper etiam permanet* veritas ejus , *promissa implens, tam bonis quàm malis.*

ORATIO.

Domine, Deus noster JESU CHRISTE, à quo creati sumus & redemti, qui fecisti nos ad imaginem & similitudinem tuam, qui sumus populus tuus & oves pascuæ tuæ: precamur ut in lætitia sempiterna jubilum exsultationis cum gratiarum actione mereamur in æternum concinere, cum omnibus sanctis & electis tuis. Amen.

PSALMUS C. [*sec. Hebr.* CI.]

Psalmus *iste attribuitur* ipsi David, *Christo, cui omne bonum nostrum attribuendum est.*

MIsericordiam *quæ modò est*, et judicium * *quod erit in futuro sæculo*, cantabo & *annuntiabo* tibi *ad honorem tuum*, Domine *Deus.*

Psallam *bonis operibus meis*, et intelligam in via immaculata * *diligenter eam scrutando & juste agendo*, quando ve-

venies ad me *per tuam gratiam.*

Perambulabam *jucundè* in innocentia *& puritate* cordis mei * *vitando peccata*, in medio domus *& conſcientiæ* meæ, *ubi quietè habito, quia nihil mihi conſcius ſum.*

Non proponebam ante oculos meos *aliquam* rem injuſtam, * *ut deſiderarem eam : immò* facientes *tuæ legis* prævaricationes *ſeu tranſgreſsiones* odivi *& dignos odio judicavi.*

Non adhæſit mihi *per obſtinationem* cor pravum, * *difforme divinæ voluntati* : declinantem *autem* à me, *qui ſequebar bonitatem*, malignum *ſeu malevolum* non cognoſcebam *per approbationem.*

Detrahentem *& diminuentem famam* ſecretò *& in abſentia* proximo ſuo, * *ego* hunc perſequebar, *arguendo & increpando ne hoc ageret.*

Superbo oculo, *& præſumtuoſo*, et inſatiabili corde * *in avaritiam*, cum hoc *homine* non edebam *nec converſabar.*

Oculi mei *cordis erant* ad fideles terræ, *qui fidem & veritatem tenent in terra*, ut ſedeant *& habitent* mecum *

in justitia: ambulans in via immaculata *& perfecta, zelator legis Dei*, hic mihi ministrabat *in obsequiis bonis.*

Non habitabit in medio domus meæ *& inter ministros meos* qui facit superbiam * *alios despiciendo vel conculcando, nec* qui loquitur iniqua, *dolosa, & pernitiosa: talis enim* non direxit *seu directam gratiam habuit* in conspectu oculorum meorum, *immò abominabar eum.*

In matutino *& ortu futuri sæculi* interficiebam *sceleratos*, *&* omnes peccatores terræ, * *& impios;* ut disperderem de civitate Domini *& societate sanctorum* omnes *impœnitentes*, operantes iniquitatem, *& permanentes in voluntate peccandi.*

ORATIO.

Divina misericordia nobis præstet gratiam, ut ambulemus in via immaculata, & innocentia cordis, atque puritate conscientiæ, vitando omnia facinora; ut sic non cum peccatoribus à civitate Domini in illo extremo judicio disperdamur, sed cum electis in tabernacula æternæ felicitatis recipi mereamur. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

PSAL-

PSALMUS CI. [*sec. Hebr.* CII.]

Oratio pauperis *afflicti & pœnitentis*; cùm anxiatus fuerit *in miseriis vitæ præsentis*, et *petens liberari* effuderit *devotè* coram Domino *Deo* precem suam, *misericordiam implorando*.

DOmine, *Deus omnipotens*, exaudi *ad effectum salubrem* orationem meam * *ex corde procedentem*, et clamor meus *de virtutum zelo* ad te veniat, *& acceptus coram te fiat.*

Non avertas *quasi offensus* faciem tuam *gratiæ* à me * *pœnitente*, *ut indigno*: in quacumque die tribulor *& premor*, *vel peccatorum mole*, *vel tentationum fasce*, inclina ad me *supplicantem* aurem tuam *clementiæ*.

In quacumque die *& hora* invocavero te, * velociter (*ut mea exigit miseria*) exaudi me, *& ad adjuvandum me festina.*

Quia defecerunt *& evanuerunt*, sicut fumus *celeriter disparens*, dies mei * *infructuosi*; et ossa mea, *quæ sunt animæ vires*, sicut cremium *in sartagine*

tostum aruerunt *à recordatione peccati & tremore judicii.*

Percussus sum *mortalitate* ut fœnum *quod aret falce resectum*, et aruit *sterilitate peccati* cor meum * *in devotione*; quia oblitus sum comedere panem meum *spiritalem*, *doctrinæ scilicet & eucharistiæ.*

A voce *dolorosa* gemitus mei * *emissi pro peccatis*, adhæsit *& contabuit* os meum, *præ afflictione pœnitentiali*, carni *& pelli* meæ: *adeò maceravi me ipsum.*

Similis, *propter erubescentiam peccatorum*, factus sum *avi* pellicano, *amatori* solitudinis * *& deserti*: factus sum, *non audens comparere*, sicut nycticorax *& teter corvus* in domicilio *ruinoso.*

Vigilavi * *per cogitationem peccati & miseriæ propriæ*, et factus sum *solivagus* sicut passer *avolans à consortio hominum* solitarius *habitans* in tecto *domorum.*

Tota die *irridendo* exprobrabant mihi *verbis injuriosis* inimici mei, * *homines mundani*: et qui laudabant me *ore & non corde*, adversum me, *in occulto de-*

detrahentes, jurabant *struentes insidias.*

Quia cinerem & *viles cibos* tamquam panem *pro pastu* manducabam * *in esurie*, et potum meum *delectationis temporalis* cum fletu *spiritualis pœnitentiæ* miscebam *gemens pro peccatis.*

A facie & *præsentia* iræ & *vindictæ tuæ quam merui peccando*, et *ab instantia* indignationis tuæ * *valde horrui*; quia, elevans *secundum animam me creando ad imaginem tuam*, allisisti me *secundum corpus in hac pœna & miseria.*

Dies mei *vani & infructuosi velocissimè*, sicut umbra *evanescendo*, declinaverunt * *omnino*: et ego, *qui florere videbar*, sicut fœnum *sterilitate culpæ* arui *propter defectum roris gratiæ.*

Tu autem, Domine, *incommutabilis* in æternum permanes, * *dum cetera omnia transitoria sunt*: et memoriale tuum *promissum*, *quod est misericordia tua*, in generationem *præsentem* et generationem *futuram semper durat usque ad finem sæculi.*

Tu, exurgens *ad liberandum*, misereberis Sion, * *Ecclesiæ militanti*; quia tempus *acceptabile* miserendi & *plenitu-*

do ejus *est* , *&* quia *jam* venit tempus *redemtionis & salutis nostræ.*

Quoniam placuerunt *in sua emendatione* servis tuis , *Angelis* , lapides *seu fideles pœnitentes* ejus * *Ecclesiæ* ; et terræ ejus , *qui sunt terreni prævaricatores* , miserebuntur *Angeli procuratores.*

Et *inde* timebunt *etiam* Gentes *de idololatria conversæ* nomen tuum , Domine , * *quod JESUS est* ; et omnes reges terræ *venerabuntur* gloriam *& omnipotentiam* tuam *in deitate.*

Quia ædificavit *super fundamenta Apostolorum & Prophetarum* Dominus *Deus* Sion , * *Ecclesiam suam* ; et *postea* videbitur *Dominus* in gloria *& majestate* sua , *justis præbens beatitudinem æternam.*

Respexit *misericorditer* in orationem humilium * *& pauperum spiritu*, et non sprevit precem eorum *emanantem ex cordis devotione.*

Scribantur hæc *Dei beneficia* in generatione *nova Christiana* , *quæ* altera * *est electa à Deo* : et *tunc* populus *Christianus* , qui creabitur *per regenerationem in baptismo* , laudabit Dominum

de

de gratia redemta & misericordia consecuta.

Quia prospexit *oculis misericordiæ* de excelso *sinu Patris*, sancto suo * *habitaculo*; *& ipse* Dominus *Jesus* de cœlo *ad veros humiles* in terram, *quando Verbum caro factum est*, aspexit *ut misereretur omnibus.*

Ut audiret *per ipsum mediatorem Filium* gemitus *Sanctorum Patrum*, compeditorum * *in limbo*: ut solveret *à peccatis* filios *diabolica fraude* interemtorum *atque mortuorum in peccatis*, *ne sic damnarentur ut patres eorum.*

Ut annuntient *liberè confitendo*, in *Ecclesia tua* Sion, nomen Domini * *Jesu Christi*; et laudem ejus *prædicando* in Jerusalem, *& deinde per orbem terrarum.*

In conveniendo *& congregando* populos, *dispersos per orbem*, in unum * *intellectum fidei*, et reges *terrarum ac principes* ut serviant *redemtori nostro* Domino *Jesu Christo.*

Respondit *populus Christianus* ei *Christo*, *vocanti ad opera sancta*, in *hac ambulanda* via *pœnitentiæ*, virtutis *&*

gratiæ suæ : * Paucitatem *atque brevitatem* dierum meorum *quibus vivam* nuntia mihi, *ut expendam illos ad salutem animæ meæ.*

Ne revoces me *ab hac vita* in dimidio *tempore* dierum meorum * *quibus vivam* : in generationem et generationem, *quod est æternaliter*, anni tui *sunt duraturi.*

Initio *temporis* tu, Domine, *qui es sine tempore & sine initio*, terram fundasti * *atque mundum hunc visibilem* : et opera manuum *ac virtutum* tuarum sunt cœli & *firmamentum ejus.* [*Hebr.* I. 10.]

Ipsi, *videlicet cœlum & terra*, peribunt *de hac forma quam modò habent*: tu autem *in te ipso* permanes * *immutabilis in gloria majestatis* : et omnes *homines*, sicut vestimentum *quod consumitur*, veterascent *in mortem.*

Et sicut opertorium *quod velat terras* mutabis eos, *cœlos & elementa*, et mutabuntur * *in qualitatibus suis* : tu autem *semper* idem ipse es, *penitus immutabilis*; et anni tui, *quia æterni sunt*, non deficient *umquam.*

Filii

Filii ſervorum tuorum, *quos ſcilicet per Euangelium gignent ſancti Apoſtoli & Doctores*, habitabunt * *tecum in ſæcula*: et *hoc* ſemen *ſeu generatio* eorum *taliter* in ſæculum dirigetur, *ut numquam à præſentia tua abſit in gloria.*

ORATIO.

Benigne ſalvator, ſinum tuæ pietatis nobis aperi, ut hereditatem cœleſtem, quam amiſimus per culpam, rapiamus per pœnitentiam. Subinde præſta ut dignis pœnitentiæ fructibus peccata, quæ fecimus, ſalubriter abſtergamus; quatenus tempora nobis indulta ſic expendamus, ut ad vitam æternam pervenire mereamur gratia & miſericordia Domini noſtri JESU CHRISTI, cui eſt honor & gloria in ſæcula ſæculorum. Amen.

PSALMUS CII. [*ſec. Hebr. CIII.*]

Pſalmus *iſte ſit* ipſi David, *ſcilicet vero Chriſtò: laus enim quæ hìc cantatur ſit Chriſtò.*

BEnedic *& gratias age pro beneficiis*, anima mea, Domino, * *in omnibus operibus ejus*: et omnia quæ intra me ſunt, *intellectus*, *voluntas*, *ceteræque*

que potentiæ, *benedicite* nomini ſancto ejus : *quia omnibus animæ viribus laudandus eſt Deus.*

Benedic, *inquam*, anima mea Domino : * et, *ut ſemper benedicas*, noli oblivifci, *tamquam ingrata*, omnes retributiones *&* *beneficia* ejus *quibus liberaliter ſupra meritum ex gratia te cumulavit.*

Qui propitiatur *ſemper* omnibus iniquitatibus tuis, * *eas remittendo*: qui ſanat omnes infirmitates tuas, *quas ſine gratia ſua evadere & emendare non potes.*

Qui redimit, *pretio ſui ſanguinis*, de interitu *æterno* vitam tuam, * *quam perdidiſti Deum offendendo* : qui coronat te, *non tamen tuis meritis*, *ſed* in miſericordia *ſua* et miſerationibus *multis.*

Qui *etiam* replet *ac ſatiabit* in bonis *cœleſtibus*, *ad quæ hìc ſuſpirabas*, deſiderium tuum:* renovabitur *quidem* ut aquilæ *ſeneſcentis* juventus tua, *quia nova ſpiritus conſolatione recreaberis.*

Faciens miſericordias *infinitas* Dominus * *eſt* : et *etiam ipſe eſt faciens* judicium *&* *vindictam* omnibus injuriam

riam *&* *calumniam* patientibus. *Unde ait* : *Mihi vindicta*, *&* *ego retribuam.*

Notas fecit vias ſuas *&* *præcepta legis* Moyſi * *legislatori* : *&* filiis Iſraël *manifeſtavit* voluntates ſuas, *quid velit aut nolit.*

Miſerator *in exhibitione beneficiorum ſuorum*, et miſericors *in natura eſt* Dominus * *Deus*, *culpas remittendo*: longanimis, *diu ſuſtinendo peccantes*, et multum miſericors, *ac copioſe clementiam impartiens.* [*Num.* 14. 18.]

Non in perpetuum *&* *ſemper* iraſcetur * *pœnitentibus*, neque in æternum *vindictas* comminabitur, *immò propitius erit poſt offenſas.*

Non ſecundum peccata noſtra *&* *merita*, *quibus quotidie offendimus*, fecit nobis, * neque ſecundum iniquitates noſtras *plurimas* retribuit nobis: *majora enim flagella merebamur.*

Quoniam, ſecundum altitudinem, *menſuram* *&* *diſtantiam* cœli à terra, * corroboravit *&* *confirmavit Dominus* miſericordiam ſuam *indeficientem*, ſuper timentes ſe *&* *pœnitentes* *&* *humiliantes.*

Quan-

Quantum diſtat ortus *ſolis* ab occidente, * *& quantum lux à tenebris; tam* longè fecit *& elongavit* à nobis *peccatoribus* iniquitates *& tranſgreſsiones* noſtras, *illas remittendo & delendo.*

Quomodo *& ſicut* miſeretur pater *carnalis* filiorum *ſuorum delinquentium; ita* miſertus eſt Dominus, *indulgentiſſimus parens*, timentibus ſe, * *& pœnitentibus de peccatis*: quoniam ipſe *Dominus* cognovit figmentum noſtrum, *& fragilem plaſmationem, & pronitatem ad peccandum.*

Recordatus eſt *Dominus* quoniam pulvis ſumus * *& origine & reſolutione*: homo *eſt* ſicut fœnum, *modicùm virens, citò areſcens*: *&* dies, *felicitas, & vita* ejus, *juxta corporis fragilitatem,* tamquam flos agri, *qui citò tranſit,* ſic efflorebit *modico tempore.*

Quoniam ſpiritus *ſeu anima* pertranſibit in illo *corpore hominis in morte*, *& egredietur ab eo*: et *tunc homo, quia cadaver erit*, non ſubſiſtet; * et non cognoſcet *ſpiritus* amplius locum ſuum *in quo habitavit.*

Miſericordia autem Domini ab æterno

no * *promiſſa*, et uſque in æternum *permanſura eſt*, *indeficiens*, ſuper timentes eum *timore caſto & filiali.*

Et juſtitia illius, *retribuens mercedem pro operibus bonis*, *erit* in filios filiorum * *ſeu imitatores & heredes bonorum paternorum*; his *certè* qui ſervant teſtamentum ejus *& præcepta*, *intus per fidem*, *& exterius per operationem.*

Et *qui* memores ſunt *ſemper* mandatorum ipſius, * *non ad audiendum tantùm*, *ſed* ad faciendum ea: *juſtificabuntur enim*, *non auditores legis*, *ſed factores.*

Dominus *Jeſus Chriſtus*, *qui ſedet* in cœlo *empyreo*, paravit ſedem ſuam * *ad dexteram Patris*: et regnum *atque poteſtas* ipſius omnibus dominabitur, *nullus enim reſiſtere poterit imperio ejus.*

Benedicite Domino *& laudate eum*, omnes Angeli *& nuntii veritatis* ejus, * potentes virtute *& executores voluntatis divinæ*, facientes verbum illius, *paratiſsimi & voluntarii* ad audiendam vocem ſermonum ejus, *atque ad obediendum ut imperata perficiant.*

Benedicite Domino *Deo*, omnes

vir-

virtutes ejus * *& ordines Angelorum, qui estis* ministri ejus, qui facitis voluntatem ejus.

Benedicite Domino, omnia opera ejus * *cœlestia & terrestria*: in omni loco dominationis *&* *potestatis* ejus, *ut qui ubique est ubique benedicatur*, benedic *iterum* anima mea Domino, *nec umquam cesses à laude ipsius.*

ORATIO.

Miserator & misericors Domine, longanimis, & multum misericors: non secundum peccata nostra facias nobis, sed in misericordia tua & in miserationibus multis propitiare delictis nostris, & reple in bonis cœlestibus desiderium nostrum, & sana omnes infirmitates nostras, qui benedicimus nomini tuo in sæcula. Amen.

PSALMUS CIII. [*sec. Hebr. CIV.*]

Psalmus *est ipsius* David *Prophetæ.*

BEnedic, *non tantum vox & opera, sed potius* anima mea Domino, * *pro tantis muneribus & beneficiis*: Domine, Deus meus *omnipotens*, magnificatus es *potestate*, *sapientia*, *misericordia*:

dia: *&* *hoc* vehementer, *quia major es omni laude.*

Confeſsionem *&* *laudem Angelorum*, et decorem *omnium creaturarum* induiſti, * *quia undique laudabilis & decorus appares in eis*; amictus *&* *coopertus* lumine *ineffabili*, ſicut veſtimento: *quia lux undique tibi eſt, qui habitas lucem inacceſsibilem.*

Extendens cœlum *ſidereum* ſicut pellem * *&* *tentorium ſuper hemiſphærium noſtrum*: *tu es* qui tegis aquis *&* *cœlo cryſtallino*, *quod aqueum dicitur*, ſuperiora ejus, *quia ſupra firmamentum.*

Qui ponis nubem, *currum &* aſcenſum tuum * *in cœlos*: qui ambulas ſuper pennas ventorum, *quia ubique præſens es in velocitate.*

Qui facis Angelos *&* *nuntios* tuos *eſſe* ſpiritus, * *ut inſpirent hominibus tuam facere voluntatem*; et miniſtros tuos ignem urentem, *ut in aliis lumen veritatis infundant.*

Qui fundaſti terram *ipſam in baſi* ſuper ſtabilitatem ſuam, * *quia ſuper centrum mundi*: non inclinabitur *neque dimovebitur loco ſuo* in ſæculum ſæculi,

li, *in æternum.*

Abyssus, *occeanus*, sicut vestimentum, amictus ejus, * *quia mare & flumina operiunt terram sicut vestis* : super montes *altissimos* stabunt aquæ *pluviales*, *quæ generantur ex nubibus.*

Ab increpatione, *jussu*, *& voluntate* tua *divina*, fugient * *aquæ de loco ad locum* : *&*, à voce tonitrui tui, *fulgurum*, *& tempestatum*, formidabunt *atque timebunt homines.*

Ascendunt montes *& elevantur super reliquam terram*, et descendunt campi, * *& valles deteriores fiunt*, in locum quem *à principio* fundasti *& disposuisti* eis.

Terminum posuisti *aquis occeani, claudendo eas littoribus*, quem non transgredientur: * *immò conclusæ manebunt intra terminos sibi destinatos*, neque convertentur operire terram, *quantumlibet augeantur & eleventur.*

Qui emittis *& manare facis* fontes *ipsos* in convallibus * *& locis declivibus*: inter medium montium *collectæ* pertransibunt aquæ, *quæ exonerantur in fluvios.*

Po-

Potabunt *&* *adaquabuntur* omnes beſtiæ agri * *&* *animalia, tam domeſtica, quàm ſilveſtria*: expectabunt onagri, *aſini ſilveſtres*, in ſiti ſua, *ut reficiantur per fontes & flumina.*

Super ea *flumina & montes*, volucres cœli *aërei* habitabunt * *idoneo loco*: de medio petrarum *&* *nemorum* dabunt voces, *ſuaviter canendo creatori.*

Rigans montes *Dominus* de ſuperioribus ſuis, * *nubibus pluvioſis*: de fructu operum tuorum, *ſcilicet de pluvia, quod eſt opus tuum*, ſatiabitur terra, *& fecundabitur ad ferendum fructum.*

Producens fœnum jumentis, * *ut inde nutriantur*; et herbam ſervituti *&* *uſui* hominum, *ut inde paſcantur.*

Ut educas panem de terra, * *ad ſuſtentationem vitæ humanæ*; et vinum lætificet cor hominis, *ad recreationem, non ad ebrietatem.*

Ut *homo* exhilaret *&* *lætificet* faciem *ſuam* in oleo, * *ejus ſapore & condimento*; et *ut* panis cor hominis confirmet, *corpus reficiendo.*

Saturabuntur ligna campi, *quia arbores replebuntur fructibus & ramis*; et

cedri Libani *etiam humectabuntur*, quas plantavit * *Dominus* : illic, *in cedris*, passeres *& minuta volatilia cœli* nidificabunt *& quiescent*.

Herodii *nidus seu* domus *est in cedris*, *qui* dux est eorum * *passerum*: *&* montes excelsi *sunt refugium* cervis, *atque* petra *in via subterranea est* refugium herinaciis, *ubi tutò quiescere possunt*.

Fecit lunam *Deus* in tempora, * *ut per eam menses & anni numerentur*: *&* sol cognovit *ordinatè* occasum suum, *perinde ac si haberet intellectum*.

Posuisti tenebras *per occasum solis*, et facta est nox * *in hemisphærio nostro*: in ipsa *nocte* pertransibunt *de loco ad locum* omnes bestiæ silvæ, *ad quærendum alimentum*.

Catuli leonum *pertransibunt* rugientes *præ fame*, ut rapiant * *prædam aliquam*, et quærant à Deo, *cujus est omnibus providere*, escam sibi *necessariam*.

Ortus est sol *super terram*; et congregati sunt * *catuli illi ac reliqua animalia*, et in cubilibus suis *ac speluncis per diem* collocabuntur, *& accubabunt à calore solis & timore hominum*, *ordinatione* Dei.

Ex-

Exibit homo, *orto ſole*, ad opus ſuum * *faciendum*, et ad operationem ſuam, *qua*, *jubente Domino*, *in ſudore vultus ſui ſe nutriat*, uſque ad veſperum & *tenebras* : & *ſic tutò poterit laborare*, *ceteris beſtiis latitantibus*.

Quàm magnificata & *multiplicata* ſunt opera tua, Domine! * *quia excedunt ſenſum humanum* : omnia in ſapientia feciſti, *decentiſsimo ordine & natura* : impleta eſt terra poſſeſsione tua & *creaturis tuis* : *tu es dominus univerſorum*.

Hoc mare magnum *eſt profunditate*, et ſpatioſum *latitudine*, manibus, * *quia habet latiſsima brachia & ſinus*: illic reptilia *ſunt & piſces diverſorum generum*, quorum non eſt numerus *certus apud homines*.

Animalia puſilla cum magnis, * *maximi piſces & minimi* : illic *etiam per mare* naves pertranſibunt, *ad deducendum homines & bona eorum*.

Draco iſte, *cete grande*, quem formaſti ad illudendum ei, * *quia*, *dum capere vult piſces*, *illi ad ripam fugiunt*, *at ille inſequens impingit ſe in terram*

& capitur : omnia à te expectant *naturaliter* ut des illis eſcam, *pro naturæ ſuſtentatione* , in tempore *opportuno*.

Dante te illis *eſcam* , colligent * *eam*: aperiente te manum tuam, *ex tua largitate* omnia implebuntur bonitate, *& ſaturabuntur alimentis quæ ex tua bonitate dantur*.

Avertente autem te faciem , *denegando alimenta* , turbabuntur * *fame ex defectu naturæ* : auferes ſpiritum eorum *quo vivificantur* , et deficient *in mortem* , et in pulverem ſuum *primæ originis* revertentur.

Emittes , *Domine* , Spiritum *Sanctum* tuum , et *animæ peccatrices* creabuntur , * *& reformabuntur per gratiam tuam* : et *ſic* renovabis *in ſpiritu mentis* faciem terræ , *cùm gratia tua reformabuntur ad juſtitiam Dei*.

Sit gloria Domini , *laus* , *& honor*, in ſæculum , * *abſque termino* ; *ut* , *qui gloriatur* , *in Domino glorietur* : lætabitur Dominus , *non in noſtris* , *ſed* in operibus ſuis *quæ operatur in nobis*.

Qui reſpicit *ſuâ miſericordiâ* terram, *& viſitat homines habitantes in terra*,

et

et facit eam tremere * *de peccati conſcientia* : qui tangit *compunctione vel adverſitate* montes *ſuperbos & ſe jactantes*, et *tacti* fumigant *plorantque pro peccatis.*

Cantabo Domino, *gratias agendo pro beneficiis*, in vita mea, * *quoad vixero* : pſallam Deo meo *creatori* quamdiu ſum, *& agnoſcam bonitatem ejus.*

Jucundum ſit ei *& ſuave* eloquium meum * *& canticum laudis* : ego verò delectabor *tantùm* in Domino *ceu in ſummo bono*, *& in nullo alio.*

Deficiant, *à ſuo ſpiritu*, peccatores *homines* à terra *& terrenis concupiſcentiis*, et iniqui *ceſſent* ; ita ut non ſint * *quales fuerunt*, *ſed per Dei gratiam efficiantur juſti* : benedic anima mea, *memor beneficiorum*, Domino Deo.

ORATIO.

Deus, qui omnia in ſapientia creaſti, & cujus opera magnificata ſunt ſuper terram: tibi canimus, pſallimus, & benedicimus in æternum, quia cognoſcimus machinam mundi à te mirabiliter fabricatam, quæ nos hortatur ut te ſummum bonum ſuper omnia amemus; quoniam univerſa,

pulcra & bona creasti, qui es benedictus in sæcula. Amen.

PSALMUS CIV. [*sec. Hebr. CV.*]

Alleluja. [1.*Paral.*16. 8. *Isai.*12.4.]

CONfitemini Domino, *gratias agendo pro beneficiis ab eo acceptis*, et invocate nomen ejus * *in omni necessitate*: & annuntiate *seu prædicate* inter gentes *incredulas* opera ejus, *suæ potestatis & bonitatis declarativa.*

Cantate ei *ore*, et psallite ei * *corde & opere*, & narrate omnia mirabilia ejus, & *meditamini in eis.*

Laudamini, *bene operantes*, in nomine sancto ejus, * *ex intentione gloriæ divinæ, non propriæ; ut omnia fiant in nomine Domini*: lætetur *cum hilaritate* cor quærentium Dominum, *ut amore magis quam timore Deo serviatur.*

Quærite Dominum, *bona operando*, et confirmamini * *in caritate Christi ut perseveretis*: quærite faciem & *præsentiam* ejus semper, *sine intermissione studendo placere illi, & attendere ad ejus beneplacitum.*

Me-

Mementote *semper* mirabilium ejus quæ *filiis Israël* fecit, * *educendo eos de Ægypto*; prodigia ejus *quæ patratæ sunt in Ægypto*, et judicia *atque præcepta* oris ejus *in monte Sinai data*.

Semen *& imitatores fidei* Abraham *Patriarchæ sunt* servi ejus * *Domini*: *&* filii Jacob *imitatores*, *luctando contra vitia*, *& supplantando ea*, *estis* electi ejus *per gratiam*.

Ipse Dominus *Christus*, *qui nos redemit*, *est* Deus noster * *per verum cultum Christianæ religionis*: in universa terra *sunt* judicia ejus, *quia ubique regnat*, *judicat*, *& jubet quæ vult*.

Memor fuit, in sæculum, *in æternum duraturi*, testamenti sui * *novi*; *& recordatus est* verbi quod mandavit *prædicandum* in mille, *immò in omnes*, generationes.

Quod *testamentum* disposuit *& pepigit* ad Abraham, * *& ad illos qui per dilectionem obediunt Deo sicut Abraham*: *etiam* et *memor fuit* juramenti sui *& primæ promissionis factæ* ad Isaac, *populo gaudenti & glorianti in Deo*. [*Genes.* 22. 16.]

Et ſtatuit illud *teſtamentum & verbum fidei ipſi* Jacob *adhuc luctanti contra vitia*, in præceptum, * *ut firmiter crederet illud implendum*; et Iſraël *Deum per fidem videnti*, in teſtamentum & *fœdus* æternum;

Dicens: Tibi *Abraham & poſteris* dabo terram Chanaan, * *ſcilicet Promiſſionis*; & *hoc in* funiculum & *menſuram diviſionis* hereditatis veſtræ, *quia jure hereditario eam poſſidebitis.*

Cùm *illi*, *quibus promiſit*, eſſent numero brevi, * & *tam brevi quòd* pauciſsimi *etiam erant*, et incolæ, *advenæ, peregrini* ejus *terræ*, & *non cives.*

Et pertranſierunt *inde diſpoſitione divina* de gente *Chanaan* in gentem * *Ægyptiam*, et de regno *uno* ad populum alterum, *ſicut patet de Abraham & Jacob.*

Non *tamen* reliquit *Dominus aut permiſit* hominem *aliquem* nocere eis * *Patriarchis*: *immò* et corripuit *atque afflixit* pro eis reges *Ægypti & Palæſtinæ*, *volentes calumniari eos.*

Nolite tangere *neque affligere* chriſtos & *unctos* meos, * *quos in meam*

gra-

gratiam suscepi : et in prophetis meis, *prædicantibus verbum meum*, nolite malignari *neque injuriari.* [2. *Reg.* 1. 14. 1. *Parl.* 16. 22.]

Et vocavit *atque immisit* famem super terram * *Promissionis* : et omne firmamentum panis *ad sustentationem vitæ* contrivit, *adeò ut coacti fuerint ire in Ægyptum.*

Misit ante eos *in Ægyptum* virum * *Joseph* : in servum *Ismahelitis* venumdatus est *à fratribus suis ipse* Joseph. [*Gen.* 37. 36.]

Humiliaverunt *Ægyptii* in compedibus *&* *vinculis* pedes ejus, *ad falsam accusationem dominæ suæ* : ferrum, *quia dolor de infamia & timor de morte*, pertransiit animam ejus * *in tribulatione*, donec veniret *interpretatio somnii per* verbum ejus. [*Gen.* 39. 20.]

Eloquium Domini *& spiritus revelans mysteria* inflammavit eum,* *illuminando de occultis* : misit rex *Pharao*, et solvit *de vinculis* eum *compeditum*: princeps populorum, *qui fuit Putiphar*, et dimisit eum *liberum*. [*Genes.* 41. 14.]

Con-

Constituit *rex* eum *Joseph* dominum domus suæ * *& omnium rerum familiarium*, et principem *etiam* omnis possessionis suæ, *quia præfecit eum toti terræ Ægypti*;

Ut erudiret *& informaret* principes ejus *Pharaonis* sicut semetipsum, * *in terræ gubernatione*, et senes ejus prudentiam *de divinis* doceret.

Et intravit *fame cogente* Israël, *Jacob cum filiis*, in Ægyptum, * *ad mandatum Joseph*: et Jacob, *qui est & Israël*, accola fuit *& advena* in terra Cham, *quæ est Ægyptus, cujus dominus fuit Cham, reprobus filius Noë*. [*Genes*.46. 6.]

Et *ibi* auxit *Dominus* populum suum *& numerum filiorum Israël* vehementer * *in parvo tempore*, et firmavit eum *atque fortiorem fecit* super inimicos ejus *Ægyptios*.

Convertit *Deus* cor eorum *Ægyptiorum*, ut odirent *per invidiam* populum ejus, * *filios Israël, cùm augerentur*; et *ut* dolum facerent in servos ejus, *luti ac lateris operibus opprimendo*.

Misit *Dominus* Moysen servum

suum,

ſuum, * *ad liberandum Iſraël de Ægypto*; & Aaron, quem elegit ipſum *ut eſſet coadjutor*. [*Exod*.3. 10.& 4. 29.]

Poſuit in eis *Moyſe & Aaron legatis ſuis* verba ſignorum ſuorum, * *ut facerent miracula*; et prodigiorum *multorum*, in terra Cham, *quæ eſt Ægyptus*. [*Exod*. 7. 10.]

Miſit tenebras *denſiſsimas tribus diebus ſuper Ægyptios*, et obſcuravit * *totam terram Ægypti*; et non exacerbavit, *immò dulcoravit Deus* ſermones ſuos: *quia, cùm Pharao promittebat pœnitentiam, remittebat plagam*. [*Ib*.10. 21.]

Convertit aquas eorum *Ægyptiorum* in ſanguinem,* *ut bibere non poſſent ipſi, nec animalia*: et occîdit piſces eorum, *quia ibi naturaliter nutriuntur*. [*Ib*.7. 20.]

Edidit & *produxit* terra eorum ranas, * *non ſolum in locis communibus, ſed &* in penetralibus & *cubiculis regum ipſorum & principum Ægypti*. [*Ib*. 8. 16.]

Dixit *ac præcepit Deus*, et venit cœnomyïa, * *muſca canina*; et cinifes,

mu-

muscæ minutæ, *aculeis molestæ*, in omnibus finibus eorum *Ægyptiorum.* [*Ibid. & ℣.* 24.]

Posuit *& dedit* pluvias eorum *Ægyptiorum in* grandinem, * *quia pro pluvia salutiferâ grando vastavit omnia* : ignem *flammarum* comburentem in terra ipsorum. *Uredine & coruscatione omnia deperibant.*

Et percussit *grandine & fulminibus* vineas eorum *Ægyptiorum*, et ficulneas eorum : * *confregit etiam* et contrivit *omne* lignum *& fructiferas arbores* finium eorum, *tempestate fluminum.*

Dixit *& præcepit Dominus*, et venit *statim* locusta et bruchus, * *hortos, agros & vineas devastans*, cujus non erat numerus *præ multitudine.* [*Ib.* 10. 12.]

Et comêdit *locusta & bruchus* omne fœnum *& germen* in terra eorum, * *pascua animalium vitiando* ; et comêdit omnem fructum *segetum* terræ eorum, *ut etiam homines cibum non haberent.*

Et percussit *occidendo* omne primogenitum, *ab homine usque ad pecora*, in terra eorum * *etiam* ; *&* primitias omnis

omnis laboris eorum *Ægyptiorum.* [*Ib.* 12. 29.]

Et eduxit *de Ægypto* eos *Israëlitas* cum argento et auro * *quæ ab Ægyptiis mutuaverant*, et non erat in tribubus eorum infirmus *qui ab itinere impediretur.* [*Ib.* 12. 35.]

Lætata eſt Ægyptus *valde* in profectione *&* *receſſu* eorum, * *propter plagas quas patiebantur*; quia incubuit timor eorum *Hebræorum*, *ne redirent* ſuper eos *Ægyptios.*

Expandit *Deus* nubem in protectionem *&* *tegumentum* eorum, * *contra ardorem ſolis per diem*; et ignem *ſeu columnam ignis*, ut luceret eis *contra tenebras* per noctem. [*Ib.* 13. 21. *Pſal.* 77. 14.]

Petierunt *à Deo carnes*, et venit coturnix * *avis guſtu delicata*: et pane cœli, *nempe manna deſcendente de cœlo aëreo*, ſaturavit eos *abundanter.* [*Exod.* 16. 13.]

Dirupit *percutiendo* petram, et fluxerunt *tunc* aquæ * *in tanta abundantia*; *quod* abierunt *&* *cucurrerunt* in ſicco *deſerto* flumina, *ita ut biberent homines & jumenta.* [*Num.* 20. 11.]

Quo-

Quoniam memor fuit *& recordatus est* verbi ſancti ſui * *promiſsi*, quod habuit *& fecit* ad Abraham puerum *& ſervum* ſuum.[*Gen.* 17. 7. *&* 22.17.]

Et *Dominus* eduxit *de ſervitute Ægypti* populum ſuum, *filios Abraham*, in exultatione * *& hilaritate*; et electos ſuos *eduxit* in lætitia *poſt demerſos Ægyptios.*

Et dedit illis *Hebræis* regiones gentium * *ac terras Chananæorum*: et labores populorum *atque bona laboribus acquiſita* poſſederunt *occupando.*

Ut cuſtodiant *& obſervent* juſtificationes ejus * *atque mandata cæremoniaſque veri divini cultus*; et legem ejus requirant, *ut juſtè vivant, & diligenter intelligant.*

ORATIO.

Confitentes tibi, Domine, & invocantes nomen tuum, atque enarrantes omnia mirabilia tua, deprecamur, ut qui patribus noſtris dux fuiſti itineris in deſerto, & paviſti eos manna cœleſti, nos reficias tuis dapibus; ut tandem in terram viventium per te mereamur induci, & in regno tuo cum ſanctis tuis lætitia perfrui ſempiterna. Amen.

PSAL-

PSALMUS CV. [*ſec. Hebr. CVI.*]

Alleluja, *laudate Deum.* [*Judith* 13. 21.]

COnfitemini *de peccatis* Domino *Deo, vos qui graviter deliquiſtis:* quoniam bonus, * *benignus, & beneficus eſt*: quoniam in ſæculum *hoc præſens* miſericordia ejus *qua veniam dat pœnitentibus.*

Quis loquetur, *dignè laudando*, potentias Domini, * *& omnipotentiam creatoris? & quis* auditas faciet, *aliis annuntiando*, omnes laudes ejus, *& opera ex quibus eſt laudandus?* [*Eccleſ.* 43. 35.]

Beati *ſunt* qui *primo* cuſtodiunt judicium, * *rectè judicando, & bonum à malo diſcernendo*; et *deinde* faciunt juſtitiam *exequendo in opere & rectè agendo etiam* in omni tempore, *perſeveranter.*

Memento noſtri, Domine, *gratiam tuam nobis conferendo ut ſimus* in beneplacito populi tui, * *in meritis ſanctorum qui tibi placent*: viſita nos, *ut ſal-*

ve-

vemur, in salutari tuo *Jesu Christo*, *in quo peccata dimittuntur*;

Ad videndum *te facie ad faciem* in bonitate *&* *gratia* electorum tuorum, *ut participes simus beatorum in cœlo*: ad lætandum in lætitia gentis tuæ, * *ut connumeremur in cœtu piorum*; *&* ut lauderis *à nobis* cum hereditate tua, *qui sunt Angeli & electi*.

Peccavimus cum patribus nostris, * *& in multis offendimus*: injustè egimus *erga proximum*, *&* iniquitatem fecimus *contra Deum*. [*Judith* 7. 19.]

Patres nostri in Ægypto, *ubi multa facta sunt*, non intellexerunt *neque adverterunt* mirabilia tua, * *immò sine fide intuebantur ea*: non fuerunt memores *beneficiorum &* multitudinis misericordiæ tuæ, *propter eorum ingratitudinem*.

Et irritaverunt *Deum* ascendentes *de Ægypto* in mare, * *diffisi de potestate divina*, mare Rubrum; *cùm jam evasissent inimicos submersos*.

Et *Dominus* salvavit eos, *non propter merita eorum*, *sed tantùm* propter nomen suum * *manifestandum & glorifican-*

candum; ut notam faceret *atque ostenderet* potentiam suam, *Ægyptios submergendo*, *& Israël salvando.*

Et increpuit mare Rubrum *suo præcepto*, et exsiccatum est * *ipsum mare*: et deduxit eos in abyssis, *sicco vestigio*, sicut in deserto, *ubi non sunt aquæ.* [*Exod.* 14. 21.]

Et salvavit eos *Israëlitas* de manu *& potestate* odientium * *& insequentium Ægyptiorum*; et redemit eos de manu *servitutis & potestate* inimici *Pharaonis.*

Et operuit aqua *maris* tribulantes eos, * *scilicet Pharaonem & exercitum ejus*: unus ex eis, *qui persequebantur*, non remansit *quin submergeretur.* [*Exod.* 14. 27.]

Et, *iis visis*, crediderunt verbis ejus,* *Deo scilicet & Moysi*; et laudaverunt *cum tympanis & choris* laudem ejus, *dicentes: Cantemus Domino gloriosè.*

Citò *mutati*, fecerunt *hæc quæ sequuntur*, *&* obliti sunt operum *& beneficiorum* ejus: * *& murmurarunt*, et non sustinuerunt *neque exspectaverunt* consilium ejus *& Dei ordinationem.*

Et concupierunt *carnes juxta* con-

cupiſcentiam *& deſiderium ſuum* in deſerto, * *ut gulæ ſatisfacerent*: et tentaverunt Deum, *ad probandum potentiam ejus*, in inaquoſo *deſerto & loco ſine aqua.* [*Exod.* 17. 2.]

Et dedit eis petitionem ipſorum, * *ſcilicet carnes & aquas*; et miſit ſaturitatem *uſque ad nauſeam* in animas eorum: *quia per menſem veſcebantur coturnicibus.* [*Num.* 11. 31.]

Et irritaverunt *ad iram* Moyſen in caſtris * *ſeditioſi*, & Aaron ſanctum Domini, *conſecratum pro ſacerdotio coram Domino.*

Aperta eſt terra *facto hiatu*, et deglutivit Dathan * *cum tabernaculis ſuis*: et *etiam* operuit *ſe* ſuper congregationem Abiron, *qui periit cum ſuis, qui ſuperbiſſimi erant & ſacrilegi.* [*Num.* 16. 32.]

Et exarſit *atque ſuccenſus eſt* ignis *è cœlo*, in ſynagoga *& congregatione* eorum * *qui thuribula tenentes offerebant incenſum*: *unde* flamma *ex illis reſiliens* combuſſit peccatores *qui illicitè ſacerdotium uſurpaverant.*

Et *præterea* fecerunt *filii Iſraël* vitulum *conflatilem* in Horeb, * *& prope mon-*

montem Horeb, cujus vertex est Sinai: et adoraverunt *illud* sculptile *idolum pro Deo.* [*Exod.* 32. 4.]

Et mutaverunt gloriam suam * *atque majestatem Dei sui, qui debebat eis esse gloria*, in similitudinem vituli comedentis fœnum : *quia honorem Deo debitum attribuerunt simulacro vituli.*

Obliti sunt Deum *verum*, qui salvavit eos * *de multis periculis*, qui fecit magnalia & *prodigia* in Ægypto *per decem plagas*, mirabilia *etiam signa* in terra Cham, *quæ est Ægyptus*; terribilia in mari Rubro, *Pharaonem & exercitum ejus submergendo.*

Et *propter eorum ingratitudinem* dixit *Dominus Moysi, comminando*, ut disperderet eos * *occidendo*: & *fecisset*, si non Moyses electus ejus stetisset *contrà*, in confractione & *plaga qua erant feriendi*, in conspectu ejus, *ut se objiceret pro illis tamquam mediator*; [*Exod.* 32. 10.]

Ut averteret & *placaret* iram ejus, ne disperderet eos * *vindicando se de tanta ingratitudine & impietate.* Et *etiam filii Israël* pro nihilo habuerunt

atque contemſerunt terram *Promiſsionis* deſiderabilem, *fluentem lacte & melle.*

Non crediderunt verbo ejus *quo promiſerat eos introducere in terram illam*, et murmuraverunt (*dicentes: Revertamur in Ægyptum*) in tabernaculis ſuis,* *cùm eſſent in otio:&* non exaudierunt vocem Domini, *ut illi obedirent.*

Et elevavit *Deus* manum *& potentiam* ſuam *divinam* ſuper eos, * ut proſterneret eos, *& morerentur omnes* in deſerto, *præter Joſue & Caleph.* [*Num.*14. 32.]

Et *etiam* ut dejiceret *in captivitatibus* ſemen eorum, *filios, ac ſequaces,* in nationibus * *& gentibus diverſis per circuitum*; et diſpergeret *dividendo* eos in regionibus, *ob incredulitatem & murmurationes eorum.*

Et initiati ſunt *atque conſecrati* Beelphegor, * *idolo Moabitarum*; et comederunt ſacrificia mortuorum, *ſcilicet de carnibus animalium idolis immolatorum.*

Et irritaverunt eum *Deum* in adinventionibus ſuis * *& peccatis ab eis ſtudiosè factis*: et multiplicata eſt in eis *plaga mortis &* ruina, *quia occiſi ſunt viginti quatuor millia hominum.*

Et

Et ſtetit *pro Deo* Phinees *contra idololatras*, et placavit * *Deum per ſuum bonum zelum*: et ceſſavit quaſſatio & *plaga à populo.* [*Num.*25. 7.]

Et reputatum eſt ei *Phinees hoc factum* in juſtitiam * *à Deo, quia ex zelo fidei proceſsit*, in generationem *præſentem* et generationem *ſubſequentem* uſque in ſempiternum, *æternaliter.*

Et irritaverunt *etiam* eum *Deum* ad aquas contradictionis, * *contumeliosè loquendo contra Moyſen*: et vexatus eſt Moyſes, & *mente turbatus ut hæſitaret*, propter eos *ſic irritantes*; quia *durius loquendo* exacerbaverunt & *ad diffidentiam provocaverunt* ſpiritum ejus, *ita ut dubitaret an poſſet elicere aquam è petra.* [*Num.*20. 10.]

Et diſtinxit *inconſideratè* in labiis ſuis, * *ac verbis impegit coram populo Deum non glorificando*: & *filii Iſraël* non diſperdiderunt gentes *impias de terra Promiſsionis*; quas dixit Dominus illis *ut eas exterminarent, ne provocarentur ad idololatriam cum illis.*

Et commiſti ſunt inter Gentes *per cohabitationem & mutua connubia*, et

didicerunt *in ritu & moribus* opera eorum *mala*, et fervierunt fculptilibus eorum * *idololatrarum* : et factum eft illis in fcandalum, *quo Deum offenderunt.*

Et immolaverunt, *fecundum ritum Gentium*, filios fuos * et filias fuas, *eos occidendo*, dæmoniis, *& idolis in honorem dæmonum dedicatis.*

Et effuderunt fanguinem innocentem, * *contra legem naturæ* : fanguinem, *inquam*, filiorum fuorum et filiarum fuarum, *in gratiam dæmonum*, quas facrificaverunt *& immolaverunt* fculptilibus Chanaan, *trahendo parvulos per ignem.*

Et infecta *atque polluta* eft terra in fanguinibus *& parricidiis filiorum*, et contaminata eft in operibus eorum, * *per prædictas immolationes* : et fornicati funt, *idolis ferviendo*, in adinventionibus *& adulterinis* fuis *fuperftitionibus.*

Et *propter ifta* iratus eft *& exarfit* furore *gravi* Dominus *Deus* in populum fuum * *Ifraël* : et abominatus eft *deteftando* hereditatem fuam, *quos primo elegerat.*

Et tradidit eos *impios* in manus *&*

potestatem Gentium, * *ut eis servirent*: et *illi* dominati sunt eorum, *multis miseriis affligendo*, qui *etiam &* oderunt eos *Israëlitas*.

Et tribulaverunt eos *graviter* inimici eorum, *dura servitute opprimendo*; et humiliati sunt *atque viles effecti* sub manibus *& potestate* eorum: * *& tamen Dominus* sæpe liberavit eos *ab inimicis*.

Ipsi autem *similiter* exacerbaverunt *& provocaverunt* eum *ad iram*, *peccata reiterando*; *& hoc* in consilio suo * *malo*, *ut*, *Deo relicto*, *idola sequerentur*: et *ideo* humiliati *& conculcati* sunt *ab inimicis*, in iniquitatibus suis *& peccatis*.

Et *tandem* vidit *Deus oculo misericordiæ suæ*, cùm tribularentur * *Israëlitæ ab inimicis*; et audivit orationem eorum, *& misertus est impietatis*.

Et memor fuit *pacti seu* testamenti sui * *promissi ad Abraham*: et pœnituit eum, *quia ad modum pœnitentis se habuit*, secundum multitudinem misericordiæ suæ, *magis quàm secundum merita illorum*. [*Deut*. 30. 1.]

Et dedit eos *Israëlitas* in misericor-

dias, * *in benevolentiam, & reverentiam*, in conspectu omnium *populorum* qui ceperant eos; *ita ut, quos prius despectui habebant, pòst honorarent.*

Salvos nos fac, Domine, Deus noster, * *de servitute & angustiis quibus affligimur*, et congrega nos de *gentibus* & nationibus *in quibus dispersi sumus.*

Ut confiteamur *confessione laudis* nomini sancto tuo, * *celebremus & laudemus pietatem tuam*; et gloriemur in laude tua, *non in jactantia & viribus nostris.*

Benedictus *est* Dominus Deus Israël, *in omnibus quæ fecit & faciet nobis, in adversis & prosperis*, à sæculo *præsenti* et usque in sæculum * *æternum*: et dicet *atque confirmabit* omnis populus, *tam de Judæis, quàm Gentibus*: Fiat, fiat, *amen, amen.*

ORATIO.

Confitemur delicta nostra, & misericordiam tuam imploramus, Domine; quia peccavimus cum patribus nostris, injustè egimus, & iniquitatem fecimus. Salva nos, Domine, Deus noster, qui confitemur nomini sancto tuo, & gloriamur in lau-

laude tua. Memento nostri gratiam conferendo, atque visita, ut salvemur in salutari tuo JESU CHRISTO. Amen.

PSALMUS CVI. [*sec. Hebr. CVII.*]

Alleluja, *laudate Dominum.* [*Judith* 13: 21.]

CONfitemini Domino *confessione, tam peccatorum, quàm laudis;* quoniam bonus, * *suavis, & mitis,* quoniam in sæculum *& in æternum est* misericordia ejus, *quæ numquam negatur pœnitentibus.*

Dicant *nunc laudes Deo Christiani,* qui redemti sunt *sanguine Christi,* à Domino *de Gentibus ad fidem conversi,* quos redemit de manu *& potestate* inimici * *diaboli*, et de regionibus *diversis* congregavit eos *in unitate fidei.*

A solis ortu, *quod est ab oriente*, et occasu, * *scilicet occidente*; ab aquilone *seu septemtrione*, et mari *austro: ex omnibus mundi partibus redemti fideles, gratias agant Deo.*

Erraverunt *olim isti, quos redemit,* in solitudine, *sine Deo, non habentes*

viam

viam veritatis ; & in inaquoſo , * *in mentis ariditate* , *ſine rore gratiæ & doctrinæ* : viam civitatis habitaculi & *patriæ cœleſtis* non invenerunt , *quia viam Chriſti quæ ducit ad regna cœlorum ignoraverunt.*

Eſurientes , *quia erant ſine cibo verbi Dei* , et ſitientes * *potum ſpiritualem gratiæ* : anima eorum in ipſis *ſtudiis ſuis & laboribus* defecit *ab inventione veræ beatitudinis.*

Et clamaverunt *pro conſolatione ſpiritus* ad Dominum *Deum* , cùm tribularentur * *errore* , *fame* , *ſiti* : et de neceſsitatibus & *anguſtiis* eorum *ac coarctationibus conſcientiæ* eripuit eos , *viam veritatis oſtendendo.*

Et deduxit eos *ab errore* in viam rectam * *fidei* , & *de ignorantia ad viam veritatis* ; ut *per illam* irent *bene operando* in civitatem habitationis , *quæ eſt cœleſtis Jeruſalem.*

Confiteantur Domino *hæ ipſæ* miſericordiæ ejus , * et mirabilia ejus *exhibita* filiis hominum : *quia gratis ex pura ſua miſericordia nos liberavit* , *non meritis aut viribus noſtris.*

Quia

Quia satiavit *sua gratia* animam inanem * *& sterilem bonorum*, et animam esurientem *justitiam* satiavit bonis *spiritualibus*.

Sedentes *ex prava consuetudine* in tenebris *ignorantiæ* et *in* umbra mortis, * *in vitiosa hujus sæculi vita, quæ est imago futuræ mortis*: vinctos *atque ligatos* in mendicitate *bonorum*, et ferro *atque obstinatione malorum*.

Quia exacerbaverunt *atque contemserunt* eloquia Dei, * *loquentis per legem & Prophetas*; et consilium altissimi, *quod erat ut justè viverent*, irritaverunt, *scientes voluntatem Domini, & negligentes*.

Et *ideo* humiliatum est *tandem* in laboribus *vitiorum* cor eorum, * *quia lassati sunt in via iniquitatis & perditionis*: infirmati sunt *omni virtute destituti*, nec fuit *ex hominibus* qui adjuvaret, *nisi solus Deus*.

Et clamaverunt *pœnitentes* ad Dominum *pro auxilio*, cùm tribularentur * *his malis*: et de necessitatibus eorum *atque angustiis animæ & corporis, mentis & spiritus*, liberavit eos.

Et

Et eduxit eos de tenebris *ignorantiæ ad lumen fidei*, et de umbra mortis * *atque peccato idololatriæ ad veritatem vitæ, quæ est vita gratiæ*: et vincula eorum, *quibus detinebantur in servitute diaboli*, disrupit *penitus*.

Confiteantur Domino *& gratias agant ipsæ* misericordiæ ejus, * *quibus à malis liberat, & bona præstat*; et mirabilia ejus *exhibita gratis* filiis hominum, *nullis præcedentibus meritis*.

Quia contrivit *sua virtute divina* portas æreas, * *& obstinatas vitiorum concupiscentias*; et vectes ferreos *atque diabolicas suggestiones* confregit, *quando ipsos adventûs sui lumine misericorditer respexit*.

Suscepit *liberando* eos *per suam misericordiam* de via iniquitatis eorum, * *& posuit in via æquitatis*: propter injustitias enim suas *permisit Deus ut affligerentur*, & humiliati sunt, *atque dejecti in varios errores*.

Omnem escam *spiritualem* abominata est *& fastidivit* anima eorum * *infirma*, et appropinquaverunt *& periclitati sunt* usque ad portas mortis *æter-*

næ

næ & damnationem perpetuam.

Et *ita periclitati* clamaverunt ad Dominum *pro auxilio*, cùm tribularentur * *faſtidio & tædio* : et de neceſsitatibus eorum *animæ & corporis* liberavit eos.

Miſit *Deus Pater* Verbum ſuum, *Dominum Chriſtum*, *qui in principio erat Verbum* : et ſanavit eos * *à languore mortis animæ*, et eripuit eos de *omnibus peccatis &* interitionibus eorum, *per quæ interit & occiditur anima.*

Confiteantur Domino, *non merita eorum*, *non vires*, *non ſapientia*, *ſed* miſericordiæ & *miſerationes* ejus : * et *laudetur Deus per* mirabilia ejus, *quæ fecit* filiis hominum.

Et ſacrificent *pro gratiarum actione* ſacrificium, *non pecudum*, *ſed* laudis, * *ex cordis devotione* ; et annuntient *aliis* opera ejus, *ad laudem Dei*, *& utilitatem proximi* : *& hoc non cum tædio vel mœrore*, *ſed* in exultatione *& hilaritate mentis.*

Qui deſcendunt mare *hoc ſpatioſum* in navibus, * *ut regant eas*, facientes operationem *periculoſam & laborioſam*

in

in aquis multis *per varios fluctus.*

Ipsi *navigantes* viderunt *& experti sunt* opera Domini * *multa & insolita,* et mirabilia ejus *in variis monstris*, in profundo *maris.*

Dixit *Dominus solo nutu*, et stetit *atque sedatus est* spiritus procellæ * *& ventus tempestatis* : et *etiam interdum* exaltati sunt *atque intumuerunt* fluctus ejus *maris*, *imperio illius.*

Ascendunt *fluctus & naves* usque ad cœlos *in altitudinem*, et *etiam* descendunt *in profundum* usque ad abyssos * *horribiliter* : *unde* anima eorum *navigantium* in malis *& afflictionibus* tabescebat, *præ magnitudine periculorum.*

Turbati sunt *navigantes*, et moti sunt *tremendo corpore*, sicut ebrius * *qui stare non potest* : et omnis sapientia *atque industria* eorum *absorpta & devorata* est, *quia nesciunt sibi nec aliis consulere.*

Et clamaverunt *petendo auxilium* ad Dominum, *qui imperat ventis & mari*, cùm tribularentur * *atque periclitarentur tempestate* : et de necessitatibus eorum *atque perturbationibus* eduxit

eos,

eos, *deducendo ad portum ſalutis.*

Et ſtatuit procellam *atque tempeſtatem* ejus *maris* in auram * *ſerenam & tranquillam*, et ſiluerunt *ab æſtu* fluctus ejus *jam tranquilliores.*

Et lætati ſunt *navigantes*, quia ſiluerunt * *& pacati ſunt fluctus*: et deduxit eos *Dominus* in portum *ſecurum* voluntatis eorum, *ab eis deſideratum.*

Confiteantur Domino *Deo* miſericordiæ ejus, * *celebrando beneficia præſtita*; et mirabilia ejus *innumera exhibita* filiis hominum, *ut non obliviſcantur miſericordiam, miſerias amoventem, & mirabilia beneficia conferentem.*

Et exaltent eum *laudibus*, in eccleſia *& congregatione* plebis * *communis*: et in cathedra ſeniorum *atque ordine ſapientum* laudent eum, *in donis & beneficiis ſuis.*

Poſuit *& areſcere fecit* flumina, *propter peccata hominum*, in deſertum, * *ne poſſent terram irrigare*; et exitus aquarum, *terram copioſam fontibus*, in ſitim *& ſiccitatem.*

Terram fructiferam *& bonam*, in ſalſuginem * *& ſterilitatem*: *& hoc à*

ma-

malitia *& propter malitiam hominum atque perfidiam* inhabitantium in ea.

Posuit desertum *& terram siccam* in stagna aquarum,* *ita ut abundet aquis:* et terram *aridam seu* sine aqua *fecit* in exitus aquarum, *ita ut illic erumpant fluvii & fontes.*

Et collocavit illic esurientes, * *qui propter sterilitatem loci recesserant*: et constituerunt *atque paraverunt* civitatem habitationis *in eodem loco.*

Et seminaverunt agros *in cibum*, et plantaverunt vineas * *in potum*, et fecerunt fructum nativitatis *naturalem & bonum.*

Et benedixit eis *hominibus Deus*, et multiplicati sunt nimis * *in prole & possessione*: et jumenta eorum *atque pecora* non minoravit, *sed potius multiplicavit.*

Et, *postquam peccaverunt*, pauci facti sunt * *& imminuti*, et vexati sunt à tribulatione *& angustia* malorum et dolore.

Effusa *& orta* est contentio super principes * *eorum*: et errare fecit *atque permisit* eos in invio *infidelitatis*, et

et non *ſunt reverſi* in via *fidei.*

Et adjuvit *ſublevando* pauperem *&* *miſerum* de inopia * *& afflictione* : et poſuit *in loco fecundo*, ſicut oves *vel gregem*, familias, *ut multiplicarentur in prole.*

Videbunt *providentiam Dei ad bonos & malos* recti *corde*, et lætabuntur * *atque gratulabuntur de tot beneficiis & ſanctis Dei operibus* : et omnis iniquitas *atque injuſtitia* oppilabit *& obſtruet* os ſuum, *non audens reſiſtere Deo.* [*Job* 22. 19.]

Quis ſapiens *& ſpiritu Dei edoctus*, et cuſtodiet hæc * *Dei beneficia jugiter ruminando*? et intelliget, *non merita ſua, non vires, in his gloriando; ſed* miſericordias *& miſerationes* Domini, *quòd ſuperbis reſiſtit, & humilibus dat gratiam*?

ORATIO.

Confitemur, Domine, miſericordias tuas, quas jugiter exerces circa nos pœnitentes. Clamamus ad te, quia tribulamur. Libera nos & auxiliare, quia præter te non eſt adjutor. Diſrumpe vincula delictorum quibus detinemur in ſervitute diaboli, & educ nos de tenebris ignorantiæ

ad lumen fidei, & de umbra mortis ad veritatem vitæ, ut tibi soli sacrificemus sacrificium laudis. Amen.

Psalmus cvii. [*sec. Hebr. CVIII.*]

Canticum *istud, agens de mentis jucunditate, est* Psalmus, *quia movet ad bona opera, & attribuitur ipsi* David *Propheta.*

PAratum *est* cor meum, Deus, *ad confitendum tibi*, paratum cor meum * *ad faciendum quæ præcipis*: cantabo *devotè*, et psallam *in jubilo, tum mentis, tum vocis: & hoc* in gloria mea, *quia nulla mihi est gloria nisi in laudibus tuis.*

Exurge gloria mea, exurge psalterium *decachordum*, et cithara * *jubilationis*: exurgam *à vitiis ad bona opera*, diluculo, *in ortu gratiæ.*

Confitebor tibi *confessione laudis*, in populis, Domine, * *bonitatem tuam laudando*: et psallam, *bona opera faciendo*, tibi, *ad honorem tuum*, in nationibus, *bonum exemplum aliis præbendo.*

Quia

Quia magna est super cœlos, *unde gratiarum beneficia nobis transmittis*, misericordia tua * *divina*, et usque ad nubes *toto orbe terrarum diffusa est* veritas tua *& promissionum tuarum.*

Exaltare *ascendendo* super cœlos *& choros cœlestes*, Deus *Filius*: et super omnem terram *ubique divulgetur* gloria tua, * *ut agnoscant potentiam tuam & bonitatem tuam*, ut liberentur dilecti *& prædestinati* tui *à servitute peccati & diaboli.*

Salvum fac dextera tua, &c.

Hic & reliqui versus supra expositi sunt Psalm. 59. à pag. 270.

ORATIO.

Paratum est cor nostrum, Domine, tibi psallere & cantare jubilo mentis & vocis, quia tu es gloria conscientiæ nostræ. Confitemur nomini tuo divino, cùm magna sit super cœlos misericordia tua. Fac itaque ut illuc tendamus, quò tibi canitur laus & gloria in sæculorum sæcula. Amen.

PSALMUS CVIII. [*sec. Hebr.* CIX.]

In finem *& Christum* Psalmus *est*

ipsius David *Propheta. Loquitur Christus in forma humanitatis assumta.*

DEus *Pater*, laudem meam *contra improperia inimicorum* ne tacueris, * *sed fac me cognosci & laudari per totum mundum* : quia os peccatoris & *cœtus Pharisæorum* et os dolosi *Judæ proditoris* super me apertum est, *dicendo blasphemias & multa falsa testimonia.*

Locuti sunt *Judas & Pharisæi* adversum me *innocentem* lingua dolosa, *simul conferendo de traditione mea* : et sermonibus odii circumdederunt me, * *dicentes* : *Dæmonium habes* : et expugnaverunt me *multis improperiis*, gratis, *sine mea culpa.*

Pro eo *beneficio* ut me diligerent, detrahebant mihi, * *negantes me filium Dei* : ego autem *pro ipsis persequutoribus* orabam.

Et *ipsi* posuerunt adversum me *in verbis & factis* mala pro bonis : * et, *quia impii erant*, odium *reddebant* pro dilectione mea *quam exhibui populo Judaico.*

Constitue, super eum *populum Judaicum,*

tum, peccatorem; * *id eſt dæmonem* : et diabolus *vel Satan* ſtet *atque maneat* à dextris ejus , *ut ſit eorum dominus, quia me recuſant.*

Cùm judicatur *ante tribunal æterni judicis* , exeat *de congregatione juſtorum* condemnatus * *in ignem æternum* , et oratio ejus fiat *illi* in peccatum.

Fiant dies ejus *Judæ traditoris* pauci * (*ſic fuit , quia poſt proditionem citò ſe ſuſpendit*) : et epiſcopatum ejus *ſeu dignitatem Apoſtolatus* accipiat alter, *ſcilicet Matthias.* [*Joan.* 17. 13. *Act.* 1. 20.]

Fiant filii ejus *Judæ* orphani * *patre carnali* , et uxor ejus *per mortem ipſius fiat* vidua ; *prò quibus ſuſtentandis fur erat & latro.*

Nutantes , *vagi* , *inſtabiles* , *incerti quò eant* , transferantur filii ejus *Judæi de loco ad locum* ; et mendicent , * *omnibus bonis ſpoliati* : et ejiciantur, *omni præſidio deſtituti* , de habitationibus ſuis.

Scrutetur *& inquirat* fenerator *ſeu exactor* omnem ſubſtantiam ejus , * *ut eam tollat* : et diripiant alieni labores

ejus, *videlicet divitias laboribus ejus acquisitas.*

Non sit illi *populo Judaico* adjutor, * *qui insurgat ad defensionem ejus* : nec sit *illi* qui misereatur pupillis ejus, *tuendo & fovendo posteritatem ejus.*

Fiant nati & *filii* ejus in interitum, * *ut moriantur propter peccatum patrum:* in generatione una *citò & in brevi* deleatur nomen ejus, *& dispergatur Israël per mundum.*

In memoriam redeat iniquitas & *impietas* patrum ejus, *ut sint odio* in conspectu Domini * *Dei* : et peccatum matris ejus *Synagogæ infidelis* non deleatur, *sed semper puniatur.*

Fiant & *maneant Judæi obstinati* contra Dominum *Jesum Christum* semper, *& hìc & in futuro*; et dispereat de terra *viventium* memoria eorum : * *& hoc* pro eo quod non est recordatus *populus Judaicus* facere misericordiam; *sed potius maximam crudelitatem, persequendo salvatorem.*

Et persecutus est *populus ille Judaicus* hominem *Christum, de virgine natum*, inopem et mendicum, * *qui pro* no-

nobis pauper factus est ut nos divites faceret ; et compunctum corde *atque afflictum alienis miseriis* mortificare, *ut eum occiderent.*

Et dilexit *populus Judaicus* maledictionem, *dum clamabant* : *Sanguis ejus super nos & super filios nostros.* Et veniet ei, * *sicut Judæis contigisse vidimus mille quingentis annis* : et noluit benedictionem *in lege promissam* ; et elongabitur ab eo, *quia transivit ad Gentes.*

Et induit *populus Judaicus* maledictionem *ipsam* sicut vestimentum * *quod corpus circumdat* : et intravit *ipsa maledictio* sicut aqua in interiora ejus, *in animam depravatam*, et sicut oleum in ossibus ejus; *intus, & extra.*

Fiat ei *populo maledictio & peccatum* sicut vestimentum quo operitur * *& circumdatur ex omni parte*, et sicut zona qua semper præcingitur; *ut sit semper maledictione ligatus.*

Hoc *est* opus, *pœna, & retributio* eorum qui detrahunt mihi, *dicentes me non esse Christum*, apud Dominum * *Deum Patrem*; et qui loquuntur mala *atque blasphemias* adversus animam *&*

humanitatem meam.

Et tu, *Pater*, Domine, Domine, *Deus Angelorum & hominum*, fac mecum *suscitando à morte corporis*, propter nomen tuum * *glorificandum*; quia suavis, *pia & benigna* est misericordia tua, *per quam generi humano voluisti subvenire.*

Libera me *de hujusmodi corporis infirmitate per resurrectionem*, quia egenus et pauper ego sum * *quamdiu involvor hujus carnis corruptione*, et cor meum conturbatum *& sauciatum* est intra me *naturali instantis passionis timore.*

Sicut umbra, cùm declinat *ad occasum*, ablatus sum * *de vita præsenti per mortem*: et excussus sum *à Judæorum manibus*, sicut locustæ, *quia saltu subitæ resurrectionis evolavi.*

Genua mea *& fortiora membra, qui fuerunt Apostoli*, infirmata sunt *& debilitata* à jejunio, * *quia divini verbi refectionem non habebant*: et caro mea *à mortis ignominia* immutata est *in gloriam immortalitatis, & hoc* propter oleum *& propter gratiam spiritualem*

Chri-

Christo homini datam in incarnatione, à cujus olei unctione dictus est Christus.

Et ego factus sum, *per ignominiam crucis*, opprobrium illis * *Judæis*: viderunt me *pendentem in cruce*, et moverunt capita sua, *blasphemando.*

Adjuva me, Domine *Pater*, Deus meus, * *in passione, humanitatem meam confortando*: salvum me fac *à morte resuscitando* secundum misericordiam tuam, *qui semper benefacis & defendis.*

Et *per hoc* sciant *boni ad gloriam, mali ad pœnam*, quia manus *& potestas* tua hæc * *operata est*; et tu, Domine *Pater*, fecisti eam *misericordiam, ut per meam passionem redimeretur genus humanum.*

Maledicent illi *obstinati Judæi*; et tu, *Deus Pater*, benedices * *& benefacies*: qui insurgunt in me *filium tuum, adversarii veritatis*, confundantur; servus autem tuus, *tibi obediendo usque ad mortem*, lætabitur, *ad dexteram tuam collocatus.*

Induantur *adversarii*, qui detrahunt mihi, *ignominia*, pudore * *& opprobrio*; et operiantur sicut diploide, *tam-*

tamquam duplici pallio, confusione sua, *intus & extra, coram Deo & hominibus, in corpore & in anima.*

Confitebor Domino *Patri, ipsum laudando*, nimis, *ex vehementi affectu*, in ore meo * *& meorum*; et in medio multorum, *quia in universo mundo*, laudabo eum *in membris meis.*

Quia astitit *juvando* à dextris pauperis, * *vires mihi ministrans in passione*; ut salvam faceret à persequentibus *Judæis* animam *& humanitatem* meam, *me resuscitando à morte gloriosè.*

ORATIO.

Omnipotens, sempiterne Deus, qui filium tuum Dominum nostrum JESUM CHRISTUM pro reatibus nostris mortem crucis ignominiosam subire voluisti, ut nos à morte æterna redimeres: fac, quæsumus, nobiscum misericordiam propter nomen sanctum tuum, & libera nos à persequentibus vitiis, & à diabolo calumniatore, ne stet à dextris. Per eumdem CHRISTUM &c.

PSALMUS CIX. [*sec. Hebr.* CX.]

Psalmus *iste est* David *Propheta, qui lo-*

loquitur hic mysteria incarnationis Christi.

DIxit *& æterna dispositione ordinavit* Dominus *Deus Pater* Domino meo * *Christo filio suo* (*quem David Dominum vocat ratione divinitatis suæ*): Sede *& quiesce* à dextris meis, *ac mihi corregna*; [*Matth.* 22. 44.]

Donec ponam *omnes* inimicos tuos * *Judæos, qui persecuti sunt te Christum*, ſcabellum pedum tuorum, *subjectos tuæ voluntati & imperio.* [1. *Cor.* 15. 25. *Hebr.* 1. 13. & 10. 13.]

Virgam virtutis tuæ, *ſceptrum potentiæ, virtutem fidei & caritatis*, emittet Dominus, *qui omnia in Christo facit*, ex Sion, * *ubi cœpta est prædicari lex gratiæ & verbum Dei*: dominare *jam* in medio inimicorum tuorum *Judæorum, Paganorum, Hæreticorum, tu qui es dominus omnium.*

Tecum *sum* principium *unum & idem, quia eadem est dominandi potestas, & principandi auctoritas: & hoc apparebit* in die virtutis *& claritate divinitatis* tuæ, *quando videberis sicuti es* in ſplendoribus ſanctorum, * *quando*

do justi fulgebunt sicut sol in regno Dei: Ego *Pater* ex utero, *ex arcano substantiæ meæ atque ex ipsa divinitate*, ante luciferum, *ante stellas atque tempora, ante omnem creaturam*, genui te *ineffabili & æterna generatione.*

Juravit Dominus *Pater Christo & inconcussa veritate firmavit*, et non pœnitebit eum * *neque mutabit sententiam:* Tu es sacerdos in æternum *ad interpellandum pro hominibus (quia semetipsum obtulit Deo Patri in ara crucis)* secundum ordinem Melchisedech. *Is enim panem & vinum obtulit in sacrificio, & Christus ita fecit in consecratione corporis & sanguinis sui.* [*Joan.* 12. 34. *Hebr.* 7. 6. *Hebr.* 7. 17.]

Dominus *Jesus sacerdos iste* à dextris tuis * *residens, interpellans pro nobis*, confregit & *conquassavit*, in die iræ & *vindictæ* suæ, reges *qui gratiæ suæ beneficia contemserunt & persecuti sunt.*

Judicabit *judicio finali* in nationibus & *gentibus diversis*: implebit ruinas * *Angelorum, quia homines illuc ascendere faciet*: conquassabit *graviter puniendo* capita, in terra *hujus sæculi*, mul-

multorum *principum & hæreticorum.*

De torrente *& fluxu mortalitatis nostræ* in via *vitæ præsentis* bibet, * *nascendo, & moriendo* : propterea *quia sic humiliabitur etiam usque ad mortem*, exaltabit *Deus Pater* caput *ejus*, *quia dabit ei regnum æternum quod est super omne regnum. Unde dominus erit omnium, cœlestium, terrestrium, & infernorum.*

ORATIO.

Omnipotens Deus, qui filium tuum, qui tecum principium est unum & idem, generatione ineffabili & æterna genuisti;&, sacerdos factus secundum ordinem Melchisedech, corpus & sanguinem proprium obtulit in ara crucis ad reconciliationem nostram, tibi obediens usque ad mortem: quæsumus, ut mors ejus spontanea sit nobis vita æterna. Amen.

PSALMUS CX. [*sec. Hebr.* CXI.]

Alleluja, *laudate Deum.*

CONfitebor tibi, Domine, *& gratias agam*, in toto corde meo, * *intellectu & affectu*; in consilio justorum, *non in conventiculis hæreticorum*;

et

et *in* congregatione *ſeu* Eccleſia *fidelium*, *ubi congregantur juſti.*

Magna *ſunt* opera Domini * *& inſcrutabilia*, exquiſita *ſunt & investiganda* in omnes voluntates ejus: *quia omnia*, *quæcumque voluit*, *fecit in cœlo & in terra.*

Confeſsio *peccatorum* et magnificentia *de divinis eſt* opus ejus * (*non ergo glorietur in ſe homo,quia omnia ſunt à* Deo): et juſtitia ejus, *merces quæ juſtè datur*, *& retributio juſtitiæ*, manet *incommutabilis* in ſæculum ſæculi, *æternaliter.*

Memoriam fecit *in recordatione* mirabilium *beneficiorum* ſuorum, *in opere incarnationis & redemtionis*, miſericors *naturâ*, et miſerator Dominus * *in effectu*: eſcam *ſpiritualem*, *videlicet corpus & ſanguinem ſuum*, dedit *in ſacramento* timentibus ſe.

Memor erit *Dominus* in ſæculum *& in æternum* teſtamenti *& pacti* ſui * *promiſsi*, *quo præcepit nobis facere juſtitiam & promittit vitam*: virtutem operum ſuorum *& rationes divinæ bonitatis in operibus Dei intelligendas* annuntiabit,

de-

declarabit & manifestabit populo suo *adoptivo, fideli, & Christiano;*

Ut det illis hereditatem gentium, * *benedictionem gentibus in Christo promissam, salutem, pacem, & gratiam:* opera manuum & *potestatum* ejus *sunt* veritas, *quia quidquid promisit adimplebit*; et judicium, *quia reddet unicuique prout gessit. Omnia enim opera Domini, vera, recta, justa, sancta sunt.*

Fidelia *etiam sunt* omnia mandata ejus, & *fide recta à nobis adimplenda,* confirmata & *firmiter servanda* in sæculum sæculi, * *semper, & ab omnibus: quia* facta *sunt* in veritate *à Christo, qui est ipsa veritas*; et æquitate: *æquissima enim sunt & recta, & non est iniquitas in eis.*

Redemtionem & *salutem* misit *Dominus Pater* populo suo * *Christiano, quando Christus ex obedientia Dei Patris venit ad passionem, per quam redemtum est genus humanum*: mandavit & *voluit ut* in æternum *duraret* testamentum suum *novum, quia illi aliud non succedet.*

Sanctum *bonis ut ametur*, et terribile

ma-

malis ut timeatur, nomen ejus * *salvatoris, quod JESUS est, in quo sanctificamur & justificamur*: initium *veræ* sapientiæ *est* timor Domini; *ut ad ejus verba & opera trepidemus, ac ad humilitatem moveamur.* [*Proverb.* 1. 9. *Eccles.* 1. 16.]

Intellectus *hujus timoris est* bonus & *utilis* omnibus facientibus eum * & *opere adimplentibus, qui sic intelligunt ut faciant quæ timor suadet*: laudatio ejus *redemtoris nostri* manet in sæculum sæculi: *semper enim laudandus est Christus Dominus & Deus noster.*

ORATIO.

Misericors & miserator Dominus, cujus opera omnia sunt veritas & judicium: tribue nobis timorem nominis tui sancti & terribilis, quem esse initium sapientiæ prædixisti; ut, justorum congregatione admixti, misericordiæ tuæ esceis spiritualibus saginemur. Amen.

PSALMUS CXI. [*sec. Hebr.* CXII.]

Alleluja, reversionis Aggæi, et Zachariæ. *Laudate Dominum.*

BEA-

BEatus *eſt* vir *ille* qui *filiali affectu* timet Dominum, * *& offenſam ejus incurrere*: in mandatis ejus *adimplendis* volet *& cupiet* nimis, *alacri animo & deſiderio intenſo.*

Potens in terra *viventium, ad emendum regnum cœlorum*, erit ſemen *meſſis* ejus * *futuræ, quæ ſunt opera miſericordiæ*: generatio rectorum *& opus eorum, qui ſunt recti corde*, benedicetur *æterna retributione.*

Gloria *de puritate conſcientiæ*, et divitiæ *ſanctarum virtutum ſunt* in domo ejus * *& cordis ſecreto, ubi conſcientia habitat*: et juſtitia *ſeu merces juſtitiæ* ejus manet in ſæculum ſæculi, *quia æternaliter præmiabitur.*

Exortum eſt *ac illuxit* in tenebris *hujus mundi* lumen *gratiæ & ſol juſtitiæ* rectis * *corde ac juſtis*: miſericors *eſt Dominus natura*, et miſerator *exhibitione*, et juſtus, *reddendo ſecundum opera dum remunerat.*

Jucundus, *lætus in conſcientia, & gratus Deo, eſt* homo *ille* qui miſeretur *egentibus, de ſuo largiendo*; et

commodat *opere & facto, erogando pecunias, labores, ceteraque beneficia*: disponet *in præsenti & congregabit* sermones suos, *qualiter Domino respondebit* in judicio * *futuro de operibus misericordiæ exhibitis*, quia in æternum *talis* non commovebitur, *& numquam à gloria Domini separabitur, sed fixus in Deo persistet.*

In memoria æterna *coram Deo* erit justus, * *pius & misericors, quia scriptus in libro vitæ*: ab auditione mala *& maledictione (qua dicetur impiis: Ite in ignem æternum)* non timebit, *quia bonam audiet, quam audituri sunt misericordes.*

Paratum *semper & promtum est* cor ejus *justi* sperare in Domino, *ut promissa ipsius percipiat*: confirmatum *& in amore Christi fixum* est cor ejus * *per gratiæ & virtutis habitum*: non commovebitur *à justitia & spe sua*; donec, *existens in terra viventium, inde* despiciat *per contemtum* inimicos suos *visibiles, & invisibiles.*

Dispersit *amore Dei, non thesaurizavit sibi; &* dedit *atque dispensavit*

 pos-

possessiones suas pauperibus, *non histrionibus, aut adulatoribus*: justitia ejus *&* *merces misericordiæ ejus* manet in sæculum sæculi,* *quia præmium erit æternum*; *&* cornu *virtutis* ejus exaltabitur *ac clarificabitur* in gloria *æterna*.

Peccator *&* *impius* videbit *hoc ad suam pœnam*; et irascetur *contra se ipsum*, *quòd non fecerit bona*: dentibus suis fremet *in inferno*, *ubi erit fletus & stridor dentium*; et tabescet * *invidia de felicitate aliena*: desiderium *autem* peccatorum, *quod in præsenti vita habuerunt*, peribit *velut umbra*.

ORATIO.

Quæsumus, misericors & miserator Domine, ut in consortio justorum & congregatione sanctorum timeamus te filiali affectu; adeo ut paratum sit semper cor nostrum sperare in te, & confirmatum in amore tuo, qui es unica salus nostra: ut, opera misericordiæ hìc exercentes in proximum, à gloria tua æterna non separemur. Amen.

PSALMUS CXII. [*sec. Hebr.* CXIII.]

Alleluja, *laudate Dominum*.

LAudate vos, pueri, *ſimplices & humiles corde*, Dominum * *in eſſentia, extollendo majeſtatem ejus* : laudate nomen Domini, *prædicando virtutes & opera ejus.*

Sit nomen Domini *Dei noſtri* benedictum * *benedictione laudis & gratiarum actionis*, ex hoc *quo cœperunt homines credere in Deum*, nunc *in præſenti*, et uſque in ſæculum *ſine fine*, *ſemper & in omni tempore.*

A ſolis ortu *in omnibus gentibus*, uſque ad occaſum * *toto orbe terrarum*, laudabile nomen Domini: *ut, qui ubique eſt, ubique laudetur.* [*Mal.* 1. 11.]

Excelſus *eſt* ſuper omnes gentes *& homines cujuſcumque poteſtatis & dignitatis* Dominus * *dominantium, creator & moderator omnium* : et ſuper cœlos *atque angelicas virtutes* gloria *& ſublimitas* ejus.

Quis *eſt tam potens, excelſus, & beneficus*, ſicut Dominus Deus noſter? *certe nullus.* Qui in altis *cœlorum* habitat, * et *intuitu miſericordiæ* humilia reſpicit *per ſuam providentiam*, in cœ-

lo

lo *Angelos confirmando*, et in terra *pœnitentes justificando.*

Suſcitans *per ſuam gratiam* à terra *&* *deſideriis terrenis* inopem * *virtutibus*, et de ſtercore *atque vitiorum putredine* erigens *&* *mundans* pauperem, *miſeriis & peccatis fœtidum*;

Ut collocet eum *in ſede honoris & gratiæ* cum principibus * (*quia victores peccati & mundi*): cum principibus, *inquam*, *id eſt Prophetis & Apoſtolis*, populi ſui *Chriſtiani*, *qui ſpiritualiter præfuerunt populo Dei.*

Qui habitare facit *Gentilitatem, prius idololatriæ deditam*, ſterilem *operum bonorum*, in domo * *& Eccleſia catholica, de Judæis & Gentibus collecta; quam fecit* matrem filiorum *multorum*, lætantem *partu & numeroſitate fidelium.*

ORATIO.

Laudantes nomen tuum, omnipotens Deus, quod eſt benedictum in ſæcula, rogamus te ut nos, in ſinu matris Eccleſiæ collocatos, peccatores tamen miſeriis & delictis obnoxios, ſuſcitare digneris per tuam gratiam, & erigere de terrenis deſideriis & vitiorum putredine, ut non niſi cœleſtia meditemur. Amen.

PSALMUS CXIII. [*sec. Hebr.* CXIV.]

Alleluja, *laudate Dominum. Narrantur beneficia & miracula Hebræis in figura, & Christianis in spiritu, à Deo exhibita.*

IN exitu *populi* Israël de Ægypto, * *atque de jugo servitutis* domus Jacob, *cum egrederetur* de populo barbaro *Gentili & aspero, qui nec Deum nec legem Dei agnoscebat*; [*Exod.* 13. 3.]

Facta est Judæa, *terra Promissionis,* sanctificatio ejus, * *quia ibi cultus fuit Dei, & doctrina legis ac Prophetarum;* & Israël *factus est* potestas ejus *terræ: qui enim in Ægypto fuerant servi, ibi facti sunt domini.*

Mare *Rubrum* vidit, *quasi intelligeret voluntatem Dei*, et fugit * *dividendo se per medium, ut Israël pede sicco transiret*: Jordanis *etiam* conversus est retrorsum, *elevando se ad modum collis.*

Montes *applaudendo* exultaverunt, *inclinantes se in adventu Israël,* ut arietes * *lascivientes*; et colles *subsilierunt* sicut agni ovium, *quia, defluentibus*

aquis

aquis maris, *scopuli apparuerunt.*

Quid est & *contigit* tibi, mare *Rubrum*, quod fugisti, * *dando transitum Israëlitis*? et tu, Jordanis *flumen*, quia conversus es retrorsum, *quæ causa tuæ obedientiæ*?

Montes, *cur* exultastis sicut arietes?* et *vos*, colles, *quid fuit vobis, quod exsultastis* sicut agni ovium? *unde ista mirabilia in mari Rubro, in Jordane, in montibus & collibus*?

A facie & *præsentia* Domini mota est terra, * *cui etiam obediunt insensibilia*: à facie Dei Jacob *omnipotentis, qui hæc promiserat futura.*

Qui convertit *atque aperuit* petram *ipsam* in stagna aquarum,* *dando abundantiam aquæ de petra*; et rupem *seu silicem* in fontes aquarum, *ut celebrius esset miraculum in deserto.*

[*Sec. Hebr. Psalm.* 115.]

NOn nobis, Domine, *tribuatur gloria*, non nobis, * *neque meritis aut viribus nostris adscribatur*; sed nomini tuo *divino* da gloriam, *de misericordia & beneficiis gratis nobis præstitis.*

Super misericordia tua *divina* et veritate tua, * *per quam promissa implesti, prædicetur tibi gloria, non super opere aut merito nostro*; nequando dicant gentes *idololatræ, blasphemando*: Ubi est Deus eorum? *perinde ac si non esset.*

Deus autem noster *est* in cœlo, * *potens super omnem creaturam*: omnia quæcumque voluit, *in corporalibus & spiritualibus*, fecit *per suam omnipotentiam.*

Simulacra Gentium, *& idola quæ tamquam deos colunt*, argentum *sunt* et aurum * *quo ad materiam*; opera manuum hominum *quo ad formam, ex stultitia hominum dedicata.*

Os habent *secundum hominis similitudinem*, et non loquentur: * *imagines tantùm sunt, nihil possunt*: oculos habent, et non videbunt, *ignobiliores cæcis & brutis.* [*Sap.* 15. 15.]

Aures habent *secundum apparentiam*, et non audient, * *quantumcumque clament idololatræ*: nares habent *ad ludibrium*, et non odorabunt: *& sic falsitas se ipsam confundit.*

Manus habent, et non palpabunt,

quia movere ad opus nullum eas possunt: pedes habent *similitudinariè*, et non ambulabunt * *in gressu*: non clamabunt in gutture suo, *nec habent ejus usum.*

Similes illis *simulacris* fiant, *in vitæ & sensu*, qui faciunt ea: * *pereant factores & cultores idolorum*, et omnes qui confidunt in eis, *cùm in solo Deo creatore sperandum sit.*

Domus Israël, *Ecclesia fidelium*, speravit in Domino, * *omnem fiduciam in eo collocando*: adjutor eorum *in bonis agendis*, et protector eorum est *contra mala imminentia.*

Domus *etiam* Aaron *& ordo sacerdotum* speravit in Domino, * *& non sine fructu*: adjutor eorum *ut perseverent*, et protector eorum est *contra hostiles incursus.*

Qui timent Dominum *timore filiali*, speraverunt in Domino * *spe formata caritate*: adjutor eorum et protector eorum est. *Qui ergo in Deum creditis, sperate in eo.*

Dominus *Deus* memor fuit nostri * *ex sua misericordia*, et benedixit nobis, *augendo dona sua.*

Be-

Benedixit domui Iſraël, * *omni populo Chriſtiano*: benedixit domui Aaron, *ordini ſacerdotum.*

Benedixit omnibus, *ſine perſonarum acceptione*, qui timent Dominum * *timore caſto*, puſillis cum majoribus: *quia æqualis eſt ei cura de omnibus.*

Adjiciat Dominus *& apponat benedictionem ſuam* ſuper vos, * *ſuam gratiam augmentando*: ſuper vos, *inquam, fideles*, et ſuper filios *& poſteros* veſtros.

Benedicti *eſtis* vos *omnes favore ſuo* à Domino * *per conſequutionem gratiæ*, qui fecit *& creavit* cœlum et terram, *qui item gubernat & continet omnia.*

Cœlum cœli *empyreum, quod eſt ſupra firmamentum*, Domino * *eſt in gloria ſua*: terram autem dedit *ad habitandum* filiis hominum, *ut ea utantur in gloriam Dei.*

Non mortui *in peccatis ac tibi* laudabunt te, Domine, * *quia non eſt ſpecioſa laus in ore peccatoris*: neque omnes *laudabunt* qui deſcendunt in infernum, *cùm tibi ſit blaſphemia, non laus.* [*Baruch* 2. 17.]

Sed

Sed nos, qui vivimus *vitæ gratiæ*, benedicimus Domino, * *dignè collaudantes*, ex hoc nunc et *præsenti tempore*, usque in sæculum, *semper sine fine.* [*Dan.* 2. 20.]

ORATIO.

Deus, qui timentibus & sperantibus in te adjutor es & protector, qui omnia, quæcumque voluisti, fecisti in cœlo & in terra: sis memor nostri, atque benedicas nobis super misericordia tua atque veritate tua; non nobis dando gloriam, sed nomini tuo divino, quod ubique celebretur & prædicetur, ex hoc præsenti tempore usque in sæculum æternum. Amen.

PSALMUS CXIV. [*sec.Hebr.* CXVI.]

Alleluja, *laudate Dominum; cùm laus Dei sit pretium laborum, meritum & præmium nostrum.*

Dilexi *nunc ardentius super omnia Deum meum*, quoniam exaudiet Dominus * *ipse* vocem orationis meæ *in angustiis.*

Quia *jam Dominus* inclinavit aurem suam mihi, * *condescendendo petitioni meæ;*

meæ; et, *in hoc expertus misericordiam suam*, in diebus meis *præsentibus*, *qui sunt pleni laboris & doloris*, invocabo *ejus auxilium.*

Circumdederunt me *tentationes graves &* dolores mortis **atque peccata, unde procedit dolor & mors animæ*: et pericula inferni, *nisi à te Domino vero adjutus essem*, invenerunt me *aberrantem abs te, & expositum malis.*

Tribulationem *corporis per multas hujus vitæ pœnalitates*, et dolorem *cordis*, invéni * *ceu remedia contra inferni pericula*: et *ergo non desperando* nomen Domini invocavi, *ut liberarer ab iis periculis & tribulationibus.*

O Domine, *qui potes omnia*, libera animam meam * *de corpore mortis hujus*: *& hoc spero*, *quoniam* misericors *est* Dominus *parcendo delictis*; et *tamen* justus, *quia castigat pro peccatis*; et Deus noster *iterum* miseretur, *castigando omnem filium quem recipit.*

Custodiens *est à peccatis & laqueis diaboli simplices*, parvulos *& humiles*, Dominus, * *non innitentes suæ prudentiæ*, *sed Dei misericordiæ* : *ego autem*

hu-

humiliatus ſum *in pœnitentia & flagellis ejus*, et liberavit me *à laqueis diaboli.*

Convértere *& redi, ò* anima mea, *ad pacem cordis*, in requiem tuam, * *ad Deum, in quo eſt vera mentis requies:* quia Dominus *Deus tuus* benefecit tibi, *dona conferendo, & à multis periculis liberando.*

Quia eripuit *atque liberabit* animam meam de morte * *peccati & æternæ damnationis*, oculos meos à lacrimis *afflictionis præ timore pœnæ,&* pedes *atque affectus* meos *eripuit etiam* à lapſu,*ut non caderem in foveam peccati de via juſtitiæ.*

Placebo *tandem* Domino * *perfectè, non hìc, ubi ſemper labimur; ſed* in regione vivorum,*in cœleſti regno & gloria beatorum.*

ORATIO.

Exaudi, Domine, vocem deprecationis meæ, & libera animam meam de morte peccati atque æternæ damnationis, quia circumdederunt me tentationes graves & delicta. Cuſtodi me per tuam gratiam, ut non íncidam de via juſtitiæ in foveam peccati: immò, ab inferni periculis erutum, in regione vivorum & gloria beatorum me conſtituas in æternum. Amen.

PSAL-

PSALMUS CXV.

[*Iste Psalmus jungitur præcedenti apud Hebræos.*]

Alleluja, *laudate Dominum pro dono fidei.*

CRedidi *verè ac perfectè*, propter quod locutus sum * *constans in fide*: ego autem *miser* humiliatus sum nimis, *destitutus omni solatio, gratia, virtutibus, & omni bono.*[2. Cor. 4. 13.]

Ego *autem, non attribuens mihi aliquod bonum*, dixi in excessu meo, * *mente rapta ad veritatis cognitionem:* Omnis homo *de se præsumens*, mendax *est de fragilitate suæ naturæ, vanus, & impotens ad omne bonum.*

Quid *ergo* retribuam Domino, * *cùm nihil habeam boni & plura debeam,* pro omnibus *suis beneficiis* quæ retribuit mihi? *quia vices rependere non possum.*

Calicem & *passionem* salutaris *adversitatis* accipiam, * *patienter ferendo;* et nomen Domini, *ut me non derelinquat*, invocabo, *gratiam & misericordiam*

diam implorando.

Vota & *desideria* mea *testabor* Domino *Deo* & reddam coram omni populo ejus, * *ut glorificetur Deus confessione mea: quia* pretiosa, *cara*, *grata*, & *accepta*, in conspectu & *oculis* Domini *Dei*, mors *atque totius vitæ crux* sanctorum & *electorum* ejus.

O Domine, *profiteor* quia ego servus tuus * *sum*, *emtus & redemtus sanguine tuo*: ego, *inquam*, servus tuus, *totus tibi obligatus*, et filius ancillæ tuæ *atque Ecclesiæ tibi militantis.*

Dirupisti *atque solvisti* vincula *atque peccata* mea, * *quibus eram constrictus*: & *ergo* tibi sacrificabo *me ipsum in* hostiam laudis *cum gratiarum actione*, et nomen Domini invocabo, *gratitudinem de præteritis & fiduciam de futuris præstando.*

Vota mea & *sacrificium laudis* Domino reddam *atque offeram*, in conspectu & *cœtu* omnis populi ejus, * *ut exemplo meo erudiantur ad similia*: & *hoc* in atriis domus Domini, *in sancta Ecclesia militante*, & in medio tui, Jerusalem, *ubi est æternæ pacis visio.*

ORA-

ORATIO.

Invocamus nomen tuum, Domine, gratiam & misericordiam implorando, qui de fragilitate nostræ naturæ impotentes sumus ad omne bonum, destituti omni solatio ac virtutibus. Quocirca dirumpere digneris vincula peccatorum nostrorum, ut sic à delictis liberi mereamur cœlestis Jerusalem gaudiis perfrui. Amen.

PSALMUS CXVI. [*sec. Hebr. CXVII.*]

Alleluja, *laudate Dominum de adventu Christi in carnem.*

LAudate Dominum *Deum* omnes gentes * *totius mundi*: laudate eum, *atque magnificate beneficia gratis præstita*, omnes populi *Judæorum ad fidem convertendi.* [Rom. 15. 11.]

Quoniam confirmata est, *per effectum incarnationis Christi*, super nos *fideles* misericordia ejus * *& reparatio nostra, misericorditer promissa* (*quia quod per Prophetas promisit, per adventum Christi complevit*); et veritas Domini, *quæ Christus est*, manet *nobiscum* in æternum, *usque ad consummationem sæculi.* [*Joan,* 12. 34.]

ORA-

ORATIO.

Omnipotens Deus, qui omnium gentium ore laudaris, quia Dominus pro servis, justus pro peccatoribus incarnari, nasci, & mori dignatus es: supplices deprecamur ne deseras nos orphanos, sed confirmes super nos misericordiam & veritatem tuam in æternum. Amen.

PSALMUS CXVII. [*sec. Hebr. CXVIII.*]

Alleluja, *laudate Dominum. Invitantur omnes ad laudandum Dominum Deum.*

CONfitemini Domino, *laudando eum in beneficiis ejus*, quoniam bonus * *est essentialiter, atque bonos nos facit per suam gratiam*, quoniam in sæculum *sæculi est* misericordia ejus.

Dicat nunc *in præsenti vita confitendo* Israël, *populus electus videns Deum per fidem*, quoniam bonus * *est Dominus*, *&* quoniam in sæculum *est* misericordia *&* *benignitas* ejus.

Dicat nunc *&* *confiteatur laudando Deum* domus Aaron, * *sacerdotalis cœtus*, quoniam in sæculum *durat* misericordia *&* *benignitas* ejus.

Dicant nunc *omnes* qui timent Dominum, * *pusilli cum majoribus*, quoniam in sæculum *atque in æternum est* misericordia ejus, *qui gratis suæ benignitatis dona concedit*.

De tribulatione, *tum animæ, tum corporis*, invocavi Dominum, * *petendo auxilium*; et exaudivit me, *de angustiis liberando*, & in latitudine *gaudiorum inducendo*, Dominus *meus*.

Dominus Deus *est* mihi adjutor * *contra adversarios meos*: & *ergo* non timebo, *immò despiciam*, quid faciat mihi *aut agat contra me quilibet* homo *carnalis*. [*Hebr.* 13. 6.]

Dominus *est* mihi adjutor, * *protegens me*: et ego, *suffultus divino adjutorio*, despiciam *omnino* inimicos meos, *qui mihi nocere non poterunt*.

Bonum est & *utile* confidere in Domino, * & *spem totam in eum reponere*; *magis* quàm confidere in homine, *qui ex se nihil potest*.

Bonum est & *melius* sperare in Domino, * *qui largitur vitam æternam*; quàm sperare in principibus, *quorum potestas cum hoc mundo evanescit*.

Omnes

Omnes gentes *ignorantes Deum* circuierunt me * *persequentes*: et in nomine Domini *factum est hoc* quia ultus sum in eos, *injurias propulsando.*

Circumdantes *undique* circumdederunt me, * *tamquam obsessum impugnando*: et in nomine Domini *vindicabo me*, quia ultus sum in eos, *circumquaque puniendo.*

Circumdederunt me sicut apes, *gerentes mel in ore, & aculeum in caudâ*; et exarserunt *invidia*, sicut ignis *accenditur* in spinis * *siccis*: et in nomine Domini *contigit contrarium*, quia ultus sum in eos *inimicos.*

Impulsus *persecutionibus, & tentationibus ferè* eversus sum *à stabilitate virtutis*, ut caderem * *in peccatum*: et Dominus, *cùm mihi deessent vires propriæ*, suscepit me, *quia in ipso confidebam.*

Fortitudo mea *& virtus in certamine*, et laus mea *atque gloria* Dominus * *est, non ego mihi*: et *ideo* factus est mihi *redemtor & salvator meus* in salutem, *cùm ipse sit fortitudo, laudatio, & salus æterna beatorum.*[Exod. 15. 2.]

Vox exultationis *spiritualis* et salutis * *æternæ resonat* in tabernaculis *&* *conscientiis* justorum *hominum*, *ubi semper læti sunt*, *quamvis exterius affligantur*.

Dextera Domini *Dei* fecit virtutem, *à peccatis & periculis me liberando*: dextera *& potentia* Domini exaltavit me, * *in virtuosis operibus promovendo*: dextera, *inquam*, Domini fecit *in me* virtutem *constantiæ*, *ne recidivarem*.

Non *ergo* moriar *morte æterna*, *tanta virtute stipatus*; sed vivam * *vita gratiæ & gloriæ*: et narrabo *atque celebrabo* opera Domini, *non hominum*, *qui mihi semper & ubique auxiliatur*.

Castigans *& corripiens pro delictis* castigavit me Dominus, * *ad emendationem*, *paterno flagello*; et morti *æternæ* non tradidit me, *immò à morte peccati eripuit per castigationem*.

Aperite mihi *atque docete* portas justitiæ *& sacramenta novæ legis*, *quibus justificamur*; *&*, ingressus in eas *per fidem veram*, confitebor Domino * *gratias agendo*: hæc porta *est* Domini

per

per quam fit ingressus ad Dominum, & justi *homines* intrabunt in eam, *& per fidem ad gloriam æternam.*

Confitebor tibi *gratias agens*, quoniam exaudisti me * *in tribulatione*, et factus es mihi *peccatori* in salutem, *quia per tuam gratiam salvatus sum.*

Lapidem *Christum, fundamentum Ecclesiæ catholicæ*, quem reprobaverunt *& abominati sunt* ædificantes, * *Doctores legis & Pharisæi*, hic factus est *lapis angularis* in caput anguli, *constituens unam Ecclesiam de Judæis & Gentibus, cujus ipse est caput & pastor.* [*Isai.* 28. 16. *Matth.*21. 42. *Luc.*20. 17. *Act.*4. 11. *Rom.*9. 33. 1. *Pet.*2. 7.]

A Domino *Deo Patre* factum est istud, * *& declarata est potentia Dei in Christo resurgente & glorificato post reprobationem* : et est mirabile *hoc mysterium* in oculis nostris, *cùm caro & sensus humanus illud non capiant.*

Hæc est dies *novi testamenti, & veritatis revelatæ; dies (inquam) salutis & gratiæ*, quam fecit Dominus, * *quia specialem in ea gratiam humano generi exhibuit* : exultemus *corpore* et lætemur

mente, in ea, *quia in hac die liberati sumus.*

O Domine *Deus*! salvum me fac *in hac die salutis* : ò Domine *Deus*! bene prosperare, * *iter nostrum prosperè dirigendo*: benedictus *Christus*, qui venit *in mundum* in nomine Domini *patris sui, ut nos salvaret in vitam æternam.*

Benediximus *& salutem istam annuntiavimus* vobis *omnibus* de domo Domini, * *qui in Ecclesia creditis*: Deus *Christus*, Dominus *noster*, *ille benedixit* et illuxit nobis *gratiæ suæ radiis.*

Constituite, *in honorem Domini*, diem solemnem, *ut sunt Nativitatis & Resurrectionis*, in condensis * *vestris congregationibus*, *pro tanto Dei munere* : *& resplendeat claritas sollennitatis* usque ad cornu altaris, *per totum Dei templum.*

Deus meus es tu, *qui solus salvas*; et confitebor tibi, * *gratias agendo*: Deus meus es tu, *& non alius*; et exaltabo te, *tua magnalia celebrando.*

Confitebor tibi *confessione laudis*; quo-

quoniam exaudiſti me * *liberando ab omnibus malis & periculis*, et factus es mihi *Dominus* in ſalutem *animæ meæ*.

Confitemini Domino *gratias agendo*, quoniam bonus, * *quia gratis bonitatem ſuam communicavit*: quoniam in ſæculum *benignitas &* miſericordia ejus, *non ceſſans umquam benefacere nobis*.

ORATIO.

Conſolatio tribulationum noſtrarum, piiſsime Deus, qui juſtorum tabernacula lætitia perfundis: exalta Eccleſiam tuam virtute potentis dexteræ, qua fiat porta juſtitiæ; ut per eam ingrediamur viam ſalutis, & ita ſe angulari ſtabilitate connectat, ut tuâ reſurrectione clarificata refulgeat. Amen.

PSALMUS CXVIII. [*ſec. Hebr.* CXIX.]

Alleluja, *laus Dei*. א Aleph, *doctrina*.

BEati *& ſancti ſunt* immaculati, *carentes mortali culpa*, in via * *præſentis vitæ*: qui *neque otioſi ſtertunt*, *ſed perſeveranter* ambulant *& proficiunt* in lege Domini, *ejus mandata opere adimplendo*.

Beati *ſunt* qui *diligenter* ſcrutantur *divinas Scripturas*, *ut per* teſtimonia ejus * *in cognitionem Dei veniant*; *& non ſegniter*, *ſed* in toto corde, *intellectu*, *& affectu*, exquirunt eum, *ſtudio cognoſcendi*, *& voluntate operandi.*

Non enim qui *perficiunt deſideria carnis*, *&* operantur *perſeveranter* iniquitatem * *mortalem*, in viis *& præceptis* ejus, *quæ ducunt ad vitam*, ambulaverunt, *ſed magis in deviis. Lex enim Domini immaculata*, *viæ ejus viæ pulcra.*

Tu, *Domine*, *cui ſemper obediendum eſt*, mandaſti, * *per legem & Euangelium*, mandata *& præcepta* tua *valde* cuſtodiri; *nec tepido animo*, *ſed* nimis, *magna cum ſollicitudine*, *ut ne jota quidem prætereatur.*

Utinam *per tuam gratiam* dirigantur, *te rectore*, *te duce*, viæ meæ * *atque proceſſus cognitionum & operum* ad cuſtodiendas *ſedulò* juſtificationes tuas *& præcepta*, *quæ juſtificant nos.*

Tunc *profectò* non confundar * *à facie tua*, cùm perſpexero *diligenter* in *cognoſcendis* omnibus *& cuſtodiendis* mandatis tuis; *ne*, *prævaricator unius*, *ſim*

omni-

omnium reus quo ad pœnam damni.

Confitebor tibi , *gratias agendo*, *quia* in directione cordis , * *ſine errore intellectus , direxiſti cor meum ad intelligendum te* ; in eo *quod non ſum inſcius ſeu* quod didici , *te revelante* , judicia *vera* juſtitiæ tuæ , *quæ facies quando juſtus judex apparebis.*

Juſtificationes tuas *& præcepta tua juſtificantia* cuſtodiam , * *opere adimplendo* : non *tamen* me derelinquas, *ſubtrahendo gratiam* , uſquequaque, *omnino & ex toto : quia , ſine te , nihil poſſum.*

ב Beth. *Secunda eſt littera Alphabeti Hebraici , & in ſuo myſterio interpretatur* confuſio. *Et congruenter , quia ab Aleph & doctrina intelligit homo & Deum cognoſcit : exinde à Beth de lapſu peccati confunditur.*

IN quo corrigit *& emendat* adoleſcentior *ætas* viam *lubricam* , *& pravam* ſuam * *peccandi conſuetudinem, ſeu paſsiones & concupiſcentias ſuas?* *certè* in cuſtodiendo *divinos* ſermones tuos , *qui mentis rectitudinem operantur.*

In toto corde *& affectu* meo exquiſi-

ſivi te, * *ut invenirem*: *itaque* ne repellas *& contemnas* me, *ceu indignum*, à mandatis tuis *intelligendis & implendis*.

In corde meo, *memoriæ commendando*, abſcondi, *tamquam theſaurum pretioſum*, eloquia tua * *ſacra*; ut *ſic aſsidua eorum recordatione* non peccem tibi: *illa ſiquidem exſtinguunt vitia, & odium peccati ingenerant*.

Benedictus *& laudatus* es, Domine, * *de beneficiis tuis mihi impenſis*: doce me *perficere* juſtificationes tuas, *& opera quæ me juſtum probent*.

In labiis meis *jam doctis à te* pronuntiavi, * *alios inſtruendo*, omnia judicia oris tui, *per Prophetas & Apoſtolos nobis revelata*.

In via *vera* teſtimoniorum tuorum, *quæ eſt ſacra Scriptura de te teſtificans*, delectatus ſum, * *propter mirificam intelligentiam*, ſicut *multi homines* in omnibus *ſuis terrenis* divitiis *gratulantur*.

In mandatis tuis *divinis* exercebor * *jugi meditatione*, *ac ſedula operatione*: et *tunc* conſiderabo *perfectius cognoſcens* vias tuas, *quæ ſunt miſericordia &*

& veritas.

In juſtificationibus *& præceptis* tuis, *quæ juſtificant*, meditabor * *profunda cogitatione; ut ſic* non obliviſcar *opere adimplendo* ſermones tuos, *qui reddent me beatum.*

ג Gimel. *Tertia eſt littera, & interpretatur* retributio. *Optatur dari plenitudinem gratiæ divinæ, contra defectum humanæ fragilitatis & ignorantiam mentis.*

RETRIBUE *gratiam* ſervo tuo: *non meritis meis, ſed per miſericordiam tuam*, vivifica *intus* me, * *prius mortuum peccatis*: et *ſic*, *reſurgens de morte animæ*, cuſtodiam *in opere & intelligentia* ſermones tuos, *quibus juſtificas impium.*

Revela *& illumina* oculos meos * *intellectûs, per ignorantiam & peccatum velatos*; et conſiderabo *atque contemplabor myſteria* mirabilia, *ſpirituali ſenſu contenta*, de lege tua *novâ & antiquâ.*

Incola *tantùm & peregrinus* ego ſum, *non civis*, in terra * *hac*, *nil appetens mundanorum*, *ſed cœleſtia affectans*: *& ergo* non abſcondas à me, *dum ſum*

ſum in hoc exſilio & ad patriam tendo, immò reveles, mandata tua, *ut in eis delecter & reficiar.*

Concupivit *magno affectu* anima mea *meditari*, deſiderare, *& apprehendere, non mundi vanitates, ſed* juſtificationes tuas * *& opera juſtitiæ; non ad horam, ſed* in omni tempore, *perſeveranter.*

Increpaſti, *per Scripturas & ſtimulos conſcientiæ*, ſuperbos * *homines qui juſtitiæ tuæ reſiſtunt*: maledicti *in pœna & culpa* qui declinant, *non infirmitate, ſed mera perverſitate*, à mandatis *& præceptis* tuis, *non obediendo.*

Aufer, *Domine*, à me *ſervo tuo* opprobrium *hujus maledictionis*, et contemtum * *hujus tranſgreſſionis*: quia teſtimonia *& præcepta* tua, *per tuam teſtificationem in præmiis & pœnis data*, exquiſivi *vigilanter ad intelligendum & faciendum.*

Etenim *in inſidiis* ſederunt *ſpiritus maligni, qui ſunt* principes *tenebrarum*, et adverſum me *ſuggerentes peccata* loquebantur * *per diverſas tentationes*: ſervus autem tuus *tantò magis* exercebaba-

batur *proficiens* in juſtificationibus tuis, *quantò fortius impugnabant.*

Nam et teſtimonia tua, *atque præmia quæ perſeverantibus promiſiſti*, meditatio mea eſt, * *quia vitam pollicentur æternam*; et conſilium meum *in ratione fixum ſunt* juſtificationes tuæ *& impletiones mandatorum tuorum, quæ hominem juſtificant.*

ד Daleth. *Quarta eſt littera, & interpretatur* timor. *Conſtrictus carnali fomite, timet relabi in peccata: ſed lex timentem confortat. Initium enim ſapientiæ timor Domini. A timore concipimus & parturimus ſpiritum ſalutis.*

ADhæſit *per carnales affectus* pavimento *& corpori terreno corruptibili* anima mea: * *ne ergo ſaucia intereat, ejus deſideriis conſentiens*; vivifica me, *Domine, vitâ gratiæ*, ſecundum verbum tuum *quo veniam pœnitentibus promiſiſti.*

Vias meas *malas & iniquas* enuntiavi *per confeſſionem*; et exaudiſti me * *per contritionem, remittendo peccata:* doce me *pœnitentem* juſtificationes *& vias* tuas *bonas.*

Viam,

Viam, *modum*, *&* *ordinem* justificationum tuarum, *quæ dirigunt ad justè agendum*, instrue me * *per plenum intellectum*: et *tunc* exercebor *multiplici operatione & lectione* in mirabilibus, *apostolicis*, *ceterisque ecclesiasticis* tuis *disciplinis*.

Dormitavit *& refrixit ad bonum* anima mea, *fessa* præ *accidia &* tædio * *corporeæ infirmitatis*: confirma me, *ut non obdormiam in peccatis*, *sed* in verbis *& præceptis* tuis *instanter vigilem*.

Viam, *concupiscentiam malam*, *&* *desiderium* iniquitatis, *quibus ad peccatum itur*, amove, *tua gratia præveniente*, à me, * *ne in illa via ambulem*: et de lege tua *gratiæ* miserere mei, *priora remittendo peccata*.

Viam *euangelicæ* veritatis, *quæ ducit ad vitam æternam*, elegi, * *ut in ea ambulem*: judicia tua, *quibus præmia justis*, *& pœnas impiis reddes*, non sum oblitus, *sed in memoria recondo*.

Adhæsi *per caritatem* testimoniis tuis, *ut ea firmiter custodiam*, *qui prius adhærebam pavimento*, ò Domine: * *& ideo* noli *neque patiaris* me *de iteratio-*

ne peccati confundere *coram inimicis meis.*

Viam *vitæ & mandatorum* tuorum *perseveranter* cucurri, * *non per proprium arbitrium, sed* cùm dilataſti, *ampliasti, & aperuisti per multifarias agnitiones veritatis* cor meum, *in fide, spe, & caritate, ceterisque virtutibus.*

ה He. *Quinta est littera, & interpretatur* eſt *vel* vivit. *Postulat Propheta esse & vivere in Christo, qui est verum esse. Vivere autem & esse secundum Deum inchoat quicumque in lege Domini bene vivendo ambulat.*

LEgem *tuam euangelicam* pone & *ostende* mihi *proficere volenti,* Domine, viam *fidei atque* juſtificationum tuarum * (*fides enim operans per caritatem justificat*): et ego exquiram *diligenter ut sciam & faciam* eam, & *hoc* ſemper *quoad vixero.*

Da mihi intellectum *discretionis inter bonum & malum, inter spiritum & litteram*: et ſcrutabor *perfectius cognoscendo* legem tuam * *divinam*, et cuſtodiam illam *prædicando & operando* in toto corde & *affectu* meo, *per cognitionem,*

nem, recordationem, & amorem.

Deduc me *per tuam gratiam* in ſemitam, *quæ compendioſior eſt via*, mandatorum tuorum * *euangelicorum*: quia ipſam *rectiorem viam* volui, *tamquam tutiorem, pulcriorem, & breviorem.*

Inclina *per humilitatem* cor *& affectum* meum, *ut ferventius ac devotius feratur* in teſtimonia *& præcepta* tua, * *ut ea opere impleam*; et non in avaritiam *ac deſiderium rerum temporalium, quæ animam retrahit à divinis.*

Averte *procul* oculos meos *corporis*, ne videant *acceptando in affectu* vanitatem * *hujus ſæculi, ad mala ducentem: ſed* in via tua *& in te ipſo, qui vera via es*, vivifica me *in caritate, ſine qua mortua ſunt opera.*

Statue, *conſolida, atque confirma* ſervo tuo, *ut ſecundum illud agam*, eloquium tuum * *divinum*, in *filiali timore tuo ſancto, quaſi in baſi & fundamento.*

Amputa *falce tuæ gratiæ* opprobrium meum *& peccatum*, quod ſuſpicatus *& reveritus* ſum * *me habere per humanam fragilitatem*; quia *amatori*

ve-

veritatis judicia tua *sunt læta*, *suavia*, *&* jucunda.

Ecce concupivi *adimplere* mandata tua, * *quæ veram conferunt salutem*: in æquitate tua *&* *miserationis dono* vivifica me *vitâ gratiæ*, *ut vivam in te*, *quia morior in me*.

ו Vau. *Sexta est littera*, *& interpretatur* ille *vel* ipse *Salvator noster Christus*, *qui quasi adhuc loquentibus nobis dicit*: *Ecce adsum*. *Qui idem ipse est semper*, *æternus*, *Patri corregnans*, *misericordia peccatorum*, *& vita fidelium*.

ET *rogo* veniat super me *de cœlestibus* misericordia tua *& auxilium gratiæ*, ò Domine, * *Deus Pater*: *veniat*, *inquam*, salutare tuum, *Christus redemtor & salvator noster*, secundum eloquium *& promissum* tuum.

Et *tunc* respondebo *constanter* exprobrantibus *& opprobriose* mihi *loquentibus*, *quibus scandalum est vel stultitia* Verbum * *tuum*, *quod scilicet caro factum est*: quia speravi in sermonibus *& promissis* tuis, *quibus vitam æternam confitentibus te promisisti*.

Et ne auferas, *rogo*, de ore meo

 quo

quo minus prædicem verbum veritatis *&* *fidei* usquequaque, * *& per omnia*: quia in judiciis tuis, *quibus flagellas & corripis*, supersperavi *& præmium super merita exspectavi.*

Et custodiam *per caritatem* legem tuam, *eam opere adimplendo* semper * *quoad vixero*, in sæculum et in sæculum sæculi, *perenniter in futura beatitudine.*

Et ambulabam *proficiendo* in latitudine * *caritatis, in qua tota lex pendet & Prophetæ*: quia mandata tua *perscrutans* exquisivi *diligenter, ut ea facerem & intelligerem.*

Et loquebar *constanter & intrepidè* in testimoniis tuis, *in veritate fidei*, in conspectu regum * *& principum*: et non confundebar *pudore, neque vincebar ratione.*

Et meditabar *per intellectum* in mandatis tuis,* *quomodo perficerem illa*: quæ *propter se* dilexi, *& per spiritum qui datus est mihi.*

Et levavi *cum pura intentione* manus *& operationes* meas ad mandata *& præcepta* tua *adimplenda*; quæ dilexi, * *cùm*

cùm finis præcepti ſit caritas : et *ſic* exercebar *loquendo*, *meditando*, *operando*, in juſtificationibus *&* *præceptis* tuis, *quæ juſtitiæ ſunt juſtificantes.*

ז Zain. *Septima eſt littera*, *&* *interpretatur* huc *vel* hìc duc te, *ab iis videlicet viſibilibus temporalibus ad inviſibilia æterna bona*, *quæ nunc habentur in ſpe. Non enim hìc quieſcendum*, *ſed ad æterna adſpirandum*, *quò nos vocat verbum* Dei.

MEmor eſto, *Domine*, verbi tui, *promiſsi de vita æterna* ſervo tuo * *obedienti*, in quo *promiſsionis verbo* mihi ſpem *&* *exſpectationem* dediſti *futuræ beatitudinis conſequendæ.*

Hæc *ſpes tuæ promiſsionis* me conſolata eſt, *ut non timerem*, *ſed potius gauderem*, in humilitate *&* *afflictione* mea * *&* *ærumna præſentis vitæ* : quia eloquium tuum, *quod pabulum vitæ æternæ mihi ſubminiſtrat*, vivificavit me, *cùm verba tua ſpiritus* *&* *vita ſint.*

Superbi, *perſequentes me*, iniquè agebant *cogendo me ad impietatem* uſquequaque * *&* *valde* : *ſed*, *licèt inſtabant*, à lege autem tua *divina* non

declinavi, *immò ſtabilis permanſi.*

Memor fui judiciorum tuorum, *quibus ſuperbos perdidiſti, & confidentes in te liberaſti*, à ſæculo *& ab initio mundi, ò* Domine, * *Deus meus*: et conſolatus ſum *me ipſum in tribulationibus, remunerationem exſpectans.*

Defectio *animi & afflictio cordis* tenuit *& occupavit* me; * *quia condolui* pro peccatoribus *& prævaricatoribus* derelinquentibus *divinam* legem tuam, *qui ſunt multi valde.*

Cantabiles *præ dilectione* mihi erant *ſemper* juſtificationes tuæ * *& judicia tua juſta*, in loco *& via præſentis vitæ atque* peregrinationis meæ, *ubi differimur à patria cœleſti.*

Memor fui, *laudibus ſemper divinis & orationibus vacans, non ſolum in die proſperitatis, ſed etiam in* nocte *adverſitatis*, nominis tui, Domine, * *quod JESUS eſt & Salvator*: et, *in virtute illius nominis*, cuſtodivi *adimplere* legem tuam *divinam.*

Hæc *nox adverſitatis* facta *& data* eſt mihi * *ad utilitatem*, quia *ſic* juſtificationes tuas *& præcepta juſtificantia* exqui-

quiſivi *perficere ex toto corde.*

ח Heth. *Octava eſt littera, & interpretatur* pavor; *non quidem recidendi, ſed ſollicitudo & deſiderium acquirendi ſummum bonum, quod ſperat, quod amat. Id quia in octava ætate & in reſurrectionis gloria perficietur; ideo numerus iſte octavus ponitur ſub timore cautelæ, quòd pavor eſt ſollicitus ne deſideratum bonum amittat.*

POrtio *& pars* mea *es tu*, Domine, * *cùm ſis vera via ad beatitudinem*: *quia* dixi *& decrevi, per liberum arbitrium tua gratia informatum*, cuſtodire *ex toto corde* legem tuam *divinam.*

Deprecatus ſum *devotè* faciem tuam *gratiæ, non vindictæ*, in toto corde, *tam intellectu* meo, * *quàm affectu*: miſerere mei, *continuando in me bonum uſum liberi arbitrii*, ſecundum eloquium *& promiſſum* tuum, *quo dixiſti: Petite, & accipietis.*

Cogitavi *diligenter* vias meas * *priores, & cognovi quod non erant rectæ*: et *ideo* converti *ſenſus*, pedes, *greſſus* meos, *& affectus*, in teſtimonia *& mandata* tua, *quæ non ſinunt errare.*

Paratus ſum *ad tribulationes ſuſtinendas*, et non ſum turbatus * *quacumque ingruente adverſitate*; ut cuſtodiam *perſeveranter* mandata tua, *ut etiam pro eis pati non recuſem.*

Funes, *decipulæ*, *laquei*, *atque tentationes* peccatorum, *dæmonum*, *& malorum hominum*, circumplexi ſunt *ad ſtringendum & impediendum* me * *à bono opere*: *ſed fruſtrà*, *quia* et legem tuam *divinam* non ſum oblitus, *ſciens nos per multas tribulationes introire regnum Dei.*

Media nocte, *quando tentator ſolet illudere mentes*, ſurgebam *alacriter* ad confitendum tibi * *confeſsione laudis & gratiarum actionis*, ſuper judicia *occulta* juſtificationis tuæ, *ut me juſtificares.*

Particeps ego ſum, *ex tua bonitate*, omnium timentium te * *timore filiali & ſancto*, et cuſtodientium *in bona operatione* mandata tua. *Sic omnes unum ſumus in Chriſto.*

Miſericordiâ tuâ, *qua juſtificas impium*, Domine Deus, plena eſt terra, * *quia fides ubique dilatata eſt*: *ideo*, *confidenter rogo*, juſtificationes tuas doce

me,

me, *illuminando intellectum ut eas cognoſcam, prædicem, & opere impleam.*

ט Teth. *Nona eſt littera, & interpretatur* bonum : *ut ſit boni dilectio in mente ſecundum caritatem : ut non ex timore ſerviliter, ſed ex amore hilariter bona procedat operatio.*

BOnitatem *gratiæ & miſericordiæ* fecisti cum ſervo tuo, *peccantem ad pœnitentiam exſpectando*, Domine,* *qui es ipſum bonum : & hoc, non merito meo, ſed* ſecundum verbum *& promiſſum* tuum.

Bonitatem, *deſiderium caritatis inſpirando*, et diſciplinam, *in afflictione patientiam tribuendo*, et ſcientiam *atque diſcretionem inter malum & bonum* doce me, * *illuminando intellectum*: quia mandatis & *præceptis* tuis credidi *per fidem firmam.*

Priuſquam humiliarer *per tuam correctionem & diſciplinam*, ego deliqui* *& peccavi per actualem culpam* : propterea, *ne rurſus corrigar*, eloquium tuum *ſecundum illud operando* cuſtodivi *perſeveranter.*

Bonus es tu, * *Domine*, *in eſſentia:*

et in bonitate *atque mansuetudine* tua *peculiari* doce me *communicando*, *ut intelligam* justificationes tuas, *quibus justificari possum.*

Multiplicata est *vi & numero* super me *servo tuo* iniquitas superborum, * *dæmonum, & malorum hominum, conantium me impellere ad peccata*: ego autem, *tua gratia confortatus*, in toto corde *& affectu* meo, *ut illorum evadam tentationes*, scrutabor *vehementius* mandata tua, *consolationem requirens in eis.*

Coagulatum *& induratum* est, sicut lac, *per invidiam & superbiam*, cor eorum * *in malitia*: ego verò *non obstinatus* legem tuam, *qua superbis resistis, humilibus das gratiam*, meditatus sum, *ut liquesceret cor meum in amore tuo.*

Bonum *est* mihi *& profuit* quia humiliasti *& castigasti* me, * *tentationibus & afflictionibus exercendo*; ut *sic* discam *facere* justificationes tuas, *quas docuisti homines justificando.*

Bonum *& acceptabile* mihi *est* lex *euangelica*, oris tui * *sono pronuntiata*; super millia *cuncta* auri et argenti, *&*

quan-

quantascumque divitias sæculi.

י Jod. *Decima est littera, & interpretatur* principium. *Hic enim memoratur principium creationis humanæ; ut ab illo quæramus capiendi intellectum, à quo sumsimus vivendi exordium.*

MAnus tuæ, *quæ sunt potentia, sapientia, & voluntas,* fecerunt & *creaverunt* me *secundum animam ad imaginem tuam*; et plasmaverunt me * *secundum corpus in statura recta ad videndum te Deum*: da mihi & *illumina* intellectum *meum*; et discam, *non inanes scientias, sed* mandata & *præcepta* tua, *ut in ipsis capiam profectum.*

Qui timent te *timore filiali* videbunt me *sic illuminatum,* et *inde* lætabuntur * *de profectu meo spiritali*; quia in verba tua, *quibus bona bonis promittis*, supersperavi *quod tribues supra & majora quàm petimus.*

Cognovi, Domine, & *expertus sum* quia æquitas *justa & æqua, licèt aliquando nobis occulta, sunt* judicia tua, * *quibus corripis & flagellas*; et in veritate tua *justa* humiliasti me *ad salutem per tua flagella.*

Fiat

Fiat *nunc* misericordia tua *in peccatorum remissionem*, ut *in tribulatione* consoletur me * *de spe vitæ æternæ*, secundum eloquium tuum *promissum* servo tuo.

Veniant mihi, *Domine*, miserationes tuæ *quibus justificas*; et *per illas* vivam * *vitâ gratiæ in præsenti*, & *vitâ gloriæ in futuro* : quia lex tua, *non vanitas sæculi*, meditatio mea est, *ut secundum eam faciam voluntatem tuam.*

Confundantur *per conscientiam* superbi *in peccatis suis*; quia, injustè *persequendo*, iniquitatem *malitiosè* fecerunt in me * & *contra me innocentem*: ego autem *in patientia* exercebor, *occupatus* in *adimplendis* mandatis tuis.

Convertantur mihi *in auxilium omnes* timentes te * *timore filiali*, et *etiam* qui noverunt *intelligendo ac operando* testimonia tua, *quod de te testantur Scripturarum eloquia.*

Fiat cor meum *mundum* & immaculatum *coram te*, *non in viribus meis, sed* in justificationibus tuis, * *adimplendo justitiæ opera*; ut *tandem sic* non confundar *in præsenti per culpam*, *neque in* fu-

futuro per gehennam.

כ Caph. *Undecima littera, & interpretatur* incurvatus: *quia, fessus longa malitia, & lassatus peregrinatione hujus mundi, cupit dissolvi, & redire ad suum principium.*

DEfecit *& lassata est, diutina exspectatione* in salutare tuum *Jesum Christum, salvatorem nostrum*, anima mea, * *præ desiderio*; et in Verbum tuum, *quod erat in principio apud Deum*, supersperavi *aliquando venturum in carne.*

Defecerunt *etiam nimio desiderio* oculi mei *interiores, scilicet mens & ratio*, in eloquium *& promissum* tuum,* dicentes *gemitu & oratione*: Quando consolaberis me *in perfecta beatitudine, educendo de iis miseriis?*

Quia factus sum, *jejunando, vigilando, & orando*, sicut uter *de corio congelatus* in pruina, * *ab omni ardore voluptatum mortificatus*: *& ideo* justificationes tuas, *quas præcipis ad justitiam*, non sum oblitus; *cùm jam frigeat voluptas, & ferveat caritas.*

Quot sunt *in hoc sæculo* dies servi tui?

tui? * *& quamdiu patiar iſtas miſerias perſecutionum & tentationum*? quando facies, de *diabolo & miniſtris ejus* perſequentibus me, *juſtam ultionem &* judicium *finale*?

Narraverunt mihi *hæretici*, iniqui, *Poëtæ*, *& Philoſophi*, *vanas* fabulationes * *& inanes*: ſed *tamen* non *ſunt illæ mihi* ut lex tua, *quæ eſt plena gratiâ & veritate.*

Omnia mandata *& præcepta* tua *ſunt ipſa infallibilis* veritas, * *à prima orta veritate*: *&* iniquè *propter hanc veritatem* perſecuti ſunt me, *jubendo perverſa*, *& falſa ſuadendo*: *ſed tu*, *Domine*, adjuva me *contra eorum deceptiones.*

Paulo minus *& ferè in nihilum redegerunt &* conſummaverunt me *iniqui* in terra * *peſſumdando*: ego autem *conſtans* non dereliqui, *quantumcumque perſequerentur*, mandata *& præcepta* tua.

Secundum miſericordiam tuam, *non meritum meum*, vivifica me * *vitâ gratiæ*, *& confirma me in perſecutione*: et *ita* cuſtodiam teſtimonia *euangelica*, *quæ* oris tui *ſono ſanxiſti.*

ל La-

ל Lamed. *Duodecima est littera, & interpretatur* cor servitutis. *Sursum enim cor dirigendum, & illi serviendum cui omnia cœlestia & terrestria obediunt.*

IN æternum *& semper*, Domine * *Deus*, verbum tuum *& observantia mandatorum tuorum* permanet *fixum* in cœlo *& spiritibus cœlestibus*.

In generationem *legis*, et generationem *Euangelii*, *permanet* veritas tua, * *qui est ipse Christus*: fundasti *in fide* terram *& Ecclesiam terrenam militantem*, et permanet *constabilita in fundamento fidei*, *quod est Jesus Christus*.

Ordinatione *& dispositione* tua *divina* perseverat dies, * *& lumen fidei*, *& lex veritatis*; quoniam omnia, *cœlestia*, *& terrena*, serviunt tibi. *Verbum enim permanet in Angelis*, *veritas in hominibus*, *terra in fundatione*, *dies in ordinatione*.

Nisi quod lex tua *divina* meditatio mea est, * *& sciendi*, *& faciendi*; tunc, *quando non meditarer*, fortè periissem *per lapsum in gravem culpam*, in humilitate *& tribulatione & afflictione* mea.

In æternum, *quamdiu vixero*, non obli-

oblivifcar *omnino* juftificationes tuas * *& præcepta legis, quibus nos juftificas:* quia in ipfis *meditandis & implendis* vivificafti me, *à morte peccati revocando.*

Tuus *fervus* fum ego, *& tu* Deus *meus*: falvum me fac, * *perducendo ad æternitatem*; quoniam, *non mundi vanitatem, fed* juftificationes tuas *in decalogo fcriptas* exquifivi *intellectu & affectu.*

Me expectaverunt *in infidiis* peccatores *& fpiritus maligni*, ut *confentirem culpis, & fic* perderent *atque præcipitarent* me * *in gehennam: fed non profecerunt, quia* teftimonia *& præcepta* tua *divina* intellexi, *quæ fuit armatura mea.*

Omnis *virtuofæ* confummationis *& perfectionis humanæ* vidi finem * *effe caritatem*; *quòd* latum *& fpatiofum eft* mandatum tuum *caritatis* nimis, *valde: quia ex caritate pendet tota lex & Prophetæ.*

מ Mem. *Decima tertia eft littera, & interpretatur* vifcera, *vel* ex ipfis. *Per quæ ipfa caritas fignificatur, quæ tamquam ex intimis medullis cordis emanat, quæ etiam legem divinam ex toto corde di-*

diligit & ex ipsis visceribus amplectitur.

QUomodo & *quàm vehementer totis visceribus* dilexi *& amplexatus sum* legem tuam *in sacra Scriptura contentam*, Domine; * *hinc æstimari potest, quia* tota die *vitæ meæ lex tua* meditatio *& exercitatio* mea *spiritualis* est.

Super inimicos meos, *Judæos & Gentiles*, prudentem *& intelligentem* me fecisti *ac obedientem* mandato tuo * *sacræ Scripturæ*; quia in *ipsum* æternum *gaudium consequendum* mihi est *& valet mandatum tuum.*

Super omnes *inimicos*, docentes me, *melius* intellexi * *sacræ Scripturæ veritatem*; quia *circa* testimonia tua *continua* meditatio mea *in spiritu* est *& versatur.*

Super senes *& plus quam seniores*, intellexi * *mysteria Scripturarum*; quia mandata tua *sincera* quæsivi *in spiritu, & non in littera.*

Ab omni *criminali* via mala, *quæ ducit ad perditionem*, prohibui, *ne subverterer*, pedes, *affectus*, *& gressus* meos, * *pronos in peccata*; ut, *sic solidus in caritate*, custodiam *perseveranter* ver-

verba & *præcepta* tua.

A judiciis tuis *in lege divina contentis* non declinavi * *neque deflexi iter meum*: quia tu, *Domine, cui obediendum est*, legem & *regulam vivendi* posuisti mihi, *ut eam diligerem & facerem.*

Quàm dulcia *prægustamenta*, *in viribus animæ* & faucibus meis *spiritualibus*, *sunt* eloquia tua * *de misericordia & justitia*! *sunt certè* super mel & *favum* ori meo, *in gustu spirituali.*

A mandatis tuis *veniens ad altitudinem sapientiæ*, intellexi * *dulcedinem tuæ retributionis*: propterea odivi *execrando* omnem viam iniquitatis, *quæ impedit consecutionem suavitatis æternæ.*

נ Num. *Decima quarta est littera, & interpretatur* unicus, *vel* pascua. *Ille unicus est Filius Patris, à quo omne bonum habet initium, qui pascit & reficit animas nostras in fidei sacramentis.*

LUcerna *lucens in nocte hujus sæculi, ubi sunt foveæ & præcipitia*, pedibus *atque affectibus* meis, *ne aberrem*, *est* verbum tuum * *in Prophetis & Euangeliis enuntiatum*: et *idem verbum est* lumen *verum in* semitis & *operibus* meis

meis *dirigendis ad te.*

Juravi et *in corde* ſtatui * *firmiter, tamquam verus amator*, cuſtodire, *inter quælibet adverſa*, judicia *&* *præcepta* juſtitiæ tuæ, *quæ ſcilicet tua juſtitia judicat eſſe ſervanda.*

Humiliatus *&* *afflictus* ſum *perſecutione vehementi* uſquequaque *&* *valde: ideo*, Domine, * *ne deficiam in impatientia*, vivifica *&* *conforta* me *tua gratia*, ſecundum verbum *&* *promiſſum* tuum *divinum.*

Voluntaria *ſacrificia* oris mei, *in oratione & laude tibi oblata*, beneplacita *&* *accepta tibi* fac, Domine: * et, *hac oblatione placatus*, judicia *&* *præcepta* tua *divina* doce me, *non ſolum intelligere*, *ſed etiam opere adimplere.*

Anima mea *parata eſt* in manibus *&* *operibus* meis *bonis* ſemper; * *&*, *quæcumque facio*, *ago pro ſalute animæ meæ:* et, *per hoc*, legem tuam *divinam* non ſum oblitus, *immò jugi meditatione eam rumino in mente.*

Poſuerunt *ſuggerendo* peccatores *&* *ſpiritus maligni* laqueum *tentationis* mihi, * *ut ſeducerent me per minas & blan-*

dimenta : et *tamen* de mandatis *ac præceptis* tuis *divinis* non erravi, *vel male intelligendo, vel contrà operando.*

Hereditate *& firma possessione* acquisivi, *aliis derelictis*, testimonia *& præcepta* tua, *per testificationem tuam in lege confirmata* in æternum,* *& hìc, & in futurum*; quia exultatio *& jubilum spirituale* cordis mei sunt, *vitam promittentia æternam.*

Inclinavi *humiliter* cor *& affectum* meum ad faciendas *& implendas* justificationes tuas *& præcepta justificantia* in æternum, * propter retributionem *vitæ æternæ, ut illam merear accipere.*

ס Samech. *Decima quinta est littera, & interpretatur* audi, *vel* firmamentum. *Et congruè quadrat, quia ille solus firmatur in bonum qui intus spiritualibus auribus cordis diligenter examinat quid sequendum, & quid vitandum.*

INiquos *homines* odio habui, * *propter peccata eorum* : et *hoc quia* legem tuam, *cui illi adversantur*, dilexi, *ut viverem in ea.*

Adjutor *ad bona facienda*, et susceptor meus *ad mala evadenda*, es tu, * *Do-*

Domine, *Deus Pater* : et in Verbum tuum, *quod caro factum est*, superſperavi,*quia in eo vitam æternam promiſiſti.*

Declinate *& recedite* à me *vos*, *dæmones*,maligni,* *& homines perverſi,cum ſuggeſtionibus peſsimis*: et *tunc* ſcrutabor *liberius* mandata *& præcepta* Dei mei, *mihi præſtantia ſolamen.*

Suſcipe *ad te revertentem* me *filium prodigum*, ſecundum eloquium *& promiſſum* tuum, *quo dixiſti*: *Convertimini ad me*, *& convertar ad vos*; et vivam * *in anima*, *vitâ gratiæ*: et non confundas *neque in deſolationem* me *permittas* ab expectatione mea, *quæ eſt de vita æterna.*

Adjuva me, *quia per me nihil poſſum*, et ſalvus ero * *ab omni periculo*, et meditabor in juſtificationibus tuis, *credens te ſolum juſtificatorem*, *& neminem juſtum niſi per te*; *& hoc* ſemper, *ſine fine.*

Spreviſti *deſpiciendo* omnes *perſeverantes in malo*, *&* diſcedentes *ultro* à judiciis *& præceptis* tuis * *divinis*; quia injuſta *& Deo contraria eſt* cogitatio *prava* eorum *iniquorum*, *ſcilicet velle*

peccare, & nolle pœnitere.

Prævaricantes *& transgredientes legem altissimi* reputavi *mecum* omnes peccatores terræ, * *qui hìc deliciis fruuntur terrenis*: ideo *sinceriori affectu* dilexi *magis* testimonia tua, *ne illis compar efficiar.*

Confige *& reprime mortificando*, timore tuo, carnes *pronas in mala desideria atque carnales* meas * *concupiscentias*: à judiciis enim tuis *futuris super peccatores* timui, *scilicet mortem, & gehennam.*

ע Ain. *Decima sexta est littera, & interpretatur* oculus, *vel* fons. *Dum enim bona prævidemus, fit nobis oculus cordis, fons justitiæ; ut oculo mentali prævideamus adventum judicis, quem nemo malus evadit.*

FEci *rectum* judicium, *examinando me ipsum in conscientia*; et justitiam, * *proximo reddens quod suum est*: *& ideo* non tradas *spiritibus malignis* me, *falsò* calumniantibus *& persequentibus* me, *ut decipiant, inficiant, subvertant animam meam.*

Suscipe *ut patronus* servum tuum, *clementer acceptando obsequium ejus, ut sem-*

ſemper proficiat in bonum * *gratiæ & virtutis*: non calumnientur *neque falsò* me *accuſent de peccatis* ſuperbi, *diaboli, & miniſtri eorum.*

Oculi mei *intellectuales* defecerunt, *præ deſiderio nimio, reſpicientes* in ſalutare tuum * *Chriſtum Jeſum, unde venit auxilium nobis*; et *etiam* in eloquium *euangelicum* juſtitiæ tuæ, *per quod juſtificamur gratis.*

Fac, *ſupplendo humanæ infirmitatis defectum*, cum ſervo tuo, *non ſecundum merita, ſed* ſecundum *abyſſalem* miſericordiam tuam, * *Domine*: et juſtificationes tuas *atque præcepta juſtificantia* doce me *intelligere & adimplere.*

Servus tuus *fidelis* ſum ego: * *idcirco* da mihi intellectum *divinitus illuminatum*, ut ſciam *perfectè* teſtimonia tua, *juſtitiam, & veritatem juſtificantem.*

Tempus *dandi intellectum &* faciendi *bonum nunc adeſt*, Domine, * *quia reprobi* diſſipaverunt *fermè annihilantes* legem tuam *divinam euangelicam, perversè eam interpretando.*

Ideo *ardentiori zelo* dilexi *ut obſervem* mandata tua * *veraciter intelle-*

cta, super aurum *purissimum*, et topazion, *gemmam pretiosissimam.*

Propterea *toto studio* ad omnia *præcepta & mandata* tua *adimplenda* dirigebar * *recta intentione*; omnem viam iniquam *ad vitia ducentem* odio habui, *propter peccati turpitudinem.*

פ Pe. *Decima septima est littera, & interpretatur* erravi. *Propheta condolet his qui errando à via veritatis calumniantur: quibus proponit quomodo scrutatur legem, & qualem intellectum in ea habeat.*

MIrabilia *in profunditate & sententiarum multiplicitate sunt* testimonia tua * *sacræ Scripturæ, opera divina attestantia*: & ideo scrutata est *diligenti indagine* ea *testimonia* anima mea, *ad intelligendum & credendum.*

Declaratio *atque testimonia* sermonum tuorum *scriptorum in lege & Prophetis* illuminat * *animam, ut sciat quid agat & quid omittat*; et intellectum *veritatis* dat parvulis & *verè humilibus.*

Os meum *animæ, quod intellectus est*, aperui *ad cupiendum verbum Dei,*

quod

quod est cibus animæ; et *inde sitiens* attraxi *& hausi* spiritum * *sapientiæ & intelligentiæ*: quia mandata *& præcepta* tua *divina* desiderabam *præ omnibus scire & facere.*

Aspice *propitius* in me *oculo pietatis*, et miserere mei * *dando gratiam*, secundum judicium *sanctorum* diligentium nomen tuum, *sicut decrevisti facere diligentibus te.*

Gressus meos, *affectus*, *cogitationes*, *verba*, *& opera* dirige, *non secundum meas voluntates*, *sed* secundum eloquium tuum; * *ut rectè vivendo tua jussa perficiam*, et *sic* non dominetur mei *neque prævaleat* omnis injustitia, *per quam sit* Deo *injuria.*

Redime *& libera* me à *falsis* calumniis *& criminationibus* hominum * *impedientium me à via recta*, ut *sic quieto animo ac libero* custodiam *sincerius* mandata *& præcepta* tua *divina.*

Faciem tuam, *secundum quam creatus sum*, illumina *& clarifica* super servum tuum, * *infundendo mihi tui ipsius notitiam*: et doce me, *quod ubertim repeto*, justificationes *& præceptiones*

nes tuas *juſtificantes.*

Exitus aquarum *& effuſiones lacrimarum* deduxerunt *flentes* oculi mei * *in pœnitentia*; quia *iidem oculi* non cuſtodierunt, *per quos tamquam per feneſtras mors ſubintravit*, legem tuam *divinam.*

צ Sade. *Decima octava eſt littera, & interpretatur* conſolatio. *Ubi enim præcedit pura confeſsio, ibi ſequitur ſalubris conſolatio per juſtitiam Dei, quam hic confitetur & laudat.*

JUſtus *in te ipſo* es, Domine * *Deus*, et rectum *in regula juſtitiæ eſt* judicium tuum, *quo reddis unicuique juxta ſuum meritum & demeritum.*

Mandaſti *obſervari legem* juſtitiam *continentem, atque* teſtimonia tua * *in ipſa lege contenta*, et veritatem tuam *ineffabilem*, nimis, *valde.*

Tabéſcere *atque ex compaſsione deficere* me fecit *caritas & bonus* zelus meus, * *quem habeo erga legem tuam*; quia obliti ſunt *non cuſtodientes* verba *& præcepta* tua *euangelica* inimici mei, *reprobi & mali homines.*

Ignitum, *exurens vitia, & accendens amo-*

amorem, *eſt* eloquium tuum *ſacrarum Scripturarum* vehementer * *à Spiritu Sancto*: et ſervus tuus *tibi mancipatus* dilexit illud, *zelando pro ipſo*.

Adoleſcentulus, *junior*, *inſipiens* ſum ego *reputatus*, et contemtus, * *ab inimicis meis*: *nihilominus* juſtificationes tuas *mihi ſemper dilectas* non ſum oblitus *adimplere*.

Juſtitia tua *divina eſt* juſtitia in æternum * *duratura*, *quia æterna bona bonis*, *& æterna mala malis reddentur*: et lex tua *eſt ipſa ſinceriſsima* veritas, *nullâ falſitatis nebulâ reſperſa*.

Tribulatio *exterior*, et anguſtia *interior* invenerunt *& irruerunt ſuper* me: * *ſed*, *inter hæc*, mandata tua *divina* meditatio *aſsidua* mea *ſpiritualis* eſt, *in remedium contra tribulationes*.

Æquitas *& juſtitia in ſe ſunt* teſtimonia tua *& ſacra Scripturarum verba*, in æternum, * *ſine fine*: *& propterea* intellectum da mihi *ad cognoſcendum illa & opere adimplendum*; et vivam *vitâ gratiæ in præſenti*, *& vitâ gloriæ in futuro*.

ק Coph. *Decima nona eſt littera*, *& inter-*

terpretatur conclusio : *quæ fit in angustiis animæ. Diabolus semper conatur nos seducere, concludere, & obsidere suis tentationibus. Noxia conscientia nos pungit, morbi vis urget, sensum mentis intercipit angustia. Orationis ergo quærenda est medicina salubris.*

CLamavi *ferventer ac devotè* in toto corde *& affectu* meo : exaudi me *deprecantem*, Domine, * *& pium pande auditum*; *ut* justificationes *& præceptiones* tuas, *quæ nos justificant*, requiram, *non solùm ad intelligendum, sed etiam ad operandum.*

Clamavi ad te, *quia undique sunt hostes* : *& tu in anima* salvum me fac,* *amovendo mala, tum pœnæ, tum culpæ*; ut *melius* custodiam *corde quieto ac libero* mandata tua, *quibus vita paratur æterna.*

Prævéni *tempestivè ex deliberatione ordinata* in maturitate *rationis*, et clamavi * *magno mentis affectu*; quia, *super omnia alia*, in verba tua *euangelica* supersperavi, *semper crescens in spe.*

Prævenerunt *strenuè & vigilanter* oculi mei *interiores* ad te *directi in* di-

lu-

luculo * *temporis*, *ætatis*, *&* *virtutis*; ut meditarer *legem* eloquia tua *divina continentem*.

Vocem *&* *orationem* meam audi: *attende* *&* *fac* ſecundum miſericordiam tuam, Domine, * *&* *non ſecundum merita mea*, *quæ nulla ſunt*: et ſecundum *juſtum* judicium tuum, *quo ſupplicibus parcis*, *&* *ſe damnantes abſolvis*, vivifica me *per gratiam tuam*, *ne moriar per culpam meam*.

Appropinquaverunt *&* *alligaverunt ſe inimici*, perſequentes me *injuſtè verbis* *&* *factis*, iniquitati, * *ut eorum aucta ſit iniquitas*: à lege autem tua *caritatis* longe facti ſunt, *aberrantes à via recta*.

Prope es *mihi tribulato* tu, Domine, * *intus adjuvando* *&* *confortando*: et omnes viæ tuæ, *quibus procedis*, *vel affligendo*, *vel miſerendo*, *ſunt ipſa* veritas. *Vera enim* *&* *juſta ſunt omnia opera tua*, *juſſa*, *&* *verba*.

Initio *&* *ab exordio generis humani* cognovi *ſciens* de teſtimoniis *&* *verbis* tuis * *ſacræ Scripturæ*, quia in æternum *inviolabiliter* fundaſti *&* *ſtabiliſti* ea, *per-*

permanſura vera ſuper fundamentum quod Chriſtus eſt.

ר Res. *Vigeſima eſt littera, & interpretatur* caput. *Deſignat verò humilitatem, quæ eſt caput omnium virtutum, per quam ſemper exauditur homo: quippe oratio ſe humiliantis penetrat nubes.*

VIde *oculis miſericordiæ* humilitatem, *afflictionem, contemtum, & reprobationem* meam; et eripe me * *de periculo mortis æternæ*: quia legem tuam *quæ dicit: Qui ſe humiliat, exaltabitur*, non ſum oblitus, *immò opere & mente ſervavi.*

Judica, *diſcerne, atque determina* judicium meum *& cauſam meam quam habeo contra diabolum & reprobos, ne ipſi prævaleant: immò* et redime me * *ab omni malo præſenti, præterito, & futuro*: propter eloquium tuum *quo dixiſti: Qui credit in me, non morietur,* vivifica me *vitâ æternâ.*

Longè *eſt* à peccatoribus *impœnitentibus* ſalus * *gratiæ & gloriæ*; quia juſtificationes tuas *& mandata, quibus deberent juſtificari*, non exquiſierunt *ut ſecundum ea viverent.*

Mi-

Miſericordiæ tuæ, *quibus benefacis & parcis pœnitentibus*, multæ *ſunt*, Domine, * *& innumerabiles*: ſecundum judicium tuum, *quo humiles exaltas*, vivifica me *per augmentum gratiæ tuæ.*

Multi *ſunt*, *tam dæmones*, *quàm perverſi homines*, qui perſequuntur me *mortifera ſuadendo*, et tribulant me * *flagella inferendo*: *nihilominus* à teſtimoniis *& præceptis* tuis *per te in lege teſtificatis* non declinavi, *immò conſtans in fide & opere permanſi.*

Vidi *impios* prævaricantes *& tranſgredientes legem tuam*; et tabeſcebam, * *præ dolore deficiens*, quia eloquia *& præcepta* tua, *tam dulcia*, *tam utilia*, non cuſtodierunt, *immò in tribulationibus negaverunt.*

Vide *& approba pietatem affectus mei*, quoniam mandata *& præcepta* tua *divina* dilexi, *zelans pro eis in me & in aliis*: *idcirco*, Domine, * *Deus meus*, in miſericordia tua, *quia merita mea non ſufficiunt*, vivifica *& ſalva* me *in æternum.*

Principium *& initium ſacrorum* verborum *& eloquiorum* tuorum *ſunt ipſa*

ve-

veritas, * *quoniam merè verissima sunt omnia verba sacræ Scripturæ* : in æternum *sine ulla immutabilitate durabunt* omnia judicia justitiæ tuæ, *quæ facturus es in die novissimo, ubi pœna impiis & præmia reddentur justis.*

ש Schin. *Vigesima prima est littera, & interpretatur* super vulnus. *Tribulationes enim, ceu emplastrum, sunt medicamenta contra vulnera peccatorum, tumorem reprimentia, dolorem mitigantia, saniem expellentia, fracturam consolidantia.*

PRincipes *tenebrarum & homines impii* persecuti sunt me *injuriis, contumeliis, & afflictionibus*; *& hoc* gratis,* *sine ulla causa* : et *tamen, constans in tribulatione*, à verbis tuis, *quibus comminaris pœnas transgressoribus legis tuæ,* formidavit *& timuit* cor meum.

Lætabor ego, *inter tentationes & persecutiones*, super *salubria* eloquia tua * *euangelica* ; sicut qui, *devictis hostibus,* invénit *post bellum* spolia multa, *qui & de victoria & de prædæ magnitudine sibi gratulatur.*

Iniquitatem *mortalem* odio habui, et *detestando* abominatus sum * *peccatores*:
le-

legem autem tuam *divinam* dilexi *perfecta voluntate.*

Septies *per horas canonicas* in die *naturali* laudem dixi tibi, * *Domine*, super judicia *occulta* justitiæ tuæ; *consitendo omnia opera tua justa, licèt incomprehensibilia.*

Pax *interna conscientiæ* multa *& copiosa est* diligentibus *opere & veritate* legem tuam, * *quia caritas pellit omnes perturbationes*: et non est illis *aliquod* scandalum, *quia non scandalizant, neque scandalizantur.*

Expectabam *longanimi spe* salutare tuum, Domine, * *ut gloria æterna coronemur*: et *ideo* mandata tua *divina* dilexi, *per quæ salus & pax acquiritur.*

Custodivit *per jugem memoriam* anima *& voluntas* mea testimonia tua * *divina, in lege & Prophetis mandata*; et dilexit ea, *corde & opere*, vehementer *& ardenter.*

Servavi *diligenter opere adimplendo* mandata tua *nova*, et testimonia tua * *vetera*; quia omnes viæ meæ, *quibus progredior in hac vita, sunt* in conspectu tuo: *quæ cogito, cupio, loquor & ago,*

ago, videntur & judicantur à te.

ת Taph. *Ultima est littera, & interpretatur* erravit. *Vir justus se olim errasse fatetur, sed nunc velle Deo approximare. Imbutos enim vitiis animos exuere atque emendare, non solum perfectæ virtutis, sed cœlestis est gratiæ.*

APpropinquet *& ingrediatur* deprecatio *atque oratio* mea in conspectu tuo, Domine, * *usque ad thronum miserationis tuæ*: juxta eloquium, *non Philosophorum, sed* tuum *divinum*, da mihi intellectum; *ut sapiam quæ Dei sunt, & non vanitate humanæ prudentiæ evanescam.*

Intret *etiam ad te* postulatio *& oratio* mea, *quæ est de amovendis malis*, in conspectu tuo, * *ut eam conspicias & exaudias*: secundum eloquium *& promissum* tuum *divinum*, eripe me *ab hostibus visibilibus & invisibilibus.*

Eructabunt *de pleno corde* labia mea *& dicent* hymnum, * *ad laudem, honorem, & gloriam nominis tui*; cùm docueris me *intelligere & facere* justificationes *& præceptiones* tuas *nos justificantes.*

Pro-

Pronuntiabit *laudando & prædicando* lingua mea, *ceu minister verbi*, eloquium tuum * *sacrarum Scripturarum*; quia omnia mandata *& præcepta* tua *divina sunt ipsa* æquitas, *pax*, *& vita æterna.*

Fiat *mihi* manus tua *auxiliatrix*, ut salvet me * *liberando à malis*, *& corroborando in bonis*: quoniam mandata *& præcepta* tua *divina præ omnibus temporalibus magis* elegi *ad meditandum, operandum*, *atque docendum.*

Concupivi *ardentissimè* salutare tuum *bonum*, Domine, * *quod est vita æterna & gloria consummata*; et *ideo* lex tua, *dirigens ad illud summum bonum*, meditatio mea est *assidua.*

Vivet *per gratiam in via*, *& per gloriam in patria*, anima mea, *licèt hìc corpus affligatur*; et laudabit te * *hìc inchoativè*, *illic verò consummativè*: et judicia tua, *quibus hìc flagellas filios quos recipis*, adjuvabunt me *ut vitam adipiscar æternam.*

Erravi, *sæpius declinando à via veritatis*, sicut ovis quæ periit * *& perdita fuit*: quære servum tuum, Domine,

ut ovem perditam reduças ad paſcua vitæ, quia mandata *&* *præcepta* tua *divina* non ſum oblitus *finaliter & ex toto, licèt ad tempus neglexi.*

PSALMUS CXIX. [*ſec. Hebr.* CXX.]

Canticum *&* *exſultatio mentis* graduum *ſpiritualium, quibus aſcenditur ad Deum. Et, ſicut quindecim fuerunt gradus quibus aſcendebatur in ſancta ſanctorum; ita quindecim ſunt gradus mentis quibus aſcenditur ad Deum, ut quindecim Pſalmi ſequentes demonſtrant. Primus gradus eſt à malis ſæculi exire, & universæ vanitati renuntiare.*

AD Dominum, *quia omnipotens eſt & benignus*, cùm tribularer *ſuggeſtionibus dæmonum & injuriis perſequentum*, clamavi * *ferventer* : et exaudivit me, *miſericorditer liberando.*

Domine, *Deus*, libera animam meam *tibi devotam* à labiis iniquis * *& mendacibus*, et à lingua doloſa, *quæ iniqua ſuadet ſub ſpecie boni.*

Quid *utile erit ut* detur tibi, ò *anima*

ma afflicta, aut quid *vis ut* apponatur tibi * ad *defensionem tuam*, *contra* linguam dolosam, *& contra dæmonum suggestiones?*

Sagittæ *sacræ Scripturæ*, *quæ sunt* potentis *Dei verba*, acutæ, * *& penetrabiliores omni gladio; erunt tibi pro remedio*, cum carbonibus *& peccatoribus*, *olim* desolatoriis, *nunc ad vitam gratiæ conversis; qui, calefacti igne caritatis, reviviscunt à mortuis.*

Heu! *gemitus magnus* mihi *est*, quia incolatus meus *in iis miseriis* prolongatus est *nimis à patria cœlesti*: habitavi *& convixi* cum habitantibus Cedar, * *jacentibus in tenebris peccatorum*: multum incola *& peregrina à Deo* fuit anima mea, *discurrendo per vana & inutilia.*

Cum his *hominibus* qui oderunt pacem *veram & unitatem catholicam*, eram pacificus, * *eorum molestias patienter tolerando*: *&*, cùm loquebar illis *verbum veritatis*, impugnabant me *obstinati* gratis, *sine aliqua justa causa.*

ORATIO.

Omnipotens & misericors Deus, à tribulationibus cunctis eripe nos, & libera animas nostras à labiis detrahentium iniquorum; ut, adjutoriis spiritualibus præmuniti, nullis impugnationibus obruamur. Per Christum &c.

PSALMUS CXX. [*sec. Hebr.* CXXI.]

Canticum *secundum* graduum *spiritualium. Secundus gradus est expostulatio divini auxilii in tribulatione & contentione.*

LEvavi *sursum* oculos meos *mentis & corporis* in montes * *& excelsa electorum*, unde veniet *suo tempore* auxilium mihi *& divina virtus ac pietas.*

Auxilium meum *est* à Domino * *Deo*, qui fecit cœlum et terram, *atque omnem creaturam supremam & infimam.*

Non det *neque patiatur* in commotionem *de bono in malum mutari* pedem *& affectum* tuum, * *etiam* neque dormitet *neque negliget te sibi fidentem*, qui custodit te, *Israël*, *populum fidelem*,

lem, videntem Deum per fidem.

Ecce non dormitabit *Dominus*; neque dormiet, * *quaſi negligeret curam tui*, qui cuſtodit *ſua gratia* Iſraël, *populum Chriſtianum contemplantem Deum per fidem operantem.*

Dominus *omnipotens* cuſtodit te *in bono*, Dominus *eſt* protectio tua * *contra malum*, ſuper manum dexteram tuam, *& plus quàm manus dextera tua poſſet te protegere.*

Per diem *proſperitatis* ſol non uret te * *in ſuperbia*, neque luna *deprimet te* per noctem *adverſitatis.*

Dominus *Deus* cuſtodit te, *per ſuam gratiam*, ab omni malo * *tentationis & culpæ*: cuſtodiat *ſemper* animam tuam Dominus, *ne tibi noceant adverſa.*

Dominus *Deus* cuſtodiat introitum tuum *in hunc mundum*, et exitum tuum * *à vita præſenti*, ex hoc nunc *temporis*, et uſque in ſæculum, *à principio uſque ad finem.*

ORATIO.

Omnipotens Deus, qui feciſti cœlum & terram, ſis auxilium & protectio noſtra in tentationibus & âdverſitatibus noſtris. Ne

patiaris humanos affectus noſtros dilabi in peccata : ſed cuſtodi animas noſtras per tuam gratiam ab omni malo, ab introitu vitæ noſtræ uſque ad exitum ejus. Per Chriſtum Dominum noſtrum.

PSALMUS CXXI. [*ſec. Hebr.* CXXII.]

Canticum *tertium* graduum *ſpiritualium.*

LÆtatus ſum *&* *gaviſus ſpiritu*, in his quæ *à Prophetis & Apoſtolis* dicta ſunt mihi * *per ſacram Scripturam: quia ſcilicet* in domum Domini *& in cæleſtem Jeruſalem* ibimus *ac pervenie-mus, duobus videlicet pedibus caritatis, qui ſunt amor Dei & proximi.*

Stantes erant *firmiter* pedes *& affectus* noſtri, * *non labentes, non commoti*, in atriis *& penetralibus* tuis, ò Jeruſalem *ſuperna & cæleſtis.*

Jeruſalem quæ *in cœlis* ædificatur, *ex vivis lapidibus & ſanctorum contubernio*, ut civitas * *quædam, ubi eſt civium concordia & unitas* ; cujus participatio ejus *eſt in ſumma caritate in* idipſum *Deum, qui in æternitate ſem-*

per

per idem manet.

Illuc enim *ad cœleſtem Jeruſalem* aſcenderunt tribus, *non quæcumque, ſed* tribus Domini, * *electi filii per adoptionem; in quibus eſt* teſtimonium *verum* Iſraël *fidelis per fidem formatam,* ad confitendum *in laude* nomini Domini, *quod ſolum opus eſt ſanctorum.*

Quia illic *in domo cœleſti* ſederunt *Apoſtolici viri, tamquam* ſedes *in quibus Deus ſedet & quieſcit*, in judicio * *futuro cum Chriſto judicaturi*: ſedes, *inquam*, ſuper domum & *familiam* David, *ſuper fideles & impios.*

Rogate *poſtulando à Domino* quæ ad pacem *obtinendam* ſunt *hujus* Jeruſalem * *cœleſtis, quæ viſio pacis dicta eſt*: et abundantia *bonorum ſpiritualium ac cœleſtium detur fidelibus & piis* diligentibus te, *ò Deus, & ad te adſpirantibus.*

Fiat *ergo* pax *cœleſtis* in virtute tua,* *ut adſtringamur omnes vinculo caritatis*: et abundantia *bonorum ſpiritualium ſit* in turribus tuis, *majoribus & excelſis qui ſupereminent ut inſtruant alios verbo & exemplo.*

Propter fratres meos *in vinculo cari-*

ritatis adstringendos, et proximos meos* *in unitate Ecclesiæ congregandos*, loquebar *aliis prædicando* pacem de te, *ut ad cœlestem Jerusalem se perfectos exhiberent.*

Propter domum Domini *& Ecclesiam* Dei nostri * *ædificandam, augmentandam, & glorificandam*; quæsivi, *pacem proximis prædicando*, bona tibi, *ut efficiantur civitas in qua habitare dignetur Deus.*

ORATIO.

Da, quæsumus, Domine, diligentibus te, & nomen tuum divinum confitentibus, abundantiam bonorum spiritualium: ut omnes, adstricti hìc vinculo caritatis, & ambulantes in atriis Ecclesiæ tuæ in unitate fidei, tandem in Jerusalem civitate cœlesti, quæ ædificatur ex sanctorum contubernio, participatione mutua lætemur in idipsum te verum Deum Dominum nostrum. Amen.

PSALMUS CXXII. [*sec.Hebr.* CXXIII.]

Canticum *quartum* graduum *spiritualium. Quartus gradus est, inter angustias, oculos ad Dominum fiducialiter dirigere.*

AD

AD te *verum Deum meum* levavi *in anxietatibus* oculos meos * *cordis & corporis*, qui habitas *optimus maximus* in cœlis, *omnia gubernans.*

Ecce ſicut *ſunt* oculi ſervorum, * *auxilio indigentium, vel præmium laboris exſpectantium*, in manibus dominorum ſuorum, *ſedulò parati ad imperium domini;*

Sicut *etiam* oculi *intentiſsimæ* ancillæ *ſunt* in manibus dominæ ſuæ, * *exſpectantes quid velit aut ei placeat*: ita *ſunt* oculi noſtri *interiores & exteriores* ad Dominum Deum noſtrum *intenti*; donec miſereatur noſtri, *liberando nos ab omnibus malis & miſeriis.*

Miſerere noſtri, Domine, *quia corpus paſsionibus laborat*: miſerere noſtri, * *quia anima paſsionibus affligitur*: quia multum repleti ſumus *contemtu &* deſpectione, *deriſi à malis.*

Quia multum repleta eſt anima *& vita* noſtra * *afflictione & contemtu: quia in* opprobrium *ſumus divitibus* abundantibus *felicitate mundana*, et deſpectio *ſumus* ſuperbis *de ſe præſumentibus.*

ORA-

ORATIO.

Cœlorum habitator, Deus, ad te levamus oculos noſtros, precantes ut, confutatis opprobriis ſuperborum, & deſpectionibus divitum, nobis miſericordiam ſolitam clementer largiaris, ad quem aſsiduè oculos dirigimus; donec miſerearis noſtri, liberando nos ab omnibus malis præteritis, præſentibus, & futuris. Amen.

Psalmus cxxiii. [*ſec.Hebr.CXXIV.*]

Canticum *quintum* graduum *ſpiritualium. Quintus gradus eſt liberationem noſtram, non nobis, ſed Deo attribuere, & gratias agere.*

NIſi quia Dominus erat in nobis, *& niſi potentia & bonitas Dei adſtitiſſet nobis, ſuccurriſſet, defenſaſſet,* dicat nunc *gratias agendo* Iſraël, ** populus Chriſtianus videns Deum fide & ſpe;* niſi quia Dominus erat in nobis, *& fuiſſet pro nobis, protegens & liberans:*

Cùm exurgerent *ex malitia* homines *impii* in nos * *perſequendo;* fortè *contigiſſet quod* vivos deglutiſſent nos, *vaſtando in anima & corpore.*

Cùm

Cùm iraſceretur *&* *exardeſceret* furor eorum in nos * *ex invidia*; forſitan aqua *&* *inundatio tribulationum* abſorbuiſſet nos, *niſi præſtò fuiſſet auxilium divinum.*

Torrentem *perſecutionum*, *&* *impetum tentationum*, pertranſivit *&* *evaſit* anima noſtra * *illæſa* : *verumtamen*, *ſi Dominus non fuiſſet in nobis*, forſitan pertranſiſſet *ſeu paſſa eſſet* anima noſtra *debilis* aquam *tentationum & perſecutionum* intolerabilem *viribus noſtris*, *adeoque ſubmerſi fuiſſemus in ea.*

Benedictus *ſit* Dominus * *& laudatus*, qui non dedit nos *ſervos ſuos* in captionem *& prædam ut laceraremur* dentibus eorum, *&* *diſpergeremur crudeliter.*

Anima noſtra *fragilis*, ſicut paſſer, *per Dei gratiam* erepta eſt, * *&* *evaſit impietatis pericula*, de laqueo venantium *ſpirituum malignorum*, *qui*, *ad venandum animas*, *laqueos extendunt in concupiſcentiis ſæculi.*

Laqueus *per Dominum* contritus eſt, * *& in nihilum redactus* ; et nos liberati ſumus, *non propria virtute*, *ſed divina.*

Ad-

Adjutorium noſtrum, *non à nobis, nec in nobis*, *ſed* in nomine Domini; * *in virtute & invocatione ejus* qui fecit *& creavit* cœlum et terram, *& omnia quæ in eis ſunt.*

ORATIO.

Quæſumus, Domine, creator cœli & terræ, ut per gratiam tuam ſemper ſis nobis, liberans nos de inſidiis ac deceptionibus dæmonum, & laqueos peccatorum noſtrorum conterendo : ut qui de noſtra virtute diffidimus, nominis tui adjutorio muniamur. Per Chriſtum Dominum noſtrum.

PSALMUS CXXIV. [*ſec. Hebr.* CXXV.]

Canticum *ſextum* graduum *ſpiritualium.*

QUi confidunt *& totam ſpem ſuam reponunt* in Domino, *non in hominibus nec rebus mundanis*, *ſunt* ſicut mons Sion, * *qui moveri non poteſt* : non commovebitur in æternum *à ſtabilitate fidei & virtutis*, qui habitat in Jeruſalem *atque Eccleſia Chriſti.*

Mon-

Montes, *qui ſunt Prophetæ, Apoſtoli, & ſancti homines, ſunt* in circuitu ejus * *Eccleſiæ, quaſi murus* : et Dominus, *qui eſt vertex montium*, *eſt* in circuitu populi ſui, *ut benefaciat*, *ornet*, *& defendat*, ex hoc nunc et uſque in ſæculum, *quia nobiſcum erit uſque ad conſummationem ſæculi.*

Quia non relinquet *ſemper* Dominus *poteſtatem*, virgam, *& tyrannidem* peccatorum *impiorum* ſuper ſortem juſtorum, * *ut prævaleant juſtis* ; ut non extendant juſti, *in longa tribulatione deſperantes*, ad iniquitatem *& impietatem* manus ſuas, *immò patienter ferant.*

Benefac, Domine, *in tua gratia* bonis * *opere* et rectis corde : *illos*, *inquam*, *defende*, *conforta*, *& glorifica.*

Declinantes autem *à rectitudine fidei ac veritatis* in obligationes *culpæ*, *ad pravitates ſuas*, *per blanditias carnis*, adducet Dominus *ad pœnam æternam*, cum operantibus iniquitatem * *& perſeverantibus in ea* : *ſed* pax *æterna erit* ſuper Iſraël, *rectos corde Deum videntes fide formata.*

ORA-

ORATIO.

Repelle, Domine, inſurgentium nequitias à ſorte juſtorum: & ſerva nos, ne commoveamur à ſtabilitate fidei & virtutis. Fac quoque ne per blanditias carnis declinemus ad pravitates noſtras: ſed præſta ut, qui in te toto corde confidimus, nullis tentationum procellis quatiamur. Amen.

Psalmus cxxv. [*ſec. Hebr.* CXXVI.]

Canticum *ſeptimum* graduum.

In convertendo *& poſtquam converterit* Dominus *Deus* captivitatem Sion * *& populi Chriſtiani, redimendo nos à vinculis peccatorum ſanguine innocenti*; facti ſumus, *propter inſperatum maximum bonum*, ſicut conſolati, *ut vix credere præ admiratione poſſimus.*

Tunc *in illa converſione* repletum eſt gaudio *ſpirituali* os noſtrum * *cordis*: et lingua noſtra *corporis etiam repleta eſt* exultatione *atque jubilatione pro tanta gratia, qua ſalvamur.*

Tunc *etiam* dicent *aliqui* inter gentes, * *& fateri cogentur increduli*: Magni-

gnificavit Dominus *mirabilia* facere cum eis *fidelibus*, *peccata dimittendo, & virtutes conferendo.*

Magnificavit Dominus *misericordiam suam* facere nobiscum, * *liberando nos de servitute peccati & diaboli* : *unde* facti sumus lætantes, *qui prius eramus tristes & gementes.*

Converte, Domine *Deus*, captivitatem nostram * *qua sub diabolo tenemur* : sicut torrens *impletur aquis & currit* in Austro *vento*, *qui nives dissolvit* ; *ita*, *flante Spiritu Sancto*, *solvamur à peccatis.*

Qui seminant *opera bona misericordiæ* in lacrimis * *compunctionis & devotionis*, in exultatione *futura* metent *fructum æternæ beatitudinis.*

Euntes *de virtute in virtutem*, ibant *proficiendo continuè*, et flebant * *in laboribus virtutis*, mittentes semina *ac opera* sua *cum multo fructu.*

Venientes autem *ad judicium*, venient *à morte resurgendo*, cum exultatione * *& gaudio magno* portantes manipulos suos *in felicissima messe*, *quia fructum bonorum operum.*

ORA-

ORATIO.

Consolare, Domine, populum tuum, & reple nos gaudio spirituali, atque magnifica misericordiam tuam facere nobiscum, liberando nos à captivitate pessima vitiorum & diaboli; ut, quem hìc in bonis operibus seminamus, tandem fructum æternæ vitæ recipiamus in præmium & coronam gaudiorum. Amen.

PSALMUS CXXVI. [*sec. Heb.*CXXVII.]

Canticum *octavum* graduum *spiritualium.*

NIsi Dominus *Christus* ædificaverit *interius* domum * *& Ecclesiam suam, populumque suum in fide & moribus*; in vanum laboraverunt *rectores*, qui ædificant eam *prædicando, & sacramenta administrando.*

Nisi Dominus *Deus* custodierit *in fidei puritate* civitatem * *& congregationem fidelium, in unitate spiritus*; frustra vigilat *contra hostes* qui custodit eam, *quia vana est omnis humana providentia.*

Vanum *& inutile* est *ergo* vobis omni-

mnibus ante lucem, *Christum*, *qui est lux nostra*, surgere * *& incipere aliquod opus bonum*, *nisi lux gratiæ infundatur*: surgite *ergo*, *per lucem gratiæ bene operando*, postquam *diu* sederitis *in peccatis*, qui manducatis *in afflictione* panem doloris *ac pœnitentiæ*.

Cùm dederit dilectis *& amicis* suis *prædestinatis* somnum * *mortis temporalis*, ecce hereditas Domini *sunt tales* filii *renati ex aqua & Spiritu Sancto*; *quorum* merces *erit Christus*, fructus *benedictus* ventris *virginalis*, *qui eos acquisivit per obedientiam passionis*.

Sicut sagittæ *sunt* in manu *alicujus* potentis * *hominis ad feriendum de arcu*; ita *sunt* filii *& imitatores* excussorum *Apostolorum*, *qui excussi & missi sunt à Christo in fines orbis terrarum*, *unde acquisita est Domino hereditas Ecclesiæ ex gentibus*.

Beatus *est* vir *ille* qui implevit desiderium suum *spirituale* ex ipsis * *sagittis & doctrinis Apostolorum*: *quia* non confundetur *ut mendax*, *cùm assumserit* jacula *verbi Dei*, cùm loquetur inimicis suis *Judæis*, *Gentibus*, *Hæreticis*,

in porta *& frequentia populi.*

ORATIO.

Congregationem fidelium in unitate ſpiritus cuſtodi, Domine: & nos filios tuos, renatos ex aqua & Spiritu in Eccleſia, quam ædificaſti ſanguine tuo, fac ſurgere à peccatis, per lumen gratiæ tuæ; ut, abundantes in operibus bonis, ſimus hereditas tua, & tu merces noſtra, qui es Chriſtus, fructus benedictus ventris virginalis. Amen.

PSALMUS CXXVII. [*ſec.Heb.CXXVIII.*]

Canticum *nonum* graduum *ſpiritualium. Nonus gradus eſt Deum timore caſto ac filiali timere.*

BEati omnes, *cujuſcumque conditionis fuerint*, qui timent Dominum * *timore caſto ac filiali*, *&* qui ambulant in viis ejus *juxta Dei præſcripta & ſanctam Scripturam.*

Labores manuum tuarum *in ſudore vultus percipies*, quia manducabis * *de juſtis laboribus*: beatus es *in hoc*, et bene tibi erit, *quia felix lucrum comprobat Deus.*

Uxor tua, *non libidinoſa*, *ſed caſta &*

& fidelis, erit ſicut vitis abundans * *fructibus*, in lateribus domus tuæ, *omnia prudenter diſponens.*

Filii tui, *dulces & bonæ ſpei, erunt* ſicut novellæ *plantulæ* olivarum * *virentes*, in circuitu menſæ tuæ, *quos Dei munere paſces alacer.*

Ecce *hæc dona Dei accipiet &* ſic benedicetur homo * qui timet Dominum *Deum, ambulando per viam mandatorum ejus.*

Benedicat tibi Dominus *benedictione quæ eſt* ex Sion * *cæleſti*: et, *ibi poſitus*, videas bona *ſupernæ* Jeruſalem, *quæ deſideraſti*, omnibus diebus vitæ tuæ, *ſemper & æternaliter.*

Et videas *longævus* filios filiorum tuorum, * *& nepotes beatos pariter, timentes Deum*: pacem *inſuper, gratiam, & miſericordiam* ſuper Iſraël *& omnem populum Dei.*

ORATIO.

Timentibus nomen tuum, Domine, beatitudinem largire perpetuam, ut nos & & filii noſtri videamus bona cœleſtis Jeruſalem, quæ non tranſeunt, ſed æterna ſunt; & pacem pariter ſuper omnem populum Chriſtianum. Per Dominum noſtrum &c.

PSALMUS CXXVIII. [*sec.Heb.CXXIX.*]

Canticum *decimum* graduum *spiritualium.* *Decimus gradus est patientia, quæ in adversis comprobatur.*

SÆpe *&* *multum* expugnaverunt me *diabolus*, *tyranni*, *& hæretici*, à juventute mea * *& principio temporis*, dicat nunc Israël, *Ecclesia*, *quæ Deum speculatur per fidem.*

Sæpe expugnaverunt me, *nec destiterunt*, à juventute mea * *& initio conversionis meæ ad Deum verum* : etenim non potuerunt *prævalere* mihi, *assistente Dei gratia.*

Supra dorsum meum, *ex qua parte videri non possunt*, fabricaverunt *insidias* peccatores, * *& tribulationibus afflixerunt* : *&* prolongaverunt *perseverantes* iniquitatem suam, *addendo mala malis.*

Dominus justus, *reddens singulis secundum opera sua*, concîdit *& destruxit* cervices peccatorum * *atque superbias impiorum* : confundantur *de iniquitate sua*, et convertantur retrorsum *à Deo*,

omnes

omnes qui oderunt Sion *&* *congregationem justorum.*

Fiant *inimici gratiæ ac veræ pietatis, qui diu florere volebant*, sicut fœnum tectorum; * quod, priusquam evellatur, *nihil fructificans*, *sed tantum florens*, exaruit *atque evanescit ante tempus.*

De quo *fœno arido*, *qui sunt impii*, non implevit *Angelus* manum suam *aliquo bono opere ad offerendum Deo*, qui *in fine mundi* metit * *separando bonos à malis*: et sinum suum *non implebit fructu malo*, qui manipulos, *bonos ac justos*, colligit *&* *congregat.*

Et non dixerunt *sancti* qui præteribant *nos ad cœlestia*: Benedictio Domini *sit* super vos. * *Nec etiam dixerunt*: Benediximus vobis *ex parte nostra* in nomine Domini; *quia noverunt Ecclesiæ persecutores maledictos.*

ORATIO.

Præsta nobis, Domine, patientiam in adversis, & ab omnium impugnationum nequitiis nos tua protectione defende, ut pericula mundi transire valeamus illæsi: ut, bene viventes, æquanimiter toleremus

impios, & ab omnibus ſanctis tuis benedici valeamus in nomine tuo, quod JESUS eſt, ſalvator noſter. Amen.

PSALMUS CXXIX. [*ſec. Hebr.* CXXX.]

Canticum *undecimum* graduum *ſpiritualium. Undecimus gradus eſt pœnitentialis ſupplicatio, cùm nullus ſine peccato ſit.*

DE profundis *cordis & miſeriis peccatorum meorum*, clamavi *orando ferventer* ad te, Domine, * *qui ſolus potes liberare*: Domine *miſericors*, exaudi vocem *& orationem* meam.

Fiant aures tuæ *pietatis & miſericordiæ* intendentes, * *ut relaxentur peccata*, in vocem deprecationis meæ, *ne fruſtrà orem.*

Si iniquitates *meas & peccata* obſervaveris, Domine, * *ſecundum juſtitiæ rigorem*; Domine *bone*, quis ſuſtinebit *te judicem vindicantem?*

Quia apud te *verum Deum Filium* propitiatio eſt, * *& peccatorum noſtrorum reconciliatio*; et, propter *Euangelicam* legem tuam, *quâ promittis miſeri-*

cordiam pœnitentibus, ſuſtinui *patienter* te, Domine, *& ſperans, & exſpectans.*

Suſtinuit *confidenter* anima mea, *in conſolatione &* in verbo ejus * *infallibili*: ſperavit *de remiſsione peccatorum* anima mea in Domino, *qui liberat, condonat, & coronat.*

A cuſtodia *ſeu vigilia* matutina, *quæ eſt pueritia, quando incipit homo ratione vigere*; uſque ad noctem * *mortis & finem vitæ*, ſperet *confidenter* Iſraël *& populus fidelis* in Domino, *exſpectando miſericordiam.*

Quia apud Dominum *fuit, eſt, & erit* miſericordia * *in relaxatione peccatorum*, et copioſa *atque ſufficiens* apud eum *eſt* redemtio, *cujus pretioſo ſanguine redemti ſumus.*

Et ipſe *filius Dei* redimet *proprio ſanguine* Iſraël, * *populum fidelem*, ex omnibus, *tam mortalibus* iniquitatibus ejus, *quàm venialibus.*

ORATIO.

De profundis cordis clamamus ad te, Domine, ut de profundis peccatorum liberes nos, quia apud te ſolum verum Deum eſt propitiatio & reconciliatio noſtra. Ne

obſerves iniquitates noſtras, qui ſperamus in miſericordia tua, qui redemti ſumus pretioſo ſanguine tuo. Amen.

PSALMUS CXXX. [*ſec. Hebr.* CXXXI.]

Canticum *duodecimum* graduum *ſpiritualium. Duodecimus gradus eſt humilitas interior cordis, & exterior operis.*

DOmine *Deus*, non eſt exaltatum *intus* cor meum * *per ſuperbiam, quaſi, meis viribus confidens, aliquid ſublime de me ſentiam*: neque elati ſunt *ſigno exteriori* oculi mei, *ut ſuper alios me exaltarem.*

Neque ambulavi *præſumendo* in magnis * *factis vel virtutibus*, neque in mirabilibus ſuper me: *quia non ſtudui vana & curioſa perſcrutari, altiora captu meo.*

Si non humiliter ſentiebam, * *nihil præſumendo de me & viribus meis*, ſed exaltavi *ſuperbiendo* animam & *perſonam* meam; *fiat de me punitio quæ ſequitur:*

Sicut, *cùm* ablactatus eſt *puer*, & *abſtractus à mamillis* ſuper matre ſua, *

con-

contriſtatur & perit; ita retributio & *punitio ſit* in anima & *perſona* mea, *ut à me ſubtrahatur conſolatio divina.*

Speret Iſraël *populus fidelis ac humilis* in Domino, * *non præſumat de ſe ipſo*, ex hoc nunc *præſentis temporis*, et uſque in ſæculum *æternitatis.*

ORATIO.

Omnipotens Deus, ne permittas nos exaltari in ſuperbiis noſtris, neque confidere in noſtris viribus, & altiora nobis indagare: ſed immò fac nos humiliari ſub potenti manu tua, & ſperare in te Domino Deo noſtro, ut ad æternitatem tuam in cœleſtibus pervenire valeamus. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

PSALMUS CXXXI. [*ſec. Hebr.* CXXXII.]

Canticum *decimum tertium* graduum *ſpiritualium. Decimus tertius gradus eſt ædificatio ſpiritualis domus in moribus & fide.*

MEmento, Domine *Pater*, David, * *hoc eſt Chriſti*, *qui de ſemine David ſecundum carnem deſcendit*; et omnis manſuetudinis ejus, *qui*, *tam-*

tamquam agnus, ductus est ad victimam.

Sicut juravit *Christus homo* Domino * *Deo Patri*, & votum vovit *ex mera voluntate* Deo Jacob, *ut adventu suæ incarnationis redimeret genus humanum.*

Si introiero (*votum est Christi*) *id est, non introibo* in tabernaculum *cœlestis palatii* domus meæ,* *ut ibi inhabitem*; si ascendero, *quia non ascendam*, in lectum & *requiem* strati mei, *sessurus ad dexteram Patris, ubi erit finis laborum*; [2. *Reg.* 7. 2.]

Si dedero, *quia non dabo*, somnum *triduanum* oculis meis * *in sepulcro*, et palpebris meis dormitationem & *quietem*;

Et *non dabo* requiem *aliquam* temporibus meis, *neque prius ascendam crucem morti proximus*: donec inveniam locum Domino * *Patri in pectoribus credentium, quod sit* tabernaculum, *ecclesia & templum* Deo Jacob, & *Christianorum, qui contra vitia militare non cessant.*

Ecce jam audivimus *per Prophetas* eam *Ecclesiam futuram* in Ephrata,*

quod

quod eſt Bethleem, in qua natus eſt Chriſtus: invénimus eam *etiam* in campis ſilvæ *&* *in Gentibus idololatris & incultis.*

Introibimus *in unitate fidei, & vinculo caritatis*, in tabernaculum ejus * *& Eccleſiam ſanctam*; *&* adorabimus in loco *ſacro* ubi ſteterunt *Apoſtoli, qui ſunt* pedes ejus, *ſuſtentantes totum corpus Eccleſiæ.*

Surge *nunc*, Domine, *à morte*, in requiem tuam, * *aſcendendo in cœlum, qui reddidiſti votum tuum*: tu *primò*, et *deinde* arca *ſeu Eccleſia* ſanctificationis tuæ, *quam ſanctificaſti per aſperſionem ſanguinis tui.* [2. *Paral.*6. 41.]

Sacerdotes tui *atque Prælati Eccleſiæ* induantur juſtitiam * *fidei*: et *inde* ſancti tui *atque ejus ſubditi minores* exultent *teſtimonio bonæ conſcientiæ.*

Propter David ſervum tuum, * *& propter filium tuum qui ex ſemine David formam ſervilem ſuſcepit*, non avertas *penitus à Judæis* faciem *&* *notitiam* Chriſti *filii* tui.

Juravit Dominus *per ſemetipſum &*

pro-

promisit David veritatem, et non frustrabitur eam, * *nec est mentitus ei, quia, sicut promisit, sic complevit*: De fructu ventris tui, *filium Virginis natum de stirpe tua*, ponam *regem* super sedem tuam, *juxta illud Angeli*: *Dabit illi Deus sedem David patris sui.* [*Luc.* 1. 55. *Act.* 2. 30.]

Si custodierint filii tui *per te in fide progeniti* testamentum meum, * *implendo præcepta legis* et testimonia mea *euangelica* hæc, quæ docebo eos *per te & tuos*;

Et *etiam* filii *ac successores* eorum *si custodierint*: usque in sæculum * *æternum* sedebunt super sedem tuam, *quia sine fine tecum regnabunt*.

Quoniam elegit Dominus *sua gratia* Sion * *& Ecclesiam fidelium*: elegit eam *in cordibus electorum* in habitationem sibi *per fidem*, *ut Deus in ipsis*, *& ipsi in Deo habitent*.

Hæc *Ecclesia aut anima fidelis est* requies mea, *non tantùm in hac vita*, *sed* in sæculum sæculi, * *æternaliter*: hìc habitabo *in benedictionibus meis*, quoniam elegi eam *ex pura gratia mea*.

Vi-

Viduam & *animam* ejus *Ecclesiæ desertam omni auxilio mundano, solam spem in me habentem*, benedicens *benedictione gratiæ in præsenti*, benedicam * *benedictione gloriæ in futuro*: & pauperes ejus *ac humiles, nihil de se præsumentes, sed in misericordia sola Dei*, saturabo panibus *vitæ æternæ spiritualibus, cibo cœlesti & verbo Dei*.

Sacerdotes *atque Prælatos* ejus *Ecclesiæ* induam salutari * *gratia Spiritus Sancti, ut luceant doctrina & virtutibus*: et *inde* sancti ejus *fideles, baptismo sanctificati*, exultatione *perpetua* exultabunt *de gratia Dei & remissis peccatis*.

Illuc *in Ecclesia* producam & *germinare faciam* cornu David * & *regnum & gloriam ejus*: paravi lucernam & *Euangelii doctrinam* Christo *filio* meo, *quæ lucerna de Sion exibit in orbem terrarum*. [*Mal*.3.1. *Luc*.1.69.]

Inimicos & *adversarios* ejus *regni & lucis Euangelii Christi* induam confusione, * *quia obvolventur erroribus*: super ipsum autem *Christum* efflorebit *ac excellenter apparebit* sanctificatio mea & *gloria divinitatis*.

ORA-

ORATIO.

Memor esto nostri, omnipotens Deus, & indue nos justitia atque salutari gratia tua. Effloreat quoque super nos sanctificatio divinitatis tuæ, ut custodiamus testimonia tua euangelica; saturando pane cœlesti verbi Dei nos humiles, nihil de nobis præsumentes: et tu in nobis atque nos in te habitando, benedicas benedictione gratiæ in præsenti, & gloriæ in futuro. Amen.

PSALMUS CXXXII. [*sec.Heb.*CXXXIII.]

Canticum *decimum quartum* graduum *spiritualium. Decimus quartus gradus est caritas fraterna Ecclesiam ædificans.*

Ecce quàm bonum *& utile*, et quàm jucundum * *ac delectabile*, habitare fratres, *non carnales, sed spirituales*, in unum *sincera caritate, ut habeant cor unum & animam unam.*

Sicut unguentum *gratiæ Spiritus Sancti, quod fuit prius* in capite * *Christo*, quod descendit *postea* in barbam *& membra fortia, quæ fuerunt Apostolici viri*; barbam (*inquam*) Aaron, *sacer-*

cerdotis Christi.

Quod *etiam unguentum Spiritus Sancti* descendit *ab Apostolis* in oram vestimenti ejus, * *usque ad nos, ad quos fines sæculorum devenerunt* : sicut ros Hermon *& gratia Christi*, qui descendit *super Apostolos* in montem Sion *congregatos.*

Quoniam illic, *in unanimi cohabitatione fratrum*, mandavit Dominus *& promisit hìc* benedictionem * *gratiæ, & virtutum multiplicationem*, et vitam *æternam in futuro*, usque in sæculum *sæculi duraturam.*

ORATIO.

Infunde, Domine, in Ecclesia tua caritatem fraternitatis ac pacis; ut, rore spiritualis unguenti aspersi, benedictionis tuæ gratia jucundemur in corde uno & anima una. Per Christum &c.

PSALMUS CXXXIII. [*sec. Heb. CXXXIV.*]

Canticum *decimum quintum graduum spiritualium. Decimus quintus gradus est caritas in Deum.*

Ec-

ECce nunc *in tempore præsenti* benedicite Dominum, * *laudando & gratias agendo*, omnes servi Domini *unanimiter habitantes in domo Dei.*

Qui statis *perseverantes* in *Ecclesia*, domo Domini, * *parati ad serviendum Domino: qui & statis* in atriis & *ingressu* domus Dei nostri, *tamquam incipientes & imperfecti.*

In noctibus *adversitatis*, *non tantùm in diebus prosperitatis*, extollite *sursum ad Deum* manus vestras *cordis & corporis*, *devotè orando* in sancta * *intentione*; *ut*, *quidquid facitis*, *in nomine Domini faciatis*: et benedicite Dominum, *nihil vobis arrogando*, *sed totum Deo tribuendo.*

Benedicat te Dominus *benedictione quæ est* ex Sion * & *de cœlesti Jerusalem*, *gratiam suam impertiendo*: qui *Deus omnipotens* fecit cœlum et terram, *omnem superiorem & inferiorem creaturam.*

ORATIO.

Benedicentes te omnes servi tui, Domine, deprecamur ut nos, hujus mundi no-

cte

cte obscuratos, illuminare digneris; quatenus, dum manus nostras in bonis operibus elevamus, benedictionem à te æternam consequamur. Per Christum &c.

PSALMUS CXXXIV. [*sec.Heb.CXXXV.*]

Alleluja. *Laudate Deum, propter magna ejus beneficia & diversa.*

LAudate *corde & ore* nomen Domini, * *quod JESUS est*: laudate servi Dominum, *pro beneficio creationis & redemtionis.*

Qui statis in *Ecclesia*, domo Domini, * *perseverantes in fide & caritate*: *& vos, peccatores, qui estis* in atriis *& ingressu* domus Dei nostri *pœnitentes*:

Laudate Dominum *Deum*, quia bonus Dominus, * *& fons bonorum indeficiens*: psallite nomini ejus, *quod JESUS est*, quoniam suave *est*, *& salvans peccatores.*

Quoniam Jacob, *contra vitia luctantes*, elegit sibi *gratis* Dominus, * *nullis meritis præcedentibus*; *&* Israël, *fideles filios contemplantes Deum, etiam elegit* in possessionem sibi *peculiarem.*

Quia ego cognovi *per veram fidem, & ex Dei operibus*, quod magnus eſt Dominus * *& immenſus potentia, ſapientia, & natura*; et Deus noſter *eſt potentior ac benignior* præ omnibus diis, *quia ſolus eſt Deus & dominator omnium.*

Omnia, *tam viſibilia quàm inviſibilia*, quæcumque voluit Dominus *Deus* fecit in cœlo et in terra, * *quia cauſa omnium operum ejus eſt propria voluntas, & nulla neceſsitas*: in mari, et in omnibus abyſsis, *quia tuetur & gubernat cœleſtia, terreſtria, & inferna.*

Educens *& ſublevans* nubes ab extremo terræ, * *ubi elevantur vapores humidi, ex quibus nubes generantur*: & fulgura *atque tonitrua, in dictis nubibus generata*, in pluviam fecit *per reſolutionem nubium.* [*Hier.* 10. 13.]

Qui producit ventos *omnes* de *occultis* theſauris ſuis: * *&* qui percuſsit primogenita Ægypti, *vindicando electos*, ab homine uſque ad pecus, *oſtendens iram & potentiam, quam ſpreverant.* [*Exod.* 12. 29.]

Et miſit ſigna et prodigia *multa* in me-

medio tui, Ægypte, * *pro populi Iſraëlitici liberatione* : in Pharaonem *regem*, et in omnes ſervos ejus, *quos ſubmerſit in mari Rubro.*

Qui percuſsit, *poſt egreſſum de Ægypto*, gentes multas, * *occupantes terram filiis Iſraël promiſſam*; et occîdit reges fortes, *filiis Iſraël reſiſtentes.* [*Num.* 21. 24. & 35.]

Sehon regem Amorrhæorum *occîdit*, et *etiam* Og regem Baſan, * *ſub Moyſe, cùm probiberent filios Iſraël tranſire per fines ſuos*: et omnia regna Chanaan *etiam percuſsit Deus, ſub Joſue.*

Et dedit terram eorum *regum & gentium* hereditatem * *poſsidendam*, hereditatem (*inquam*) Iſraël populo ſuo, *ex ceteris nationibus electo.* [*Joſue* 12. 1. & 7.]

Domine, *qui tanta feciſti tuis*, nomen tuum *erit laudabile* in æternum * *à nobis* : Domine, memoriale tuum in generationem *præſentem* et generationem *futuram.*

Quia judicabit Dominus *Deus* populum ſuum, * *vindicando fideles de*

impiorum violentia, ſicut fecit Ægyptiis; et in ſervis ſuis, *ſibi obedientibus atque electis*, deprecabitur *& placabilis erit, eorum preces exaudiendo.*

Simulacra *atque idola* Gentium *ſunt* argentum et aurum, * *quantum ad materiam*; *& ſunt* opera manuum hominum, *quantum ad formam artificis factam.*

Os habent *ſimilitudinariè, non verè*; et non loquentur, * *quia carent oris officio*: oculos habent *ſculptos vel depictos*; et non videbunt, *quia figmentum ſunt.* [*Sap.* 15. 15.]

Aures habent *apparenter*, et non audient * *in veritate*: neque enim eſt ſpiritus *ſeu anhelitus* in ore ipſorum, *quia truncus ſunt & figmenta humana.*

Similes illis *idolis* fiant *in interiore homine* qui faciunt ea * *operando*, et omnes qui confidunt in eis *adorando.*

Domus, *familia, ſeu congregatio* Iſraël, *Chriſtianorum fidelium, videntium Deum per fidem*, benedicite Domino, * *ipſum verè colendo*: domus Aaron *ſacerdotalis*, benedicite Domino, *ipſum digne laudando.*

Do-

Domus Levi *atque Levitica tota tribus*, benedicite Domino, * *atque solliciti sitis pro vero cultu Dei veri*: qui timetis Dominum, *ex omni gente & populo*, benedicite Domino, *majestatem ejus venerantes.*

Benedictus, *laus & gratiarum actio deferatur ei qui* Dominus *est* ex Sion, * *solus & unicus verus Deus, creator omnium*; qui habitat in Jerusalem *cœlesti, ubi videbimus eum in æterna pace.*

ORATIO.

Laudamus nomen tuum, Domine, omnes servi tui, pro beneficio creationis & redemtionis, quoniam bonus es & suavis. Deprecabilis esto & placabilis super clientulos tuos de familia tua electa, exaudiendo preces nostras: ut, hic te benedicentes, cum Angelis in æternum te laudare mereamur. Amen.

PSALMUS CXXXV. [*sec.Heb.CXXXVI.*]

Alleluja. *Laudate Dominum, propter diversa ejus magnalia, & beneficia nobis collata.*

CONfitemini Domino *confeſsione laudis*, quoniam bonus, * *quia ab ipſo fonte omne bonum profluit*: quoniam in æternum miſericordia ejus, *nec ceſſat umquam benefacere, favere, indulgere, & miſereri.*

Confitemini Deo deorum, * *qui ſolus omnibus præeſt, & gloriam ſuam non dat alteri*: quoniam in æternum *durat* miſericordia *& benignitas* ejus.

Confitemini Domino dominorum, * *quia pro ſuo nutu omnes dominos regit*: quoniam in æternum miſericordia ejus.

Qui *propria virtute* facit mirabilia magna ſolus, * *non indigens auxilio cujuſcumque*: quoniam in æternum miſericordia ejus.

Qui fecit cœlos, *æthereum, ſidereum, cryſtallinum, & empyreum*, in intellectu * *& ſapientia ſua*: quoniam in æternum miſericordia ejus, *omnia in bonum electorum ordinando.* [*Geneſ.* 1. 1.]

Qui firmavit *& fundavit* terram ſuper aquas * (*quia terra ſupereminet con-*

contra naturalem rationem utriusque) *ut homines super terram vivere possent:* quoniam in æternum misericordia ejus.

Qui fecit, *inter cetera sidera*, luminaria magna * *Solem & Lunam:* quoniam in æternum misericordia ejus, *ut lucis solatio creaturæ gauderent.*

Solem in potestatem diei, * *ut esset lux illuminans diem*: quoniam in æternum misericordia ejus, *quia sine Solè nihil maneret.*

Lunam et *etiam* Stellas in potestatem noctis, * *ut possint illuminare noctem*: quoniam in æternum misericordia ejus, *quæ per hæc nobis ministrat necessaria.*

Qui percussit Ægyptum cum primogenitis eorum * *occidendo*: quoniam in æternum misericordia *& benignitas* ejus. [*Exod.* 12. 29.]

Qui eduxit Israël *populum Judaicum* de medio eorum * *Ægyptiorum, ubi tenebantur sub tyrannica servitute*: quoniam in æternum misericordia ejus, *in angustiis succurrendo credentibus.*

[*Exod.* 13. 17.]

In manu *valida &* potenti et brachio excelso, * *cui nemo resistere potest*: quoniam in æternum misericordia ejus.

Qui divisit mare Rubrum, *ut sicco pede transiret Israël*, in divisiones * *duodecim*: quoniam in æternum misericordia ejus, *quia electos in mediis mortibus vivificat*.

Et eduxit Israël, *ut transiret* per medium ejus * *maris Rubri, præbens iter siccum*: quoniam in æternum misericordia ejus.

Et excussit *atque interemit* Pharaonem *regem*, et virtutem *seu exercitum* ejus, in mari Rubro, * *submergendo in mediis fluctibus*: quoniam in æternum misericordia ejus. [*Exod.* 14. 28.]

Qui traduxit *quadraginta annis* populum suum *electum* per desertum, * *in multis mirabilibus*: quoniam in æternum misericordia ejus, *assistendo humano auxilio destitutis*.

Qui percussit *interimendo* reges magnos * *atque superbos, in suis viribus confidentes*: quoniam in æternum mi-

ſericordia ejus.

Et occîdit reges *viribus ac bello* fortes : * quoniam in æternum miſericordia ejus, *quæ debiles roborat ac confirmat.*

Sehon regem Amorrhæorum, * *qui primus auſus fuit invadere Iſraël:* quoniam in æternum miſericordia ejus.

Et Og regem Baſan, * *fortiſsimum gigantem* : quoniam in æternum miſericordia ejus. [*Num.* 21. 33.]

Et dedit terram eorum *regum ad* hereditatem * *alteram, privando illos impios* : quoniam in æternum miſericordia ejus. [*Joſue* 13. 7.]

Hereditatem, *inquam*, Iſraël ſervo ſuo, * *quam pollicitus fuerat patribus:* quoniam in æternum miſericordia ejus.

Quia in humilitate & *aflictione* noſtra, *dum gravi ſervitute Ægyptiorum opprimeremur*, memor fuit noſtri * *reſpiciendo nos miſericorditer* : quoniam in æternum miſericordia ejus, *erigens eliſos ab impiis.*

Et redemit nos *Iſraëlitas* ab *hoſtibus*

bus & inimicis noſtris, * *qui plures & fortiores erant*: quoniam in æternum miſericordia ejus, *qui ſubvenit infirmis.*

Qui dat eſcam & *cibum* omni carni * *atque omnibus animantibus*: quoniam in æternum miſericordia ejus, *cui cura eſt de omnibus creaturis ſuis.*

Confitemini Deo, *qui eſt creator* cœli * *& gubernator atque promiſſor*: quoniam in æternum miſericordia ejus.

Confitemini Domino dominorum,* *qui eſt Alpha & Omega cunctarum rerum*: quoniam in æternum *eſt benignitas*, miſericordia, & *beneficentia* ejus, *replens totam mundi machinam.*

(*Hic verſus non eſt in Hebræo.*)

ORATIO.

Memor eſto humilitatis noſtræ, & miſerere nobis, omnipotens Deus: &, qui quondam patribus noſtris terram adverſariorum in hereditatem donaſti, quæſumus ut nos, à peccati macula liberatos, in tuam cœleſtem hereditatem reſtituas. Per Chriſtum Dominum.

PSALM. CXXXVI. [*ſec.Heb.CXXXVII.*]

Pſalmus *iſte eſt ipſius* David *Prophetæ,* propter Hieremiam : *quia conſonat lamentationibus Hieremiæ de Babylonica captivitate.*

SUper flumina Babylonis *& ſuper bona delectabilia hujus confuſi mundi, quæ more fluminum fluunt & refluunt,* illic ſedimus *in humilitate proſtrati*, et flevimus * *pro peccatis & miſeriis noſtris*; cùm recordaremur Sion, *cœleſtis patriæ, quæ eſt vera terra promiſsionis noſtræ.*

In ſalicibus *& infructuoſis hominibus, qui ſunt* in medio ejus * *Babylonis*, ſuſpendimus *atque ſubtraximus* organa noſtra *ſacræ Scripturæ, quia indigni erant audire.*

Quia illic, *in Babylonico mundo*, interrogaverunt nos, *tentantes & irridentes*, qui captivos *in peccatum* duxerunt nos, * *miniſtri dæmonum*; *ut cum ipſis cantaremus* verba cantionum, *fruendo hoc ſæculo in deliciis.*

Et qui abduxerunt nos * *à Deo &*

con-

consortio bonorum, dixerunt : Hymnum cantate nobis, *ad laudem Dei vestri*, de canticis Sion *quæ canitis in Ecclesia.*

Quomodo cantabimus canticum Domini, * *inter indignos, qui sumus* in terra aliena, *ubi Deus verus ignoratur nec colitur?*

Si oblitus fuero *inter hæc mundialia delectamenta* tui, *cœlestis* Jerusalem, * *& illis consentiam, opera bona differendo*; oblivioni detur dextera mea, *& pereat à me Dei mei auxilium.*

Adhæreat lingua mea faucibus meis, * *ut omnino mutus fiam*; si non *jugiter* meminero tui *in corde meo*;

Si non *omnibus aliis* proposuero *& prætulero gaudiis te*, Jerusalem * *cœlestis*, in principio lætitiæ meæ. *Tu mihi carior quàm omnis lætitia hujus mundi Babylonici.*

Memor *ad puniendum* esto, Domine, filiorum Edom * *seu Idumæorum, de nequitia eorum*, in die *sequestrationis* Jerusalem, *quando separabuntur boni à malis.*

Qui dicunt : Exinanite, exinanite, * *tollite, evertite, confundite* usque

ad

ad fundamentum *quidquid justitiæ & sanctitatis est* in ea *Ecclesia fidelium.*

Filia Babylonis, *istius confusissimi sæculi*, misera * *es in tua exsultatione & præsumtione*: beatus qui retribuet tibi *vicissitudinem &* retributionem tuam, *& pœnam tibi debitam pro malis*, quam retribuisti *& fecisti* nobis.

Beatus *est* qui tenebit * *& continebit se à vitiis*, et allidet *atque confringet* parvulos tuos *& primarios motus* ad petram, *Christum*; *ne confundatur in Babylonico mundo.* [*Isai.* 13. 16.]

ORATIO.

Crescat & roboretur desiderium Jerusalem cœlestis in cordibus nostris: ut non semper agitemur super flumina Babylonis, hujus confusi mundi, sed transeat captivitas nostra: ut veniat felicitas æterna, ubi non cessemus cantare cantica Sion cum Christo Domino nostro in æternum. Amen.

PSALM. CXXXVII. [*sec.Heb.CXXXVIII.*]

Psalmus *iste fit* ipsi David, *hoc est Christo.*

Con-

Confitebor tibi *ego ſervulus tuus*, Domine, *pro collatis beneficiis*, in toto corde meo * *gratias agendo*; quoniam audiſti verba oris mei *deprecatoria*.

In conſpectu *& præſentia* Angelorum *aſsiſtentium tuæ divinitati*, pſallam tibi * *laudando* : adorabo *te* ad templum ſanctum tuum, *in majeſtate divinitatis*; et confitebor nomini tuo, *te devotè laudando*.

Super miſericordia tua, *qua reſpicis peccatores ad liberandum*, et veritate tua, * *qua promiſsiones reddis*: quoniam magnificaſti, ſuper omne nomen *cœleſtium, terreſtrium, & infernorum*, ſanctum tuum *Chriſtum, qui univerſo orbi prædicatus eſt*.

In quacumque die *& tempore* invocavero te *pro mea ſalute*, exaudi me * *invocantem*: multiplicabis *& augebis* in anima mea *quamdam* virtutem *ſpiritualem, per quam contra ingruentia mala poſsim reſiſtere*.

Confiteantur tibi, Domine, *& ſanctificent nomen tuum* omnes reges terræ,

ræ, * *cognoſcentes tuum dominium generale*: quia audierunt *Euangelium pacis & gratiæ, atque* omnia verba *veritatis & vitæ* oris tui *divini, per Apoſtolos.*

Et cantent *atque fateantur, publicè* in viis *& præceptis* Domini * *ambulantes*: quoniam magna *& æterna* eſt gloria Domini *Dei, at ceterorum dominorum gloria vana & tranſitoria.*

Quoniam excelſus Dominus, *atque incomprehenſibilis majeſtatis*: et *tamen* humilia *corda hominum approbando* reſpicit * *oculis miſericordiæ*; et alta *atque ſuperba* à longè cognoſcit, *contemnendo & abominando.*

Si ambulavero in *anguſtiis &* medio tribulationis *hujus ſæculi*; vivificabis me, * *liberando à perſecutoribus*: et ſuper iram inimicorum meorum *me perſequentium* extendiſti manum *& poteſtatem* tuam, *eos vindicando*, et ſalvum me fecit *æternaliter* dextera *ac gratia* tua *divina.*

Dominus retribuet pro me * *vindictam adverſariis, ſecundum meritum eorum*: Domine *Deus*, miſericordia *& benignitas* tua *eſt* in ſæculum *æternum,*

&

& non ad tempus: *&* *ergo* opera manuum tuarum, *quia tu eos creasti*, ne despicias, *quamvis sint peccatores.*

ORATIO.

Multiplica, Domine, misericordiam tuam super nos; dum te in templo sancto tuo jugiter adoramus, & confitemur tibi pro collatis beneficiis, in toto corde nostro gratias agendo. Vivifica nos liberando de medio tribulationis & angustiarum, & salvet nos gratia tua divina. Ne despicias opera manuum tuarum, Domine.

PSALM. CXXXVIII. [*sec.Heb.*CXXXIX.]

In finem, *Christum, in quo est omnium virtutum plenitudo, dirigit nos hic* Psalmus *ipsius* David *Propheta.*

DOmine *Deus*, *tu* probasti me, *perscrutans corda & renes*, et cognovisti me * *& examinasti*: tu, *inquam*, cognovisti sessionem meam, *in humilitate recognoscendo peccata*; et resurrectionem meam, *quod justificatus per gratiam tuam resurgo.*

Intellexisti cogitationes meas *interiores* de longe; * *quia ab æterno* semi-

tam

tam meam, *ſtudia*, *&* *actus meos*, et funiculum meum *diſcretionis quem habui inter bonum & malum*, inveſtigaſti: *quia quò gradimur & quouſque pervenimus deprehendiſti.*

Et omnes vias meas, *operationes, & actus*, *& ſtudia* prævidiſti * *antequam fierent*: quia non eſt ſermo *excuſationis* in lingua mea, *ſed potius accuſationis*, *quia culpam meam agnoſco.*

Ecce, Domine Deus, tu cognoviſti omnia, noviſsima *ac ultima*, et antiqua, * *prima* (*adeò nihil fit ſine te*): tu formaſti *& creaſti* me *ſecundum animam & corpus*, et poſuiſti ſuper me, *protegendo*, manum tuam *conſervantem me.*

Mirabilis, *immò incomprehenſibilis*, facta eſt ſcientia *& providentia* tua *divina* ex me, * *quia ſupergreditur intellectum meum*: confortata eſt *& exaltata*, et non potero *inveſtigando pervenire* ad eam.

Quò *ergo* ibo à ſpiritu tuo * *& præſentia majeſtatis tuæ*? et quò à facie tua fugiam, *qui ubique totus es & præſens*?

Si aſcendero in cœlum, tu illic es* *per refulgentiam tuæ gloriæ* : ſi deſcendero in infernum, ades *per executionem juſtitiæ tuæ*. [*Amos* 9. 2.]

Si ſumſero *ad volandum* pennas meas, *inſtar aviculæ*, *in* diluculo* *&* *aurora*; et habitavero *remotus* in extremis maris, *ubi nemo vivit hominum*:

Etenim illic manus *&* *poteſtas* tua *divina* deducet me, * *ne aberrem*; et tenebit me, *aliter in nihilum deciderem*, dextera *&* *potentia* tua.

Et dixi, *mecum deliberans*: Forſitan tenebræ *hujus ſæculi*, *&* *mala ſcandala*, *&* *turbæ tentationum* conculcabunt me, * *adeò ut* et nox *ſit* illuminatio mea *&* *conſolatio* in deliciis meis *terrenis*, *quia illis liberè* *&* *audacter fruar in tenebris*.

Quia tenebræ, *quæ ſunt peccata* *&* *homines mali*, non obſcurabuntur à te (*quia nihil in eis exſiſtens latet te*), et nox *adverſitatis* ſicut dies *proſperitatis* illuminabitur * *à te* (*quod ſit, ſi cognoſcamus merito peccatorum noſtrorum adverſitates pati*) : *&*, ſicut tenebræ

ejus

ejus *noctis*, *quæ ſunt adverſa*, ita *indifferenter* et lumen ejus, *quæ ſunt proſpera mundi*, *ſunt mihi accepta*; *adeò ut nec frangar adverſis*, *nec læter proſperis.*

Quia tu, *Domine*, poſſediſti *in poteſtate habens* renes & *interiores* meos * *affectus*: ſuſcepiſti me *educendo tamquam electum* de utero matris meæ, *ut non delectet me nox ſeu proſperitas temporalium*, *ſed interior lux ſapientiæ.*

Confitebor tibi & *laudabo*, quia terribiliter magnificatus es * *in potentia & virtute*; & mirabilia *ſunt omnia* opera tua *divina creationis*, *juſtificationis*, & *glorificationis*; et anima mea, *jam fide per te illuminata*, cognoſcit nimis. *Quod ex me non poteram*, *jam poſſum*: *quia gratia tua illuminavit tenebras meas.*

Non eſt occultatum *neque abſconditum* os meum *ſeu oſsium robora*, *quæ ſunt firmitas animæ meæ*, à te, *Domine*; quod feciſti in occulto, * *quia illic homines non vident*: et ſubſtantia mea *corporis gemit* in inferioribus terræ, *in hac peregrinatione*, *ubi afflicta tribu-*

lationibus & tentationibus fatigatur.

Imperfectum meum *quod habeo* viderunt oculi tui *gratiæ & misericordiæ*, et in libro tuo *atque divina memoria* omnes *imperfectiones meæ* scribentur : * *&* dies formabuntur, *quia, de filiis noctis, filii lucis efficientur* : et *tamen* nemo *remansit* in eis *qui non erraret.*

Mihi autem *& à me* nimis *excellenter* honorificati *atque honorabiles facti* sunt amici tui, Deus, * *qui providentiæ tuæ leges amant & credunt* : nimis *firmiter* confortatus est *& stabilitus* principatus eorum, *quia facti sunt principes, duces, atque pastores Ecclesiæ.*

Dinumerabo *facile* eos *fideles*, et *tandem* super arenam *maris* multiplicabuntur * *ac crescent* : exsurrexi *atque emersi ex multis & gravibus angustiis*; et adhuc sum tecum, *quia protectorem propitium non desero.*

Si *quando* occideris *atque damnaveris*, Deus, *perfidos* peccatores * *obstinatos*; *tunc dicam* : Viri sanguinum *& persecutores piorum*, declinate à me, *ne vobiscum occidar à Deo.*

Quia

Quia dicitis in cogitatione * *veſtra, deridendo pios*: Accipient *ipſi & facient* in vanitate *ac fruſtrà* civitates tuas *atque conventicula.* (*Iſtæ civitates ſunt ſanctorum ſocietates, quas derident reprobi.*)

Nonne qui oderunt te, Domine, *perſequentes veritatem*, oderam? * et *ego nonne* ſuper inimicos tuos, *quos videram præterire legem tuam*, tabeſcebam, *iratus contra eos ex zelo tuæ juſtitiæ*?

Perfecto odio & *juſto* oderam illos * *impios, contemtores tui & veritatis*: et *exinde* inimici facti ſunt mihi, *odio iniquo perſequentes me propter juſtitiam.*

Proba me, Deus, *atque ſcrutare* et ſcito cor meum, * *atque eſto teſtis conſcientiæ meæ*: interroga me *per opera*, et cognoſce ſemitas meas: *quia factis malorum non conſentio, nec ea diligo.*

Et vide ſi via iniquitatis *ſeu impietatis* in me eſt, * *ſive delectando, ſive conſentiendo*: et deduc me in via *ſeu beatitudine* æterna, *quam electis promiſiſti.*

ORATIO.

Deus meus, qui creasti me secundum animam & corpus, & cognovisti me; atque actus, studia, atque cogitationes meas investigasti, adeò ut à præsentia majestatis tuæ nusquam effugere possim: deprecor ut, directus in via æterna, illo defendar brachio quo honorabiles amici tui gloriantur in cœlo. Amen.

PSALMUS CXXXIX. [*sec. Heb.CXL.*]

In finem *& in Christum nos dirigens* Psalmus *iste est* David *Prophetæ, & cujuslibet justi.*

ERipe *& libera* me, Domine *Deus*, ab homine malo * *ac perverso, qui persequitur me*: *&* à viro iniquo *atque impio* eripe me, *ne mihi noceat.*

Qui *mali & iniqui* cogitaverunt *contra me* iniquitates in corde, * *estò labiis plerumque prætendant bona*; *&* tota die *sine intermissione* constituebant *contra verbum Dei* prælia, *schismata, & hæreses.*

Acuerunt linguas suas, *ut pugnando læderent*, sicut serpentis * *qui per lin-*

linguam virus emittit: venenum aspidum, *quod est insanabile*, *latet* sub labiis eorum, *quod sub specie boni suggerunt pessima & animæ mortifera.* [*supr.* 13. 3. *Rom.* 3. 13.]

Custodi me, Domine *Deus*, de manu *& potestate* peccatoris * *impii*, *ne prævaleat*: et ab hominibus iniquis *ad nocendum paratis* eripe me, *ne prævaleant aut noceant.*

Qui cogitaverunt *omni studio* supplantare, *retrahere*, *& decipere* gressus meos * *quibus ambulabam in via Domini*: absconderunt superbi, *de se præsumentes*, laqueum *insidiarum* mihi, *ut in erroribus & peccatis me involverent.*

Et funes, *peccata eorum propria*, extenderunt in laqueum, * *ut me illicerent ad perpetrandum similia peccata*: juxta iter, *instar latronum*, scandalum *seu offendiculum* posuerunt mihi, *præbentes occasionem ruinæ.*

Dixi Domino, *sic periclitatus*: Deus meus es tu, * *in quo solo confido*: exaudi *ergo*, Domine *Deus*, *exaudi* vocem deprecationis meæ, *ne à via recta recedam, & in laqueum cadam.*

Domine, Domine, *fortitudo & virtus* salutis meæ, * *cujus solius virtute salvari potero*: obumbrasti, *per gratiam*, super caput meum, *ad protectionem*, in die belli *contra diabolum, carnem, & mundum, ne mihi prævalerent.*

Ne tradas me *neque permittas me tradi*, Domine Deus, à desiderio meo *& concupiscentia mea*, *homini* peccatori * *vel diabolo, ut ei consentiam & desiderium meum perficiam*: cogitaverunt *inimici* contra me, *ut possint nocere*: ne *ergo*, *subtrahendo gratiam*, derelinquas me *in manibus eorum*; ne fortè *de me victo* exaltentur, *triumphent*, *& gaudeant.*

Caput *est* circuitus eorum, * *quia impii in circuitu ambulant, & numquam ad rectum finem perveniunt*: labor labiorum ipsorum, *qui labor sunt mendacia quæ cum labore fingunt per verba deceptoria & dolosa*, operiet *& involvet* eos *morte æterna.*

Cadent super eos *impios* carbones *gehennæ*, *&* in ignem *æternum* dejicies eos: * *&* in miseriis *suis* non subsistent,

ſtent, *quia importabilis illa eſt pœna atque graviſsima.*

Vir linguoſus, *mendax, detractor,* non dirigetur *ad viam rectam, nec proficiet* in terra, * *quoad vixerit*: virum injuſtum, *doloſum, & injurioſum* mala *inferni* capient in interitu *& morte ſua.*

Cognovi quia faciet *tandem* Dominus *Deus* judicium inopis, * *oppreſsi, & afflicti,* et vindictam *vel cauſam* pauperum *ſpiritu*; *non relinquens eorum injuriam impunitam, immò perdens oppreſſores eorum.*

Verumtamen juſti, *jam liberati & vindicati de ſuis inimicis,* confitebuntur *laudando & gratias agendo* nomini tuo * *divino*: et habitabunt recti *corde in æternum* cum vultu tuo, *perfruentes viſione divina.*

ORATIO.

Virtus ſalutis noſtræ, Deus, ne derelinquas nos in deſideriis noſtris, neque permittas ut in concupiſcentiis noſtris conſentiamus Satanæ ſuggeſtori: ſed cuſtodi, libera, & eripe de manu diaboli animas noſtras; ut tandem, confitentes nomini tuo, perfrui mereamur viſione divina in cœlis. Amen.

PSAL-

PSALMUS CXL. [*sec. Hebr.* CXLI.]

Psalmus *ipsius* David *Prophetæ. Oratio justi contra mala hujus sæculi.*

DOmine, clamavi *jamdiu* ad te, *corde & ore deprecando: & ideo* exaudi me, * *qui imbecillitati meæ solus potes succurrere* : intende voci meæ *cum benignitate*, cùm clamavero ad te *in necessitate mea.*

Dirigatur oratio mea, *igne caritatis ardens*, sicut incensum *thuris quod offerebatur* in conspectu tuo * *in veteri lege* : & elevatio manuum mearum *atque operatio mea bona placeat tibi* ; *ut* sacrificium vespertinum, *quando in veteri lege occidebatur agnus, quod erat figura veri sacrificii, scilicet passionis Christi.*

Pone, Domine, *& sepias circumquaque* custodiam ori meo, * *ne effluat in verba mala & noxia* ; et ostium circumstantiæ, *continentiæ, non ruinæ, in* labiis meis; *ut non nisi opportunè aperiatur vel claudatur, & moderatè loquatur.*

Non

Non declines *neque ſinas declinare* cor meum in verba malitiæ ; * *ne inſolenter loquatur , & pertinaciter defendam peccata mea*, ad excuſandas *& defendendas* excuſationes *quæ fiunt* in peccatis , *tribuendo id fatis aut naturæ.*

Cum hominibus *impiis* operantibus iniquitatem * *nolim aſsimilari* : et non communicabo , *ut per eorum conſortium excuſem peccata mea* , cum electis *& potentioribus atque majoribus* eorum *iniquorum.*

Corripiet me juſtus *vir* in miſericordia *& zelo amoris* ; et increpabit me , * *non in furore , ſed in caritate* : oleum autem peccatoris *& falſa laus adulatoris* non impinguet *neque demulcebit aut delectabit* caput meum , *ut pertrahat ad peccati conſenſum.*

Quoniam adhuc *futurum exſpecto quod* et oratio mea , *qua oro Deum ut convertantur* , *erit* in beneplacitis eorum * (*quia placebit illis oratio mea, cùm incipient timere judicium Dei*) : abſorpti ſunt , *fracti ſeu victi* , juncti *& comparati* petræ *Chriſto* (*qui ſtultam fecit ſapientiam hujus mundi*),

ju-

judices *potentes & docti* eorum.

Audient *ergo ſuperbi* verba mea *ad ſuam correctionem*;quoniam potuerunt * *& prævaluerunt verbis eorum* , ſicut craſsitudo *ſeu pinguedo* terræ *latens* erupta eſt *ſurſum & diſperſa* ſuper terram.

Diſsipata ſunt *& diſſoluta* , *ex tribulationum vehementia* , oſſa noſtra *interiora & fortiora mentis noſtræ* ſecus *& prope* infernum , * *tamquam ſi eſſemus in procinctu intrandi infernum* : quia ad te , Domine , Domine , *qui es ſpes & fortitudo mea* , *ſunt* oculi mei *directi tamquam ad adjutorem* : in te ſperavi, *& non in alio* : *ideo* non auferas *à te*, *per culpam* , animam meam.

Cuſtodi me *& præſerva me* à laqueo *& occultis inſidiis* , quem ſtatuerunt mihi * *qui me perſecuti ſunt* ; et à ſcandalis *illorum* operantium iniquitatem, *præbentibus alteri occaſionem ruinæ in dictis vel factis ſuis*.

Cadent in retiaculo ejus *iniquitatis* peccatores , * *de vitio in vitium ruentes*: ſingulariter ſum ego *eorum conſortia effugiens* , donec tranſeam *de præſenti*

vita

vita ad requiem beatorum.

ORATIO.

Pone, Domine, cuſtodiam ori noſtro, ne effluamus in verba noxia & ſcandaloſa, ne quoque prorumpamus in verba malitiæ ad excuſandas excuſationes in peccatis: ſed cuſtodi nos à laqueo Satanæ; ne, de vitio in vitium ruentes, cadamus in retiaculo ejus. Per Chriſtum &c.

PSALMUS CXLI. [*ſec. Hebr.* CXLII.]

Intellectus *& oratio* David *Prophetæ,* cùm eſſet in ſpelunca *fugiens Saulem.* Oratio *juſti in magna afflictione poſiti, pro ſua liberatione ab omni malo.*

VOce mea ad Dominum clamavi,* *deſtitutus omni humano præſidio*: voce mea *& oratione cordis* ad Dominum deprecatus ſum, *pro depulſione tribulationum.*

Effundo *copioſe* in conſpectu ejus orationem meam * *cum lacrimis*, et tribulationem meam *ac cordis amaritudinem* ante ipſum *intus in conſcientia* pronuntio, *ad impetrandum conſolationem.*

In

In deficiendo ex me spiritum meum, * *seu dum deficit à me spiritus meus præ angustiis*: et tu, *Domine*, cognovisti *&* *approbasti* semitas meas *justitiæ*.

In via hac *fidei & legis Christi*, qua ambulabam * *innocenter vivendo*, absconderunt *adversarii* laqueum mihi, *sub specie boni ad peccatum me inducentes*.

Considerabam ad dexteram, *ad amicos & auxiliatores meos*, et videbam * *illos*:et non erat *aliquis* qui cognosceret me, *quia nemo fatebatur se mihi amicum*.

Periit fuga à me, * *quia non video quò possim fugere*: et non est *aliquis* qui requirat *& tueatur* animam meam, *& de me curare dignetur*.

Clamavi ad te, Domine, * *anxietatibus pressus*. Dixi: Tu es *sola* spes mea, *& nulla creatura*: portio *& hereditas* mea *quam exspecto non est hìc, sed* in terra viventium *& cœlesti patria*.

Intende ad deprecationem meam, * *Domine*, quia humiliatus *& afflictus* sum

ſum nimis, *atque abjectus à perſecutoribus.*

Libera me, *attenuatum ſpiritu & rebus*, à perſequentibus me * *inimicis meis*: quia confortati ſunt *& invaluerunt* ſuper me, *adeò ut non poſſim reſiſtere.*

Educ de cuſtodia *& corpore mortis hujus* animam meam, *& de ergaſtulo calamitatum mundi*, ad confitendum nomini tuo, * *& celebrandum beneficia gratiæ & benignitatis tuæ*: *quia* me expectant juſti *in cœlis*, donec retribuas mihi *præmium gloriæ cum ipſis.*

ORATIO.

Deprecantes, Domine, voce humili, majeſtatem tuam expoſcimus, & orationes noſtras in tribulatione pronuntiamus, qui cognoviſti ſemitas noſtras; ut liberes nos à perſequentibus inimicis noſtris, atque, adjuti à te unica ſpe noſtra, portionem cum electis tuis in terra viventium ſortiamur.

PSALMUS CXLII. [*ſec. Hebr.* CXLIII.]

Pſalmus *iſte eſt* David *Prophetæ*; quando perſequebatur eum filius ſuus Ab-

Abſalom : *& loquitur Propheta in perſona cujuslibet pœnitentis.*

DOmine *Deus*, exaudi orationem meam, *quam fundo pro bonis impetrandis*: auribus *tuæ clementiæ* percipe obſecrationem meam, *pro amovendis noxiis* : in veritate tua, * *qua pœnitentibus veniam promiſiſti*, exaudi me, *non in propria*, *ſed* in tua juſtitia *confidentem.*

Et non intres, *altercando judicialiter*, in judicium *diſtrictum* cum ſervo tuo * *pœnitente* : quia non juſtificabitur *neque ſalvabitur*, in conſpectu tuo *& coram te*, omnis vivens *homo in carne mortali.*

Quia perſecutus eſt *ſuis inſidiis* inimicus *diabolus* animam meam, * *ut eam ſeparet à juſtitia tua* : humiliavit *atque dejecit* in terra *ac terrenis actionibus* vitam meam *miſeram.*

Collocavit *& deputavit* me *inimicus* in obſcuris *& tenebris peccatorum*, ſicut mortuos ſæculi, * *ceteroſque deſperatos in peccatis morientes* ; et anxiatus eſt ſuper me, *præ dolore culpæ commiſ-*

ſa,

ſæ, ſpiritus meus, *ingemiſcens pro peccatis*: in me turbatum eſt, *propter multiplicem tentationem*, cor meum *&* *ſpiritus meus.*

Memor fui *& ero* dierum antiquorum *in peccatis præteritorum*: meditatus ſum in omnibus operibus tuis, * *in quibus ſemper juſtitia concurrit & miſericordia*: & in factis manuum *atque virtutum* tuarum meditabar *te mirabilem conditorem.*

Expandi *in oratione* manus meas *in modum crucis* ad te, * *tamquam ad ſalutis largitorem*: anima mea, *ſine gratia tua*, *eſt* ſicut terra *arida* ſine aqua tibi, *ut eam irriges.*

Velociter *miſerando* exaudi me, Domine, * *dando rorem gratiæ*: *quia* defecit *in devotione* ſpiritus meus, *à te derelictus.*

Non avertas *tamquam offenſus* faciem tuam *miſericordiæ* à me * *pœnitente*, *differendo donum gratiæ*: *alioqui* et ſimilis ero deſcendentibus *in profundum peccatorum*, *&* in lacum *inferni.*

Auditam *& cognitam* fac mihi ma-

ne, *citò & ſine mora*, miſericordiam tuam, * *ut eam citò experiar*: quia in te *ſolo* ſperavi, *& non in virtute propria.*

Notam fac mihi viam *ſalutis*, in qua ambulem * *itinere recto ad patriam*: quia ad te *fontem gratiæ* levavi, *omni vanitate expulſa*, animam *& confidentiam* meam.

Eripe me *pœnitentem* de inimicis meis *viſibilibus & inviſibilibus*, Domine, *quia* ad te confugi * *ceu ad meum protectorem*: doce me, *ignarum*, facere voluntatem tuam, *& non meam*: quia Deus meus es tu, *qui me creaſti & redemiſti.*

Spiritus *Sanctus* tuus bonus *adjuvando* deducet me, *per ſemitam virtutum*, in terram rectam * *viventium*: propter nomen tuum, Domine, *quod* JESUS *eſt*, vivificabis me *vitâ gratiæ & gloriæ* in æquitate tua, *& magnitudine bonitatis tuæ.*

Educes de tribulatione *hujus ſæculi, quaſi de carcere*, animam meam * *ſperantem in te*: et in miſericordia tua, *non in merito meo*, diſperdes, *ne præ-*

va-

valeant, *omnes* inimicos meos.

Et, *in futuro judicio*, perdes *in gehennam* omnes qui tribulant *&* *affligunt injuriis & molestiis* animam meam * *tibi devotam*: quoniam ego servus tuus sum, *tuo mancipatus imperio*.

ORATIO.

Non avertas, Domine, tamquam offensus, faciem tuam misericordiæ à nobis pœnitentibus, differendo donum gratiæ; sed sine mora largiri digneris misericordiam tuam: quia in te solo speravimus, & ad te fontem gratiæ levavimus animas nostras. Agnoscamus ergo, per te, viam salutis, in qua ambulemus itinere recto ad patriam cœlestem propter nomen tuum, quod JESUS est. Amen.

PSALMUS CXLIII. [*sec.Hebr.* CXLIV.]

Psalmus *ipsius* David, *dum pugnavit* adversus Goliath. *Bellum viri justi contra diabolum.*

BEnedictus *sit* Dominus, Deus meus, *robur & fortitudo mea*, qui docet manus *& operationes* meas ad prælium * *contra vitia*, et digitos

meos *diſponere* ad bellum *per ſalutaria conſilia.*

Miſericordia mea *in beneficiis conferendis*, et refugium meum * *in adverſis*, ſuſceptor meus *& defenſor ne cadam*, et liberator meus *in periculis es tu*, Domine.

Protector meus *ab inſidiis*, et *ideo* in ipſo ſperavi * *in omnibus laboribus & præliis*: qui ſubdit populum meum *& deſideria mea prava* ſub me, *ut ratio dominetur eis.*

Domine, quid eſt homo *niſi pulvis? & tamen tanti æſtimas eum*, quia innotuiſti ei * *per aſſumtam humanitatem*: aut filius hominis *Adæ quid eſt*, quia reputas eum *tanti pretii*, *ut pro eo filium tuum unigenitum dares?*

Homo vanitati *atque rei evaneſcenti atque tranſitoriæ* ſimilis factus eſt: * *quia, ut fumus evaneſcit, ita homo tabeſcit*: dies ejus *vitæ momentaneæ*, ſicut umbra, *quæ ſubito diſparet*, prætereunt, *propter ejus fragilitatem.* [*Job* 8. 9. & 14. 2.]

Domine Deus, inclina cœlos tuos *& altitudinem majeſtatis tuæ*, et deſcen-

ſcende * *noſtræ humanitatis formam ſumendo*: tange, *per gratiam tuam*, montes *& ſuperbos hujus ſæculi*, et fumigabunt *atque lacrimas emittent*.

Fulgura coruſcationem, *atque terroribus potentiæ tuæ eos aggredere*; et *ſic* diſsipabis eos * *ab invicem*: emitte *contra eos* ſagittas tuas *& verba ſacræ Scripturæ, quæ corda hominum transfigunt*; et conturbabis eos, *ut reſipiſcant ad pœnitentiam ſalutarem*.

Emitte manum *& poteſtatem* tuam *divinam* de alto *cœlorum habitaculo*: eripe me *de poteſtate diaboli*, et libera me de aquis multis * *& inundatione malorum*, *&* de manu *ſeu poteſtate* filiorum alienorum, *qui ex patre diabolo nati ſunt*.

Quorum os locutum eſt vanitatem, * *promittentes in temporalibus beatitudinem*: et dextera *atque operatio* eorum *eſt* dextera iniquitatis, *quia omnia agunt ſub hypocriſi & falſitate*.

Deus *meus*, canticum novum *Novi Teſtamenti* cantabo tibi * *de nova gratia*: in pſalterio decachordo *atque in obſervatione decem præceptorum legis*

 pſal-

psallam tibi, *ea observando.*

Qui das salutem *animarum* regibus * *& hominibus bene se regentibus*; qui redemisti David servum tuum *de tot persecutoribus inimicis, & peccatis*; de gladio maligno *atque maligni spiritus tentatione* eripe me.

Et erue me de manu *ac potestate* filiorum alienorum, *qui non sunt de familia filiorum Dei*, quorum os locutum est vanitatem * *atque mendacium ad bonorum deceptionem*; et dextera eorum *est* dextera iniquitatis, *semper extensa ad operandum iniquitatem.*

Quorum filii *formosi sunt & fortes*, sicut novellæ plantationes * *arborum*, in juventute sua *florentes, quando est major gratia.*

Filiæ eorum *sunt bene* compositæ, * *ut arte juvent speciem*: circumornatæ *auro, gemmis, serico*, ut similitudo templi, *& sicut imagines depictæ in templo.*

Promtuaria *& cellaria* eorum *sunt* plena * *grano, vino, & oleo*; eructantia *& transfundentia* ex hoc *vase* in illud, *propter nimiam copiam.*

Oves

Oves eorum *ſunt* fœtoſæ *& valde fecundæ*, abundantes *partubus*, *lacte*, *& lana*, in egreſsibus ſuis, * *quando exeunt de ovili* : boves eorum *ſunt* craſſæ, *fortes*, *& pingues*.

Non eſt ruina *neque confractio* macceriæ, *ſeu parietis quæ de ſolis ſaxis ſine cæmento fit* ; neque tranſitus * *adverſariorum*, neque clamor *aut tumultus eſt* in plateis eorum, *ſed omnia ſecura ſunt & proſpera*.

Beatum *& felicem* dixerunt *homines mundani* populum cui hæc *ſuperiora* ſunt * *ſeu contingunt. Sed non eſt verum : quin magis* beatus populus *ſolus* cujus Dominus *principalis eſt* Deus ejus, *qui Dominum Deum agnoſcunt, credunt, & colunt.*

ORATIO.

Miſericordia noſtra, ac refugium noſtrum, ſuſceptor, liberator, ac protector noſter in omnibus periculis, tentationibus, & anxietatibus noſtris; qui inclinaſti cœlos tuos, & deſcendiſti pro ſalute noſtra, humanitatis formam ſuſcipiens : doce nos peccatis reſiſtere cum ſpiritualibus armis; ne, vanitati mundanæ ſubjecti, à dominatione cœleſti pellamur. Amen.

PSALMUS CXLIV. [*sec. Hebr.* CXLV.]

Laudatio *fit* ipſi David, *hoc eſt Chriſto, qui de ſemine David natus eſt.*

EXaltabo te, *prædicando aliis dignitatem tuam*, Deus meus, *creator*, rex, * *& Dominus*: et benedicam nomini tuo (*quidquid enim boni faciam, gratiæ tuæ adſcribam*) in ſæculum *hoc præſens*, et in ſæculum ſæculi, *in æternum.*

Per ſingulos dies *ſine intermiſsione* benedicam tibi, * *& memoriam habebo beneficiorum tuorum*, et laudabo nomen tuum, *non meritum meum nec me*, in ſæculum *hoc* et in ſæculum ſæculi, *in æternum & ultrà.*

Magnus *eſt* Dominus *eſſentia, poteſtate, ac ſapientia*: et *ideo eſt* laudabilis nimis, * *quia optimus, maximus*: et magnitudinis ejus *excellentiæ* non eſt finis, *quia infinita eſt & imperſcrutabilis.*

Generatio *præſens* et generatio *futura* laudabit opera *atque magnalia* tua * *divina*: et potentiam tuam, *atque mirabilia quæ feciſti*, pronuntiabunt *filiis & poſteris.*

Magnificentiam *excellentissimam* gloriæ, *majestatis*, *&* sanctitatis tuæ *divinæ* loquentur * *palam* : et mirabilia tua, *quæ supra naturam operaris*, narrabunt, *provocando alios ad tuam laudem.*

Et virtutem terribilium *judiciorum* tuorum *de malorum punitione* dicent, * *neque tacebunt* : et magnitudinem tuam *in electione justorum* narrabunt.

Memoriam abundantiæ *multæ* suavitatis *&* *bonitatis* tuæ *in beneficiis creationis, recreationis, gubernationis, & glorificationis* eructabunt * *de corde devoto* : et justitiâ tuâ, *non suâ* ; exultabunt, *intelligentes se per gratiam tuam justificatos.*

Miserator *effectu*, et misericors *naturâ*, *est* Dominus * *Deus* : patiens *est*, *tolerando peccatores ut convertantur* ; et multum misericors, *peccata dimittendo, & dona cumulando.*

Suavis, *mitis*, *pius*, *benevolus*, *& placabilis est* Dominus *Deus* universis * *creaturis* ; et miserationes ejus *sunt* super omnia opera ejus : *quia solem oriri facit super bonos & malos, & pluit*

su-

ſuper juſtos & injuſtos.

Confiteantur tibi, Domine, *in gratiarum actione*, omnia opera tua * *à te creata, magnificando providentiam, potentiam, & bonitatem tuam*: et ſancti tui, *per te juſtificati*, benedicant tibi, *divinas laudes celebrando.*

Gloriam *ineffabilem atque deſiderabilem* regni tui *cœleſtis* dicent * *& prædicabunt*: et potentiam tuam, *qua creaſti & ordinas omnia*, loquentur, *ut ſoli tibi ſit honor & gloria.*

Ut notam faciant *& doceant* filiis hominum *fragilibus & carnalibus* potentiam tuam, * *qua vindicabis in malos*; et gloriam magnificentiæ *decoris ac majeſtatis* regni tui *cœleſtis, qua coronabis bonos: ut ſic, quidam timore pœnæ, quidam ſpe gloriæ, convertantur.*

Regnum tuum *cœleſte eſt* regnum omnium ſæculorum, * *durans in æternum per infinita ſæcula*: et dominatio *ſeu poteſtas* tua *divina eſt* in omni generatione *hac*, et *in omnem* generationem *immortalem.*

Fidelis *eſt* Dominus *Deus* in omnibus

bus verbis suis, * *implens quod promisit*; et sanctus *est atque irreprehensibilis* in omnibus operibus suis: *nihil enim ab eo fit injustè vel inordinatè.*

(*Hic versus non est in Hebræo.*)

Allevat Dominus *Deus*, *ne mergantur in æterna ruina*, omnes qui corruunt * *in peccatum*, *desiderantes sustentari*: et erigit omnes elisos, *jam lapsos in peccatum*, *si pœnitere velint.*

Oculi omnium *justorum* in te sperant, Domine, * *spe formata caritate*: et tu das escam illorum *corporalem ac spiritualem* in tempore opportuno, *quando expedit.*

Aperis tu, *per bonitatis tuæ diffusionem*, manum tuam; * *largè dispensando beneficia tua*; et imples omne animal *rationale* benedictione *liberalitatis tuæ.*

Justus *est* Dominus *Deus* in omnibus viis, *dispositionibus & voluntatibus* suis, * *cùm sit regula justitiæ ac veritatis*: et sanctus in omnibus operibus suis, *largiter creaturis communicans bonitatem suam.*

Prope *ac propitius* est Dominus, *qui* *ubi-*

ubique eſt, omnibus invocantibus eum: * *exorabilis (inquam) ad manum eſt* omnibus invocantibus eum, *non ficte, frigide, & de terrenis; ſed* in veritate, *pia intentione, & cauſa ſalutis animæ.*

Voluntatem *bonam* timentium ſe *timore filiali, qui eſt annexus caritati,* faciet * *& complebit Dominus*; et deprecationem eorum exaudiet, *ſi ſit pia, ſalutaris, ac perſeverans*; et ſalvos faciet eos *æterna ſalute, in noviſsimis.*

Cuſtodit *nunc* Dominus, *inter tentationes & tribulationes, inter preſſuras & anguſtias*, omnes diligentes ſe, * *qui dilectionem Dei mundanis dilectionibus prætulerunt*: et omnes peccatores *obſtinatos, pœnitere negligentes*, diſperdet *in ignem æternum.*

Laudationem Domini *evidenter* loquetur os meum, * *prædicando, cantando, celebrando*: et benedicat, *meo exemplo*, omnis caro *ſeu creatura humana* nomini ſancto ejus, *ipſum extollendo ac glorificando*, in ſæculum *præſens* et in ſæculum ſæculi, *æternaliter ſine fine.*

ORA-

ORATIO.

Exaltamus, Domine, celebramus, atque benedicimus potentiam, magnificentiam, ſanctitatem, virtutes terribilium, abundantiam bonitatis, & juſtitiam tuam; qui ſuavis es, miſerator, & miſericors; cujus miſerationes ſuper omnia opera tua. Alleva nos corruentes in peccatis, atque imple benedictione ſuperna, ut tandem gloria magnificentiæ regni tui cœleſtis perfrui mereamur. Amen.

PSALMUS CXLV. [*ſec. Hebr.* CXLVI.]

Alleluja, Aggæi et Zachariæ.

LAuda *& exalta*, anima mea, *affectu interno* Dominum, *creatorem tuum.* Laudabo Dominum *Deum* in vita mea * *bene vivendo*, *&* pſallam Deo meo *bene operando*, quamdiu fuero *in hac vita.*

Nolite confidere *ſeu ſpem ponere* in principibus, * *regibus, præfectis, aut judicibus hujus ſæculi*; *neque* in filiis hominum, *qui ſuadent amare temporalia:* in quibus *& in quorum poteſtate* non eſt ſalus, *quia nec alios nec ſe ipſos*

ſal-

ſalvare poſſunt.

Exibit *de corpore* ſpiritus *& anima* ejus *hominis*; et, *exeunte ſpiritu*, revertetur *caro vel corpus ejus hominis* in terram ſuam, * *de qua ſumta eſt*: *&* in illa die *mortis* peribunt *& fruſtrabuntur* omnes cogitationes *& præſumtiones* eorum, *quæ in vanitate habebant.*

Beatus *eſt vir ille* cujus, *non homo*, *ſed* Deus, *quem coluit* Jacob *Patriarcha*, *eſt* adjutor *& auxiliator* ejus, *&* ſpes ejus *eſt* in Domino Deo ipſius, * *non in principibus*, *non in divitiis hujus ſæculi*: qui *Deus* fecit cœlum et terram, mare et omnia quæ in eis ſunt; *& ſic poteſt ubique ſalvare, quia poteſtas ejus ubique eſt.* [*Actuum* 14. 14. *Apoc.*14. 7.]

Qui cuſtodit veritatem, *ſervans quæ nobis promiſit*, in ſæculum, *in æternum*; facit judicium *juſtum* injuriam *& calumniam* patientibus, * *vindicando eos de injuriantibus*; *&* dat eſcam *mentis & ventris*, *non ſaturis*, *ſed* eſurientibus *atque famelicis*, *deſiderantibus.*

Dominus ſolvit, *per ſuam gratiam*, com-

compeditos, * *peccatorum vinculis adstrictos*: Dominus *Deus* illuminat cæcos, *qui tenebris ignorantiæ & peccatorum involvebantur.*

Dominus erigit *in viam justitiæ* elisos * *atque prostratos à diabolo in peccatis*: Dominus diligit justos, *tamquam sua membra.*

Dominus custodit *hujus sæculi* advenas *seu peregrinos, qui futuram patriam inquirunt*: pupillum et viduam, *humano destitutos auxilio*, suscipiet * *in suam curam*; et vias *latas* peccatorum *in deliciis hujus sæculi* disperdet *in gehennam.*

Regnabit Dominus, *quem vereris*, in sæcula, *cujus regni non erit finis*; Deus *in quem credis*, tuus *quem diligis*, ò Sion, * *Ecclesia catholica vel anima fidelis*; in generationem *istam* et generationem *futuram.*

ORATIO.

Omnipotens Deus, adjutor, protector, & unica spes nostra; qui fecisti cœlum & terram, mare & omnia quæ in eis sunt: solve nos compeditos peccatorum vinculis, & dirige in viam justitiæ prostratos in

pec-

peccatis, atque illumina, per tuam gratiam, cæcos qui peccatorum tenebris involvimur; ut, ſic illuminati, valeamus te pura mente diligere. Amen.

PSALMUS CXLVI. [*ſec.Heb.CXLVII.*]

Alleluja, *laudate Dominum.*

LAudate Dominum *Deum*, quoniam bonus eſt Pſalmus * *ad gloriam & honorem majeſtatis ejus*: Deo noſtro *vero* ſit jucunda *ex devotione*, decóraque *atque ſpecioſa ex puritate conſcientiæ*, laudatio.

Ædificans *eſt* Jeruſalem *& Eccleſiam catholicam* Dominus * *Deus*: *quia* diſperſiones Iſraëlis, *populi Chriſtiani videntis Deum per fidem*, congregabit *in una fide, ſpe, & caritate.*

Qui ſanat *à peccatis* contritos corde, * *offerentes Deo ſacrificium ſpiritus contribulati*; et alligat, *reformat & ſanat* contritiones, *dolores & plagas* eorum *vulnerum*, *quas ſauciavit maligni ſpiritus rabies.*

Qui numerat *ſupputando* multitudinem ſtellarum * *quarum creator eſt*

&

& Dominus; et omnibus eis *numeratis* nomina vocat, *adſcribit*, *& deſignat.*

Magnus *& immenſus eſt* Dominus noſter, *quo major eſſe non poteſt*; et magna virtus ejus, * *per quem omnia creata ſunt*: et ſapientiæ ejus non eſt numerus, *quia infinita & incomprehenſibilis.*

Suſcipiens *eſt ad ſuam gratiam* manſuetos Dominus * *humiliter de ſe ſentientes*; humilians autem peccatores, *impios*, *ſuperbos*, uſque ad terram, *ut terrena tantùm ſapiant.*

Præcinite Domino *Deo* in confeſſione * *peccatorum & laudis*: pſallite Deo noſtro in cithara, *corde*, *& ſpiritu*, *confitentes Deo bonitatem ſuam.*

Qui operit cœlum *ſeu firmamentum* nubibus * *condenſis*; et *inde* parat terræ pluviam, *ut fecundentur naſcentia.*

Qui producit in montibus fœnum * *ad pabulum jumentorum*, et herbam *virentem* ſervituti *ſeu ſanitati* hominum.

Qui *etiam* dat jumentis *& pecoribus* eſcam ipſorum * *naturalem*; et

rorem cœli ad nutrimentum pullis corvorum, invocantibus eum *quia destituuntur à suis sine nutrimento antequam nigrescant.*

Non in fortitudine equi, *quod est cervicosum & superbum animal*, voluntatem *bonam* habebit * *Deus, immò spernet potius*: nec in tibiis *seu pedibus* viri *præsumtuosi & audacis* beneplacitum erit ei, *quia non delectabitur in confidentibus de suis meritis.*

Beneplacitum est Domino *Deo* super timentes eum * *timore casto*, *quia hi non confidunt in virtute sua*, *sed divina*; et in eis *justis* qui sperant super misericordia, *gratia & benignitate* ejus, *non in sua justitia.*

ORATIO.

Ædificator cœlestis Jerusalem, Deus magnus, Dominus noster, cujus sapientia infinita est & incomprehensibilis: sana contritos corde, atque reforma plagas vulnerum animæ nostræ, quas sauciavit maligni spiritus rabies; & suscipe mansuetos atque humiliter de se sentientes, qui non in viribus nostris, neque in justitia nostra,

ſed in ſola miſericordia & gratia tua confidimus. Amen.

PSALMUS CXLVII.

Alleluja, Aggæi et Zachariæ *de reparatione cœleſtis Jeruſalem, quam illi prædixerunt, & propterea Deum laudaverunt.*

(*Hic Pſalmus jungitur præcedenti apud Hebræos.*)

LAuda, Jeruſalem *cœleſtis jam ſecura*, Dominum * *tuum*: lauda & *exalta* Deum tuum, Sion, *ſancta Eccleſia, quæ jam ſpecularis Deum in via per fidem.*

Quoniam confortavit & *munivit* ſeras, *vectes & clauſuras* portarum tuarum * *cœleſtium*; & benedixit, *dando bona æterna*, filiis tuis *beatis* in te *exſiſtentibus.*

Qui poſuit fines tuos *perfectam* pacem * (*quidquid enim intus eſt pace fruitur æterna*); et adipe frumenti, *pane videlicet qui de cœlo deſcendit, divinitate Chriſti*, ſatiat te *pleniſsimè.*

Qui emittit eloquium *&* *verbum* ſuum *euangelicum ipſi* terræ * *cognoſcendum*, *&* *per orbem terrarum publicandum*: *unde* velociter currit *per prædicatores* ſermo ejus, *&* *citò implevit mundum Chriſti cognitio.*

Qui *ſermo Chriſti* dat nivem, *peccatorem ſcilicet congelatum*, ſicut lanam * *tractabilem* (*quia peccatores, frigidos per culpam, reddit calidos per gratiam*); *&* nebulam, *quæ eſt caligo peccati*, ſicut cinerem ſpargit *&* *diſsipat in humilitate pœnitentiæ.*

Mittit cryſtallum ſuam, *hoc eſt peccatorem obſtinatum in malitia*, ſicut buccellas, * *tamquam fruſta panis*, *ut incorporentur Eccleſiæ*: ante faciem *&* *præſentiam* frigoris ejus, *vitiorum* *&* *obſtinationis*, quis ſuſtinebit *vel ſubſiſtet*?

Emittet *Deus Pater* Verbum, *filium* ſuum *in carne*; et *tunc verbo euangelicæ prædicationis* liquefaciet *&* *molliet* ea * *obdurata corda peccatorum*, *quæ per nivem*, *nebulam*, *cryſtallum deſignantur*: flabit *in hujuſmodi corda* Spiritus *Sanctus* ejus *per gratiam*,

tiam, et fluent aquæ *lacrimarum in pœnitentia.*

Qui annuntiat Verbum ſuum *incarnatum vel verbum euangelicum ipſi* Jacob * *juniori, populo Chriſtiano qui luctatur contra vitia* : juſtitias et judicia ſua *divina manifeſtavit* Iſraël, *populo fideli videnti Deum per fidem.*

Non fecit taliter omni nationi, * *ſicut electo populo Chriſtiano credenti:* et judicia ſua *veræ æquitatis* non manifeſtavit eis, *immò dimiſit juxta errores viarum ſuarum.*

ORATIO.

Emitte, Domine, verbum tuum euangelicum, ut liquefacias & emollias obdurata corda noſtra frigore vitiorum; ut noſtra peccata purgentur, & efficiantur quaſi nix; ut nebula ignorantiæ expellatur è cordibus noſtris, & Spiritus Sancti gratiâ effluant aquæ lacrimarum in pœnitentia ſalutari. Amen.

PSALMUS CXLVIII.

Alleluja. *Invitantur omnes creaturæ ad laudem Dei, primùm cœleſtes,*

deinde terrestres..

LAudate Dominum *Deum vestrum*, *creaturæ spirituales qui estis* de cœlis, * *habitantes in eis* : laudate eum *qui estis* in excelsis, *Throni*, *Dominationes*, *Cherubim*, *&* *Seraphim*.

Laudate eum, omnes Angeli ejus, * *qui estis nuntii divinæ voluntatis*: laudate eum, omnes virtutes ejus, *&* *exercitus militum angelicorum*.

Laudate eum, sol et luna, * *testantes Dei magnificentiam & decorem*: laudate eum, omnes stellæ *& luminaria minora*, et lumen *quodcumque fulget in cœlo*.

Laudate eum, cœli cœlorum, * *empyreum videlicet, quod est super omnes cœlos* : et aquæ omnes quæ super cœlos sunt (*quod est cœlum crystallinum*) laudent nomen Domini, *& sint nobis materiæ laudandi Deum*. [*Dan.* 3. 59. *&* 60.]

Quia ipse *Dominus* dixit *& voluit*, et facta sunt * *per verbum suum ut voluit* : ipse mandavit *seu præcepit fieri*,

ri, et creata ſunt *omnia de nihilo.*

Statuit ea *cœleſtia permanſura* in æternum et in ſæculum ſæculi * *futurum, quoad ſubſtantiam, licèt mutabuntur quoad qualitates* : præceptum, *conditionem & ordinem* poſuit *eis*, et non præteribit *hoc quin ſic fiat.*

Laudate Dominum *vos, creaturæ qui eſtis* de terra * *& terram incolitis*, dracones *atque omnia genera monſtrorum animalium*, et omnes abyſſi *ſeu profunditates aquarum.*

Ignis *elementaris*; grando, *quæ fit in ſuperiori parte aëris*; nix *in media*, glacies *in inferiori*; ſpiritus procellarum, * *ventus tempeſtatum qui procellas facit in mari*: quæ *omnia* faciunt verbum ejus, *& obediunt præcepto Dei.*

Montes *majores*, et omnes colles * *ſeu montes minores, laudate Dominum*: ligna fructifera *ut ſerviant hominibus*, et omnes cedri *ad gloriam Dei.*

Beſtiæ, *feræ animalia*, et univerſa pecora * *manſueta & domeſtica*, ſerpentes, *reptilia*, et volucres penna-

tæ *per aërem ſe moventia*, *laudent nomen Domini.*

Reges terræ *majores*, *præſidentes*, et omnes populi * *minores*, principes *qui dominantur*, et omnes judices terræ, *laudent nomen Domini.*

Juvenes, et *etiam* virgines, ſenes, *omnis ætas & ſexus*, cum junioribus *atque adoleſcentibus*, laudent nomen Domini * *Dei*: quia exaltatum eſt, *ſuper omne quod eſt*, nomen ejus ſolius, *& gloria divinitatis & bonitatis ejus.*

Confeſsio ejus *& laus Dei*, *qua omnia illi confitentur*, *eſt* ſuper cœlum et terram, * *quia omnia cœleſtia & terreſtria ei obediunt*: et exaltavit cornu, *ſublimitatem*, *dignitatem*, *poteſtatem*, populi ſui *Chriſtiani.*

Hymnus *& laus Dei cum cantico competit* omnibus ſanctis ejus, * *quia ſancti laudabunt eum pro omnibus beneficiis ſuis*: filiis Iſraël, *qui per fidem vident Deum*, populo *ſcilicet* appropinquanti ſibi *fide*, *ſpe*, *& caritate.*

ORATIO.

Deus, cujus majeſtatem laudant cœleſtia, terreſtria, animata, & inanimata; cujus nomen divinum venerantur & adorant omnes creaturæ, tuoque deſerviunt imperio: præſta, quæſumus, hìc hymnum tibi dicere laudis & gratiarum actionis, ut tandem digna modulatione cum ſanctis omnibus tibi canamus in cœlis. Amen.

PSALMUS CXLIX.

Alleluja, *laudate Dominum corde & opere.*

CAntate *vos, fideles, qui regenerati eſtis baptiſmo*, Domino *Deo veſtro* canticum novum * *de myſterio veſtræ redemtionis*: laus ejus *grata eſt illi* in eccleſia ſanctorum *& congregatione fidelium.*

Lætetur Iſraël, *populus Chriſtianus videns Deum per fidem*, in eo qui fecit eum * *in eſſe naturæ & in eſſe gratiæ;* et filii Sion, *quæ ſunt animæ fideles*, exultent in *Chriſto*, rege ſuo *& ſacerdote: quia, ut rex, in cruce vicit diabo-*

bolum; ut ſacerdos, obtulit ſe ipſum in ſacrificium.

Laudent *fideles* nomen ejus in choro * *& unitate fidei ac caritatis:* in tympano, *ubi corium extenditur, hoc eſt mortificatione cordis*; et pſalterio *decachordo cœleſtium præceptorum*, pſallant ei, *ut verbis facta concordent.*

Quia beneplacitum eſt Domino *& beneplacet ſibi Dominus* in populo ſuo * *electo Chriſtiano*; et exaltabit *in judicio* manſuetos *ac humiles, qui jam oppreſſiones pro eo patiuntur*, in ſalutem *æternam.*

Exultabunt *& gratulabuntur* ſancti in gloria * *bonorum operum, &* lætabuntur in cubilibus *& conſcientiis* ſuis: *quia omnis gloria filiæ regis ab intus.*

Exaltationes Dei *erunt* in gutture *vel faucibus* eorum, * *quia nihil reſonare poſſunt quàm quæ pertinent ad gloriam & honorem creatoris ſui*: et gladii ancipites *ex utraque parte ſcindentes, quæ ſunt verba Dei, erunt* in manibus *& poteſtate* eorum;

Ad

Ad faciendam vindictam *& ultionem* in nationibus * *gentium*, *qui blasphemant verbum Dei*; & increpationes, *objurgationes*, *correctiones*, in populis, *qui simpliciter vel ignoranter peccant contra Deum*:

Ad alligandos reges *atque tyrannos* eorum in compedibus * *inferni*, et nobiles eorum, *qui insignes sunt malitia*, in manicis ferreis: *quia*, *ligatis pedibus & manibus*, *projicientur in tenebras exteriores*.

Ut, *damnando eos pravitatis & impietatis*, faciant in eis judicium conscriptum * *in sacra Scriptura*: gloria hæc *& potestas judicii* est omnibus sanctis *& perfectis* ejus, *qui pro Christi nomine omnia reliquerunt*.

ORATIO.

Auctor totius bonitatis, Deus, qui omnem mansuetudinem te humiliter confitentem exaltas: præstare digneris ut, in hoc sæculo factores legis effecti, in tribulationibus vitæ præsentis probati & fideles inventi, spiritualibus bonis ditati; mereamur gloriæ sanctorum adjungi. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

PSALMUS CL.

Alleluja.

LAudate *vos, beati & fideles,* Dominum *Deum Trinum & Unum*, in ſanctis ejus, * *quos jam glorificavit & mirabiliter remuneravit*: laudate eum *Dominum* in firmamento virtutis ejus, *quia firmavit ſanctos virtute immortalitatis.*

Laudate eum *Dominum Deum*, in virtutibus ejus * *angelicis* : laudate eum *aſsiduè*, ſecundum multitudinem magnitudinis ejus, *cujus non eſt finis.*

Laudate eum in ſono *vel clangore* tubæ * *ſeu buccinæ, ſonoriſsimi inſtrumenti* : laudate eum in pſalterio et cithara, *dulciori & jucundiori ſono.*

Laudate eum in tympano et choro, * *quæ reſonant dulciſsimâ modulatione* : laudate eum in chordis et organo, *quæ in longinquum audiuntur.*

Laudate eum in cymbalis *honoris,* beneſonantibus *in aures humanas* : laudate eum in cymbalis jubilationis, * *quibus cordis jubilum exprimitur ad Dei* glo-

gloriam: omnis ſpiritus, *& quidquid ſpiraculum vitæ continet*, laudet Dominum, *& agnoſcat Deum ſuum creatorem, cui ſit laus & gratiarum actio. Amen.*

ORATIO.

Harmoniæ noſtræ ſuaviſsimum melos, Deus, qui noſtri pectoris modulamina, nunc fletibus, nunc gemitibus jubes exerceri: præſta, quæſumus, Domine, ut, dum illa ſpiritali affectu concinimus; cœleſtibus choris inſerti, te cum ſanctis omnibus collaudemus. Per CHRISTUM Dominum noſtrum, qui tecum vivit & regnat Deus. Amen.

FINIS.

Sit nomen Domini benedictum.

Sudavi et alſi.

Ter quinquagenos David canit ordine Pſalmos.
Verſus bis mille ſexcentos ſex canit ille.

MA-

MAGNI ATHANASII

IN PSALMOS OPUSCULUM,

Angelo Politiano interprete.

OMnis quidem Scriptura divina, magiſtra eſt et virtutis et veræ fidei: ſed liber Pſalmorum habet etiam quodammodo imaginem ſtatus animarum. Ut enim qui adit regem, prius ipſe habitum verbaque componit, ne fortè imperitus habeatur; ſic divinus hic liber currentes ad virtutem, et eos qui vitam Salvatoris in corpore cognoſcere geſtiunt, admonet prius per electionem motionum omnium quibus anima afficitur, deinde de variis format inſtruitque ſermonibus. Poteſt igitur unuſquiſque in Pſalmis motum ſtatumque animæ ſuæ deprehendere; atque ita figuram quiſque diſciplinamque ſuam, quibuſque verbis placere Deo poſsit, et quibus verbis ſeſe corrigere valeat, et Deo agere gratias: ne, ſi præterquam fas eſt dicat, incidat in impietatem. Non ſo-

lùm

lùm enim de operibus, ſed de omni otioſo verbo reddenda apud judicem ratio eſt.

Si igitur beatum aliquem dicere velis; habes quomodo, et quamobrem, et quem dicas, in Pſalmis I. *Beatus vir qui non abiit*, XXXI. *Beati quorum remiſſæ ſunt*, XL. *Beatus qui intelligit ſuper egenum*, CXI. *Beatus vir qui timet Dominum*, et CXXVII. *Beati omnes qui timent Dominum.*

Si conqueri Judæorum contra Salvatorem inſidias; habes II. *Quare fremuerunt gentes.*

Si te tui perſequuntur, et multi inſurgunt adverſum te; III. Pſalmum dicas: *Domine quid multiplicati ſunt.*

Si autem ad hunc modum tribulatus invocaſti Dominum; et, quoniam exaudivit, agere vis grâtias: canito IV. *Cùm invocarem*, et CXIV. *Dilexi, quoniam exaudiet Dominus.*

Si vides inſidias tibi à malignantibus fieri, et auribus percipi cupis orationem tuam; canito Pſalmum V. *Verba mea auribus percipe.*

Si minas Dei ſentis, et inde terri-

tum

tum te vides; dicere potes Psalmum VI. *Domine, ne in furore*, et XXXVII. *Domine, ne in furore &c. Quoniam sagittæ tuæ infixæ.*

Si autem consilium ineunt aliqui contra te, quemadmodum Achitophel contra David; et hoc aliquis tibi nuntiat: cane VII. *Domine Deus meus, in te speravi.* Et confide in Deo, qui te liberabit.

Cernens autem gratiam Salvatoris circumquaque diffusam, et restitutum saluti genus humanum, si alloqui Dominum vis; cane VIII. *Domine Dominus noster, quàm admirabile est nomen tuum in universa terra!*

Si rursus canere vis pro torcularibus, Deo gratias agens; habes VIII. *Domine Dominus noster*, et LXXX. *Exultate Deo salutari nostro.*

Si coërceri inimicum vis, et creaturam salvari; non confidens in te ipso, sed in Dei filio, dic IX. Psalm. *Confitebor tibi, Domine, in toto corde meo.*

Si quis te metu afficere velit; tu, confidens in Domino, cane X. *In Domi-*

mino confido, quomodo dicitis.

Si multorum superbiam et malitiam vides abundare, ita ut nihil sit inter homines sanctum; confuge tu Dominum, et dic XI. Psalmum: *Salvum me fac, Domine.*

Si diutius perseverent adversariorum insidiæ; ne te ipsum negligas, quasi tui Dominus sit oblitus: sed invoca Dominum, canens XXVI. Psalm. *Dominus illuminatio mea.*

Si quos audis blasphemantes contra providentiam; ne sis tu quidem particeps eorum impietatis, sed, ad Deum confugiens, dic XIII. *Dixit insipiens in corde suo: Non est Deus, Corrupti sunt*, et LII. *Dixit insipiens, &c.*

Si scire vis qualis est regni cœlorum civis; cane XIV. *Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo?*

Si tibi oratione opus est, propter resistentes tibi et circumdantes animam tuam; cane XVI. *Exaudi, Domine, justitiam meam*, et LXXXV. *Inclina, Domine, aurem tuam*, et LXXXVIII. *Misericordias Domini*, et CX. *Domine, cla-*

mavi ad te, exaudi me.

Si ſcire vis quo pacto Moyſes orabat; habes LXXXIX. *Domine, refugium factus es nobis.*

Si evaſiſti ab inimicis, et liberatus es à perſequentibus te; cane tu quoque XVII. *Diligam te, Domine, fortitudo mea, &c.*

Si miraris ordinem rerum creatarum, et divinæ providentiæ gratiam; cane XVIII. *Cœli enarrant gloriam Dei, & opera manuum ejus annuntiat firmamentum*, et XXVII. *Ad te, Domine, clamabo: Deus meus, ne ſileas à me, nequando taceas à me: & aſsimilabor deſcendentibus in lacum.*

Si tribulatos vides; conſolare eos, et, pro eis orans, dic verba Pſalmi XIX. *Exaudiat te Dominus in die tribulationis, &c.*

Si te cuſtodiri à Domino vides, et proſperè agere; gaudens cane Pſalmum XXII. *Dominus regit me, &c.*

Si contra te irruunt inimici; eleva animam ad Deum, et dic XXIV. *Ad te, Domine, levavi animam meam, &c.* Et fruſtrà eos iniquè agentes videbis.

Si

Si perſeveraverint inimici,et ſanguinolentis manibus abſtrahere vel occidere te quærunt;ne des homini judicium: ſuſpecta enim ſunt humana omnia. Sed, Deum judicem poſtulans (ipſe enim ſolus judex eſt) , dic XXV. *Judica me, Domine , quoniam ego.* Item XXXIV. *Judica , Domine , nocentes me* , et XLII. *Judica me , Deus , & diſcerne cauſam meam.*

Si autem ſævius inſtent , et multitudo inſtar caſtrorum ſint inimici ; deſpiciens eos , quaſi ne vinctus quidem ſis , nihil formidans , cane XLVI. *Omnes gentes , plaudite manibus &c.*

Si rurſus impudentes ſint qui inſidiantur ; minimè illos curans , cane ad Dominum quæ ſunt in Pſal.XLVII. *Magnus Dominus , & laudabilis nimis.*

Si ſcire vis quomodo, gratias acturus , accedere ad Deum debes ; intelligibiliter intelliges , canens XLVIII. *Audite hæc , omnes gentes , &c.*

Deinde , renovans domum tuam, et animam , quæ Dominum ſuſcipit, et ſenſibilem domum in qua corporaliter habitas ; age gratias , et dic XLIX.

Deus deorum Dominus loquutus eſt, et CXXVI. *Niſi Dominus ædificaverit &c.*

Si te odio haberi propter veritatem ab amicis et propinquis vides; ne remitte ſtudium, neve adverſantes extimeſce: ſed, futura cogitans, cane XXX. *In te, Domine, ſperavi: non confundar in æternum.*

Si baptizatos vides à corruptibili generatione liberatos; divinam benignitatem admirans, cane XXXI. *Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates.*

Si canere vis inter multos juſtos viros, et rectè viventes; colliges ex XXXII. *Exultate, juſti, in Domino: rectos decet collaudatio.*

Si incidiſti in hoſtes, et eos prudenter evitaſti, atque inſidias effugiſti, et ob id agere vis gratias; convoca mites homines, et cum eis cane Pſal. XXXIII. *Benedicam Dominum in omni tempore.*

Si vides iniquos in malum certare; ne putes ſecundum naturam eſſe in illis peccatum, quemadmodum hæretici quidam: ſed dic XXXV. Pſal. *Dixit injuſtus ut delinquat in ſemetipſo: non*

est timor Dei ante oculos ejus. Et videbis quod ipſimet peccandi cauſa ſunt.

Si malos iniqua agentes cernis, et contra parvos ſuperbientes; et admonere vis aliquos, ne iſtos attendant aut æmulentur, quoniam citò exſtinguentur: dic, et tibi, et aliis, XXXVI. *Noli æmulari in malignantibus, &c.*

Si ſtatuiſti habere tui curam, et vides inſidiantem adverſarium (maximè enim contra tales excitatur), ac vis temet in eum parare; cane XXXVIII. Pſal. *Dixi cuſtodiam vias meas, &c.*

Si multos vides pauperes et mendicos, ac miſereri vis; potes et eos qui jam ſunt miſerti probare, et alios ut idem agant hortari, dicens XL. *Beatus qui intelligit ſuper egenum & pauperem.*

Si, deſiderium habens erga Deum, inimicos audis exprobrantes; ne perturberis: ſed, intelligens immortalem fructum qui ex hoc deſiderio naſcitur, conſolare animam tuam ſpe erga Deum; et, hac relevans mitiganſque vitæ dolores, dic XL. Pſal. *Quemad-*

modum desiderat.

Si recordari frequenter vis beneficia Dei quæ patribus fecit, et in exitu de Ægypto, et in deserto; et quo modo Deus quidem bonus, ipsi autem ingrati: habet XLIII. *Deus auribus nostris.* Item LXXVII. *Attendite*, et LXXXVIII. *Misericordias Domini in æternum*, et CI. *Domine, exaudi orationem meam, & clamor &c.* CV. *Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in sæculum &c.* CVI. *Confitemini Domino, quoniam bonus, &c. Dicant qui, &c.* CXIII. *In exitu Israël, &c.*

Si, confugiens ad Deum, evasisti quæ adversus te dicta sunt, et gratias agere vis Deo, et narrare ejus erga te benignitatem; habes XLV. *Deus noster refugium & virtus.*

Si peccasti, et conversus pœnitentia afficeris, et vis misericordiam consequi; habes confessionis verba in Psal. L. *Miserere mei, Deus, secundum magnam misericordiam tuam, &c.*

Si calumniam passus es apud malum regem, et diabolum vides glorian-

riantem; ſecede et dic quæ ſunt in LI. *Quid gloriaris in malitia, qui potens es in iniquitate?*

Si qui te perſequuntur et calumniantur prodere volentes, ſicut Phariſæi Jeſum, et alienigenæ David; ne tædio marceſcas, ſed, confidens in Domino, cane LIII. *Deus, in nomine tuo ſalvum me fac*, et LV. *Miſerere mei, Deus, quoniam conculcavit me homo.*

Si autem concurrat perſecutio, et in ſpeluncam ingrediatur in qua tu abſconderis; ne metue: habes enim, in hac neceſsitate, utilia, cùm ad conſolandum, tum ad memoriam rei colendam, verba in LVI. *Miſerere mei, Deus, miſerere mei, quoniam in te confidit anima mea*, et CXLI. *Voce mea ad Dominum clamavi.*

Si obſervari domum, qui inſidiatur, juſſerit, aut effugerit; age gratias Deo, et, in tabulis animæ tuæ rem incîdens, dic LVIII. *Eripe me de inimicis meis, Deus meus.*

Si exprobrent inimici qui tribulant te, et loquacius detrahant qui amici

esse videntur; et in exercitatione tua labores aliquantulum: potes eadem dicere quæ sunt in IV. Psal. *Cùm invocarem, exaudisti me, Deus justitiæ meæ.*

Contra hypocritas et in facie gloriantes, dic ad eorum conversionem LVII. Psal. *Si verè utique justitiam loquimini; recta judicate, filii hominum.*

Si asperè irruant in te, et capere animam tuam velint; oppone illis subjectionem tuam ad Deum, et bono animo sis: quò enim magis insæviunt illi, eò magis Domino subjicientur. Dic autem Psalm. LXI. *Nonne Deo subjecta erit anima mea?*

Si, persecutionem fugiens, in desertum concesseris; ne metuas, quasi solus ibi sis: sed, habens Deum, et ad ipsum diluculo surgens, cane LXII. *Deus, Deus meus, ad te de luce vigilo.*

Si perterrefaciant inimici, nec struere insidias desinant, et omnia inquirunt adversùm te; etiam si plurimi sint, ne cesseris. Sagittæ enim parvulorum erunt horum plagæ, si cecineris LXIII. *Exaudi, Deus, orationem meam,*

cùm

cùm deprecor, et LXVII. *Exurgat Deus, & dissipentur*, LXIX. *Deus, in adjutorium meum intende, &c.* et LXX. *In te, Domine, speravi.*

Si canere Deum vis, habes LXIV. *Te decet hymnus, Deus, in Sion, &c.*

Si quos imbuas resurrectionis mysterio, habes LXXIX. *Qui regis Israël, intende.*

Si misericordias à Deo petis, cane Psalmum LXVI. *Deus misereatur nostri.*

Si videas impios in pace prosperari; ne scandalizeris aut commovearis: dic tu quoque LXXII. *Quàm bonus Israël Deus, his qui recto sunt corde!*

Si irascitur populo Deus; habes verba quibus hunc consoleris in LXXIII. *Ut quid, Deus, repulisti.*

Si confessione tibi est opus, cane LXX. *In te, Domine, speravi, &c.* LXXIV. *Confitebimur tibi, Deus, &c.* XCI. *Bonum est confiteri Domino, & psallere nomini tuo, &c.* CIV. *Confitemini Domino, & invocate nomen ejus,* CV. *Confitemini Domino, quoniam bo-*

nus

nus , &c. CVII. *Paratum cor meum, Deus , &c.* CV. *Confitebor tibi , Domine , in toto corde meo* , CXVII. *Confitemini Domino , quoniam bonus,* CXXXV. *Confitemini Domino , quoniam bonus, quoniam in æternum misericordia ejus,* et CXXXVII. *Confitebor tibi , Domine, in toto corde meo , quoniam audisti verba oris mei.*

Si vituperare Gentilem vis et Hæreticos , ut apud quos Dei cognitio non est ; potes intelligendo canere et dicere quæ sunt in Psalmo LXXXV. *Inclina , Domine , aurem tuam , & exaudi me , quoniam inops & pauper.*

Si occupaverint inimici effugia tua , et magnopere tribuleris ; quamquam perturberis , ne despera , sed ora : et , si clamans exauditus fueris, age Deo gratias , dicens quæ sunt in Psal. LXXXVI. *Voce mea ad Dominum clamavi : voce mea ad Dominum deprecatus sum.*

Si perseverantes inimici irruerint et polluerint domum Dei , ac sanctos occiderint , et eorum corpora volatilibus cœli projecerint ; ne metuas il-

lo-

lorum crudelitatem : ſed, compatiens patientibus, dic Pſal. LXXVIII. *Deus, venerunt Gentes in hereditatem tuam, polluerunt templum ſanctum tuum.*

Si canere vis Domino in celebritate; convocatis Dei ſervis, cane LXXX. *Exultate Deo adjutori noſtro, jubilate Deo Jacob*, et XCIV. *Venite exultemus Domino, jubilemus Deo ſalutari noſtro.*

Si rurſus inimici congregentur undique; et minentur domui Dei, conſpirantes contra pietatem: ne te multitudo et potentia illorum perturbet; habes, velut ancoram ſpei, verba quæ ſunt in LXXXII. *Deus, quis ſimilis erit tibi? ne taceas, neque compeſcaris.*

Si vides domum Dei et æterna ejus tabernacula; et deſiderium habes ad illa, ſicut habebat Apoſtolus: dic et tu LXXXIII. *Quàm dilecta tabernacula tua, &c.*

Si ceſſaverit ira, et ſoluta captivitas fuerit; habes quibus gratias Deo agas in LXXXIV. *Benedixiſti, Domine,*

ter-

terram tuam, avertisti captivitatem Jacob, et CXV. *Credidi, propter quod locutus sum, &c.*

Si discordiam catholicæ Ecclesiæ adversus schismata cognoscere vis, et illos convértere; potes dicere quæ sunt in Psal. LXXXVI. *Fundamenta ejus in montibus sanctis, &c.*

Si exhortari te ipsum vis et alios ad religionem; ac persuadere quod spes in Deum non confundit, sed intrepidam reddit animam: lauda Deum, dicens quæ sunt in Psal. XC. *Qui habitat in adjutorio altissimi, &c.*

Si canere vis sabbato, habes XCI. *Bonum est confiteri Domino, & psallere nomini tuo, altissime.*

Si gratias agere vis dominico die, habes XIII. *Dixit insipiens in corde suo: Non est Deus, &c.*

Si canere vis in secunda sabbati, habes quæ sunt in XCIV. *Venite, exultemus Domino, &c.*

Si canere vis Parasceve, habes laudationem in XCII. *Dominus regnavit, decorem indutus est: indutus est Dominus, &c.* Tunc enim domus ædifi-

ficata eſt, quamvis circumire conati ſunt hoſtes. Atque ideo triumphale carmen canendum eſt ipſi Deo.

Si captivitati tradita fuerit ac vaſtata domus, rurſuſque ædificata; cane quæ ſunt in XCV. *Cantate Domino canticum novum, cantate Domino omnis terra.*

Si vexata terra fuerit ab hoſtibus, et deinde quieſcat regnante Domino; habes quem canas in XCVI. *Dominus regnavit, exultet terra, lætentur inſulæ multæ.*

Si vis quarta ſabbati canere, habes XCIII. *Deus ultionum Dominus, Deus ultionum liberè egit.* Tunc enim traditus, ulciſci mortem cœpit, et de ea triumphare.

Quum igitur, Euangelium legens, videris Judæos conſilium ineuntes adverſus Dominum, et ipſum audacter ſtare pro nobis adverſus diabolum; cane quæ ſunt in XCIII., ut dictum eſt.

Si vides providentiam Domini in omnia, et dominium ipſius; et vis imbuere aliquos ipſius fide et obedien-

dientia, cùm persuaseris prius ut confiteantur: cane XCVIII. *Jubilate Deo, omnis terra.*

Si potestatem judicandi in eo cognoscis, et quod, misericordiæ judicium admiscens, judicat Deus; atque accedere ad ipsum vis: habes ad hoc verba C. *Misericordiam & judicium cantabo tibi, Domine.*

Si, propter imbecillitatem naturæ nostræ, assiduis vitæ malis aliquando, ceu medicus, tædio afficeris, et consolari te vis; habes Psal. CI. *Domine, exaudi orationem meam, & clamor meus ad te veniat.*

Quoniam convenit semper et in omnibus agere Deo gratias; quando ipsi benedicere vis, habes quo tuam animam adhorteris in CII. *Benedic, anima mea, Domino, & omnia quæ intra*, et CIII. *Benedic, anima mea, Domino: Domine Deus meus.*

Si laudare vis Deum, et scire quomodo ob aliquid oportet laudare, et quæ verba dicere laudans debet; habes CXII. *Laudate, pueri, Do-*

Dominum, laudate nomen Domini, &c. CXVI. *Laudate Dominum, omnes gentes: laudate eum, omnes populi.* CXLV. *Lauda, anima mea, Dominum: laudabo Dominum in vita mea, psallam Deo meo quamdiu fuero.* CXXXII. *Ecce quàm bonum*, et CXLVI. *Laudate Dominum, quoniam bonus est Psalmus.* CXLVII. *Lauda, Jerusalem, Dominum: lauda Deum tuum, Sion,* CXLVIII. *Laudate Dominum de cœlis*, et CXLIX. *Cantate Domino canticum novum: laus ejus in Ecclesia sanctorum.* CL. *Laudate Dominum in sanctis ejus, laudate eum in firmamento virtutis ejus.*

Si habes fidem quemadmodum Dominus dixit, et credis in his quæ orans loqueris; dic CXV. *Credidi, propter quod loquutus sum.*

Si te adſcendentem ſentis actionibus, ſic ut dicas: his obliviſcor, his autem qui præcedunt contendo; habes in unoquoque proceſſu quæ dicas quindecim Graduum Cantica.

Si captivatus es alienis cogitatio-

nibus, et ſenſiſti te abduci, et pœnituit; deſine deinceps: et, manens ubi te peccantem deprehendiſti, ſede ac luge tu quoque, quemadmodum fecit populus, dicens quæ ſunt in CXXXVI. *Super flumina Babylonis, illic &c.*

Si tentationes putas eſſe tui probationem; age poſt tentationes gratias Deo, dicens CXXXVIII. *Domine, probaſti me, & cognoviſti me.*

Si teneris rurſus ab inimicis, et liberari vis; dic CXXXIX. *Eripe me, Domine, ab homine malo: à viro iniquo eripe me.*

Si orare vis et deprecari, dic V. *Verba mea auribus percipe.* CXL. *Domine, clamavi ad te: exaudi me.* CXLI. *Voce mea ad Dominum clamavi, voce mea ad Dominum deprecatus ſum.* CXLII. *Domine, exaudi orationem meam, auribus percipe obſecrationem.* CXLV. *Lauda, anima mea, Dominum, &c.*

Si inimicus tyrannus inſurrexit adverſus populum; tu quoque, ſicut David Goliath, ne timeas, ſed

unà

unà cum David crede, et canens dic CXLIII. *Benedictus Dominus Deus meus, qui docet manus meas ad prælium, & digitos meos ad bellum.*

Si bonitatem Dei et in te et in omnes recolis, et benedicere Deo vis; dic verba quæ David dixit in LXXXIV. *Benedixisti, Domine, terram tuam, &c.*

Si cantare vis Domino, habes quid dicas in XCV. *Cantate Domino canticum novum*, et XCVII. *Cantate Domino canticum novum, quia mirabilia fecit.*

Si fortè in aliquo usu fratribus antepóneris; ne extollaris contra ipsos, sed, dans gloriam Deo, psalle tu quoque LI. *Quid gloriaris in malitia qui potens es in iniquitate?* aliàs CL. *Laudate Dominum in sanctis ejus, laudate eum in firmamento virtutis ejus.*

Si canere vis obedientiam habentem *Alleluja*, habes CIV. *Confitemini Domino, & invocate nomen ejus.* CV. *Confitemini Domino, quoniam bonus,*

quoniam in ſæculum miſericordia ejus. Quis loquetur potentias Domini? CVI. *Confitemini Domino, quoniam. Dicant qui.* CX. *Confitebor tibi, Domine, in toto corde meo.* CXI. *Beatus vir qui timet Dominum, in mandatis ejus volet nimis.* CXII. *Laudate, pueri, Dominum: laudate nomen Domini.* CXIII. *In exitu Iſraël de Ægypto.* CXIV. *Dilexi, quoniam exaudiet Dominus vocem orationis meæ.* CXV. *Credidi, propter quod locutus ſum.* CXVI. *Laudate Dominum omnes gentes.* CXVII. *Confitemini Domino, quoniam bonus, &c. Dicat nunc Iſraël.* CXVIII. *Beati immaculati in via.* CXXXIV. *Laudate nomen Domini.* CXLV. *Lauda, anima mea, Dominum, &c.* CXLVI. *Laudate Dominum, quoniam bonus eſt pſalmus.* CXLVII. *Lauda, Jeruſalem.* CXLVIII. *Laudate Dominum de cœlis.* CXLIX. *Cantate Domino canticum novum*, et CL. *Laudate Dominum in ſanctis ejus.*

Si ſeorſum vis canere de Salvatore, habes de eo in quovis Pſalmo: præcipuè verò habes XXIV. *Ad*

te,

te, Domine, levavi. CIX. *Dixit Dominus Domino meo: Sede à dextris meis, &c.*

Indicantes ipsius ex patre legitimam generationem, et corporalem ejus præsentiam, X. *In Domino confido*, et LXVIII. *Salvum me fac, Deus, &c.*

Prædicantes de divina cruce, et quantum pro nobis insidiarum suscepit, et quàm multa passus est, II. *Quare fremuerunt gentes*, et CXVIII. *Beati immaculati.*

Significantes Judæorum insidias et malignitatem, et Judæ proditionem, XX. *Domine, in virtute tua.* XLIX. *Deus deorum Dominus locutus est*, et LXXI. *Deus, judicium tuum regi da.*

Ostendentes regnum ejus et judicandi potestatem, et ejus præsentiam in carne, XV. *Conserva me, Domine, quoniam speravi in te, &c.*

Indicat ejus in carne resurrectionem gloriosam XXIII. *Domini est terra, & plenitudo ejus*, et LVI. *Omnes gentes, plaudite manibus, &c.* Annuntiant ejus in cœlum ascensum

XCII. *Dominus regnavit.* XCV. *Cantate Domino canticum novum, cantate Domino omnis terra.* XXVII. *Cantate Domino canticum novum, quia mirabilia fecit.* XCVIII. *Dominus regnavit, irascantur populi.*

Si leges, ſpeculari poteris quæ Dominus nobis beneficia per paſsionem contulit.

TALIS EST STILUS et character Pſalmorum, ad hominum utilitatem.

FINIS.



CATALOGUS PSALMORUM,

CUM NUMERIS EORUMDEM, quo ſint inventu faciles.

A

Ad Dominum, cùm tribularer 119
Ad te, Domine, clamabo: Deus 27
Ad te, Domine, levavi animam 24
Ad te levavi oculos meos 122
Afferte Domino, filii Dei 28
Attendite, popule meus 77
Audite hæc, omnes gentes 48

B

Beati immaculati in via 118
Beati omnes qui timent Dominum 127
Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates 31
Beatus qui intelligit ſuper egenum 40
Beatus vir qui non abiit 1
Beatus vir qui timet Dominum 111

Benedicam Dominum in omni 33
Benedic, anima mea, Domino 1. 102
Benedic, anima mea, Domino 2. 103
Benedictus Dominus Deus meus qui docet 143
Benedixisti, Domine, terram tuam 84
Bonum est confiteri Domino 91

C

Cantate Domino canticum novum 1. 95
Cantate Domino canticum novum 2. 97
Cantate Domino canticum novum 3. 149
Cœli enarrant gloriam Dei 18
Confitebimur tibi, Deus 74
Confitebor tibi, Domine 1. 9
Confitebor tibi, Domine 2. 110
Confitebor tibi, Domine 3. 137
Confitemini Domino, et invocate nomen ejus 1. 104
Confitemini Domino, quoniam bonus 2. 105
Confitemini Domino, quoniam

bonus 3. 106
Confitemini Domino, quoniam bonus 4. 117
Confitemini Domino, quoniam bonus 5. 135
Conserva me, Domine, quoniam speravi in te 15
Credidi, propter quod locutus sum 115
Cùm invocarem, exaudivit me Deus 4

D

De profundis clamavi ad te 129
Deus, auribus nostris audivimus 43
Deus deorum Dominus locutus est 49
Deus, Deus meus, ad te de luce vigilo 62
Deus, Deus meus, respice in me 21
Deus, in adjutorium meum intende 69
Deus, in nomine tuo salvum me fac 53
Deus, judicium tuum regi da 71
Deus, laudem meam ne tacueris 108
Deus misereatur nostri, et benedicat 66

Deus noſter refugium et virtus 45
Deus, quis ſimilis erit tibi 82
Deus, repuliſti nos, et deſtruxiſti nos 59
Deus ſtetit in ſynagoga deorum 81
Deus, venerunt gentes in hereditatem 78
Deus ultionum Dominus 93
Dilexi, quoniam exaudiet Dominus 114
Diligam te, Domine, fortitudo mea 17
Dixi: Cuſtodiam vias meas 38
Dixit Dominus Domino meo 109
Dixit injuſtus ut delinquat 35
Dixit inſipiens in corde ſuo 1. 13
Dixit inſipiens in corde ſuo 2. 52
Domine, clamavi ad te, exaudi me 140
Domine, Deus meus, in te ſperavi 7
Domine, Deus ſalutis meæ 87
Domine, Dominus noſter 8
Domine, exaudi orationem meam 1. 101
Domine, exaudi orationem meam 2. 142
Domine, in virtute tua lætabitur

tur rex 20
Domine, ne in furore tuo 1. 6
Domine, ne in furore tuo 2. 37
Domine, non eſt exaltatum cor meum 130
Domine, probaſti me, et cognoviſti 138
Domine, quid multiplicati ſunt 3
Domine, quis habitabit 14
Domine, refugium factus es nobis 89
Domini eſt terra et plenitudo 23
Dominus illuminatio mea 26
Dominus regit me, et nihil mihi deerit 22
Dominus regnavit, decorem indutus eſt 92
Dominus regnavit, exultet terra 96
Dominus regnavit, iraſcantur populi 98
E
Ecce nunc benedicite Dominum 133
Ecce quàm bonum et quàm jucundum 132
Eripe me de inimicis meis, Deus meus 58
Eripe me, Domine, ab homine malo 139
Eru-

Eructavit cor meum verbum 44
Exaltabo te, Deus meus 144
Exaltabo te, Domine, quoniam ſuſcepiſti me 29
Exaudiat te Dominus in die tribulationis 19
Exaudi, Deus, deprecationem 60
Exaudi, Deus, orationem meam 54
Exaudi, Deus, orationem meam cum deprecor 63
Exaudi, Domine, juſtitiam meam 16
Expectans expectavi Dominum 39
Exultate Deo adjutori noſtro 80
Exultate, juſti, in Domino 32
Exurgat Deus, et diſsipentur 67

F

Fundamenta ejus in montibus 86

I

Inclina, Domine, aurem tuam 85
In convertendo Dominus captivitatem Sion 125
In Domino confido 10
In exitu Iſraël de Ægypto 113
In te, Domine, ſperavi 1. 30
In te, Domine, ſperavi 2. 70

Ju-

Jubilate Deo, omnis terra 1. 65
Jubilate Deo, omnis terra 2. 99
Judica, Domine, nocentes me 34
Judica me, Deus, et discerne 42
Judica me Domine, quoniam ego 25

L

Lauda, anima mea, Dominum 145
Lauda, Jerusalem, Dominum 147
Laudate Dominum de cœlis 148
Laudate Dominum in sanctis ejus 150
Laudate Dominum omnes gentes 116
Laudate Dominum, quoniam bonus est Psalmus 146
Laudate nomen Domini 134
Laudate, pueri, Dominum 112
Lætatus sum in his quæ dicta sunt 121
Levavi oculos meos in montes 120

M

Magnus Dominus, et laudabilis nimis 47
Memento, Domine, David 131
Miserere mei, Deus, miserere mei 56
Miserere mei, Deus, quoniam conculcavit 55
Miserere mei, Deus, secundum magnam misericordiam 50

Misericordiam et judicium cantabo tibi 100
Misericordias Domini 88

N

Nisi Dominus ædificaverit domum 126
Nisi quia Dominus erat in nobis 123
Noli æmulari in malignantibus 36
Nonne Deo subjecta erit anima 61
Notus in Judæa Deus 75

O

Omnes gentes, plaudite manibus 46

P

Paratum cor meum, Deus 107

Q

Quàm bonus Israël Deus 72
Quàm dilecta tabernacula tua, Domine 83
Quare fremuerunt gentes 2
Quemadmodum desiderat cervus 41
Qui confidunt in Domino, sicut mons 124
Quid gloriaris in malitia 51
Qui habitat in adjutorio altissimi 90

Qui regis Iſraël, intende 79

S

Salvum me fac, Deus, quoniam intraverunt 68
Salvum me fac, Domine, quoniam defecit 11
Sæpe expugnaverunt me 128
Si verè utique juſtitiam loquimini 57
Super flumina Babylonis 136


T

Te decet hymnus, Deus, in Sion 64

V

Venite, exultemus Domino 94
Verba mea auribus percipe 5
Voce mea ad Dominum clamavi 1. 76
Voce mea ad Dominum clamavi 2. 141
Uſquequo, Domine, oblíviſcêris me 12
Ut quid, Deus, repuliſti in finem 73

FINIS.





RAYNERII
SNOY


colorchecker CLASSIC
calibrite
mm